







31

9

D

13





SANCTI
AGOBARDI
ARCHIEPISCOPI
LVGDVNENSIS

OPERV M
TOMVS SECVNDVS.

ITEM
EPISTOLÆ
LEIDRADI ET AMVLONIS
Archiepiscoporum Lugdunenſium.

STEPHANVS BALVZIVS
*Tutelenſis in unum collegit, emendavit,
Notisque illustravit.*



PARISIIS,
Apud FRANCISCVM MUGVET Regis ac
Illustriff. Archiepiſ. Pariſ. Typogr. via Citharæ,
ad Adorationem trium Regum.

M. D. C. L X V.

THE [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

11



STEPHANI BALVZII
TVTELENSIS
PRÆFATIO AD LECTOREM.

HABES heic, LECTOR, secundum volumen operum Agobardi Archiepiscopi Lugdunensis: quæ ideo dividere placuit in partes duas; ne, quia Leidradum & Amulonem conjungere animus ab initio fuit, conqueri posses ea excedere molem justî voluminis. Damus autem tibi; præter editas jam olim Agobardi lucubrationes, librum adversus quatuor libros divinorum officiorum ab Amalario Abbate compositos, hætenus ineditum, quem nobis suppeditavit vetus codex clarissimi viri Petri Marnæsij Senatoris Gratianopolitani; ceu dictum est in Præfatione ad primum tomum.

Post Agobardum, sequuntur epistolæ

Leidradi & Amulonis Archiepiscoporum Lugdunensium, inter quos medius sedit Agobardus. Tum opuscula duo adversus doctrinam Gothescalci, quæ Amulonis quoque esse suspicatus est vir harum rerum peritissimus, Iacobus Sirmondus. Addetur dein Liber Flori Diaconi Lugdunensis de electionibus Episcoporum, jam antea à Papirio Massono editus ad calcem Agobardi, ac multoties laudatus à viris eruditissimis.

Accedent Notæ nostræ ad eosdem Scriptores: quas tibi, LECTOR, tam utiles ac proficuas esse cupio, quàm mihi multo labore multaque opera constiterunt. His utere. Et si quid illic repereris memoria dignum, Deo gratias age. Si verò aliter evenerit, ignosce pro tua humanitate. Nam & homo sum, & adhuc juvenis.

Demum, post Notas sequetur Appendix Actorum veterum, quorum in Notis facta mentio est. quam Appendicem spero tibi non ingratham futuram. Vale.



SANCTI
 AGOBARDI
 ARCHIEPISCOPI
 LVGDVNENSIS
 SERMO EXHORTATORIUS
 AD PLEBEM,
 DE FIDEI VERITATE,
 & totius boni institutione.



VDITE fratres nostri, familia
 Christi, grex summi pastoris, po-
 pulus pascuæ ejus, & oves manus
 ejus. Introite portas æterni Regis
 in confessione, & atria ejus in hymnis, ut vobis
 dicatur: *Ecce nunc benedicite Domino omnes ser-
 vi Domini, qui statis in domo Domini, in atriiis
 domus Dei nostri. Quærite Dominum, dum in-
 veniri potest: invocare eum, dum propè est. Et*

Psal. 133.

1/2a. 55.

Act. 17.

quàm propè est? *In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus.* Est enim cunctis mentibus interior, cunctis corporibus interior, ipse intus replet, exteriùs circumdat, inferiùs portat, superiùs protegit. Ipse qui nunc sic propè est, veniet tempus quando inveniri non poterit. Et quare non invenietur qui ubique est, qui nusquam deest? Quia jam non erit tempus Dominum quærendi, sed pœnas luendi eos qui nunc eum non inveniunt. Agite quod Psalmus dicit: *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua, & sancti tui benedicant tibi.* Benedicite cum ipsis, aut confitemini cum universis operibus Domino.

Psal. 144.

Apo. 3.

II. Non vobis necesse est transmigrare de locis ad loca, de regno ad populum alterum, ad quærendum Dominum. Ipse se vobis ultro-neus offert, & dicit: *Ecce sto ad ostium, & pulsato. Si quis audierit vocem meam & aperuerit januam, introibit ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum.* Quid unquam tam dulce? quid tam jucundum? Adjungit etiam, & dicit: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo.* Ecce vult intrare ad te, ut cœnes cum illo, non te pigeat aperire. Non solùm in mente tua vult cœnare tecum, verùm etiam te vult levare in thronum suum, ut sedeas cum illo. Cui talia promittuntur, quid amplius desiderare debet? Promittit adhuc Dominus, & dicit: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Sint ergo lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus

Joan. 14.

Luc. 12.

dominum suum quando revertatur à nuptiis, ut cum venerit & pulsaverit, confestim aperiant ei. Beati servi illi, ad quos veniunt Pater & Filius, & mansionem apud eos faciunt. Væ autem illis qui talem hospitem à se repellunt; quoniam in malivolam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu. Et ideo nolite cogitare inania, nolite desiderare peritura; ineptas autem & aniles fabulas devitate, exercete vos ipsos ad pietatem. Aperite Domino pulsanti, ut intret ad vos, & cœnet vobiscum, & mansionem apud vos faciat. Nec tacens pulsat, sed loquitur unicuique animæ pulsans: *Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.*

Sap. 1;
1. Tim. 4;
Cant. 5.

Vos autem curam omnem subinferentes ministrare in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam. Si enim meditando de fide vestra & spe, crescitis in scientia & cognitione Dei, non vacui nec sine fructu vivitis, & ita Dominum hospitem tenetis.

2. Pet. 1.

III. Fides est, qua credimus unum Deum omnipotentem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, veram Trinitatem, veram Vnitatem. O quam vera Trinitas, ubi nullus nascitur ex se, nullus procedit à se, sed alter ex altero! Filius videlicet nascitur ex Patre, Spiritus sanctus procedit ex Patre & Filio. Proculdubio igitur apparet quòd alius sit qui genuit, alius qui genitus est, alius qui de utroque procedit. O quàm vera Vnitas, ubi non est alius Spiritus Patris, alius Filij, sed unus utriusque;

nec priùs procedit ex Patre in Filium, deinde ex Filio ad diffundendum in cordibus fidelium caritatis donum; sed simul ex utroque. Non est alia deitas Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti; sed una trium deitas; & idcirco verè unus Deus. Nam si esset alia & alia, non esset unus. Vna ergo deitas, una æternitas, una majestas, una potentia, una voluntas, una operatio, una pietas, una gloria. Et quia est omnino alius & alius, ideo Trinitas; & quia non est aliud & aliud, ideo Vnitas. quia non est ipse Pater qui Filius, non ipse Filius qui Pater, aut Spiritus, ideo vera Trinitas. Quia verò hoc est Pater quod Filius, hoc Filius quod Pater & Spiritus, ideo vera Trinitas. Nativitatem Filij non præcessit potestas aut voluntas patris. Sic processionem Spiritus sancti nihil fuit quod præcederet. Patrem confitemur genitorem Filij, factorem autem cæli & terræ, visibilia omnium & invisibilia rerum. Filium confitemur ingenitum Patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum, non factum, ἐκ τῆς οὐσίας Patri, hoc est, ejusdem cum patre substantiæ, per quem omnia facta sunt quæ in cælo, & quæ in terra, per quem majestatem Patris laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates, cæli & cælorum virtutes. Spiritum sanctum confitemur vivificantem, ex Patre & Filio procedentem, cum Patre & Filio adorandum & glorificandum, qui locutus est per Prophetas, Donum dantes simul tres, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum confitemur, sine confusione indivisos, sine tempore sempiternos, sine differentia æquales. Vnus Do-

*Athanas. in
Symbol.*

Ibidem.

minus magnus & laudabilis nimis, cujus magnitudinis non est finis, & sapientiæ non est numerus. Magnus certè non mole, sed virtute: qui dum per molem corporis nusquam est, per incircumscriptam substantiam nusquam deest.

*Psalm. 144.**Psalm. 146.*

IV. Hanc veram Trinitatem, veramque Vnitatem, unum Dominum, laudant de cælis, laudant in excelsis omnes angeli, omnes virtutes, sol, & luna, stellæ, & lumen, cæli cælorum, & aquæ quæ super cælos sunt. Quia ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt. Laudant de terra dracones & omnes abyssi, ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum, montes & colles, ligna fructifera, & omnes cedri, bestię, & universa pecora, serpentes, & volucres pennatæ, Reges terræ, & omnes populi, principes, & omnes iudices terræ, juvenes & virgines, senes cum junioribus, quia exaltatum est nomen ejus solius. Et confessio ejus super cælum & terram, & laus in Ecclesia sanctorum. Laudatur enim in sanctis suis, in firmamento virtutis suæ, in virtutibus suis, secundum multitudinem magnitudinis suæ, in sono tubæ, in psalterio & cithara, in tympano & choro, in chordis & organo, in cymbalis benefonantibus, in cymbalis jubilationis.

*Psalm. 148.**Psalm. 149.**Psalm. 150.*

V. Cùm ergo ista omnia simul, rationabilia & irationabilia, incessanter laudent Deum; quomodo homines, ad imaginem & similitudinem Dei conditi, & ad laudem gloriæ ejus vocati, debent esse pigri, aut tardi, aut ociosi? Et illa quidem laudent Dominum semper. Nos autem, etsi non possumus semper, laudemus saltem

Genes. 1.

1. Petr. 2:

frequenter; quibus per Apostolum dicitur: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes annuntietis eius, qui vos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum.* Et per Prophetas: *Narrate omnia mirabilia ejus, annuntiate inter gentes studia eius, notas facite in populis ad inventiones ejus.* De quibus virtutibus & mirabilibus, qualia sint, sanctæ Scripturæ verbis sic prædicatur:

Tob. 12.

Psalm. 104.

Psalm. 9.

Isa. 12.

Qui facit angelos suos spiritus, & ministros suos ignem urentem. Qui fundavit terram super basim suam; non commovebitur in seculum seculi. Qui demisit lapidem angularem ejus, cum laudarent simul eum astra matutina, & jubilarent omnes filij Dei. In fortitudine ejus, repente maria congregata sunt; & prudentia ejus percussit superbum. *Qui extendit Aquilonem super vacuum, & appendit terram super nihilum. Qui ligat aquas in nubibus suis, ut non erumpant pariter deorsum. Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. Qui auferit stillas pluvia, & sicut alia translatio dicit, innumerabiles illi stillicidia. Qui mensus est pugillo aquas, & caelos palmo ponderavit. Qui appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in statera. Cujus thronus flammæ ignis, & rota ejus ignis accensus. Fluvius igneus rapidusque egreditur à facie ejus. Millia millium ministrant ei, & decies millies centena millia sistunt ei.* Omnes namque exercitus cæli assistunt ei, non solum à dextris, sed etiam à sinistris: de quibus Propheta vidit egredi spiritum dicentem: *Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus, id*

Psalm. 103.

Hebr. 1.

Job. 38.

Job. 26.

Psalm. 146.

Job. 36.

Isa. 40.

Dan. 7.

2. Par. 18.

3. Reg. 22.

est, decepti & decipiendi Regis, ut ascenderet ad locum ubi ei paratus erat interitus.

VI. Istius sinistri exercitus aut princeps aut magnus, invidendo sancto viro Iob, expetivit eum ut sibi concederetur à Domino, non ad probandum quod factum est per eum nolente illo, sed ad reprobandum quod multitudini malitiæ suæ desiderabat. Hujus sinistri exercitus princeps accessit ad primum hominem, bene & bonum à bono Deo conditum, igne invidentiæ succensus; & decepit, ac prævaricatorem fecit, atque omnimodæ corruptelæ subjecit, & de societate angelorum depositum, socium sibi fecit, atque de luce angelica abstractum, tenebris suis subjugavit, & æternæ morti obnoxium reddidit. Dominus autem summè bonus & pius, ut tam magnam ruinam repararet, tam magnum vulnus, misit filium sum Deum Verbum, ut caro fieret, id est, homo verus, & habitaret in nobis, id est, in humanitate perfecta, quam sumpsit pro nobis ex nobis, id est, ex sancta Virgine ad hoc præparata & custodita; habitaret autem corporaliter, non spiritualiter, ut in sanctis ceteris, id est, dono gratiæ, sicut scriptum est: *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Qui licet Domino adhæreant, & Deus in illis habitet; non tamen exinde efficitur ut dij sint naturaliter; sicut in Christo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, ut Deus sit substantialiter. Quæ humanitas, ex quo esse cœpit, non aliud esse potuit, quàm Deus, & unicus filius, quia unigenitus caro factus est, ut sit verus Deus, verus homo, unus Deus. Et licet aliud sit caro, aliud divinitas; non tamen ipse

Joan. 1.

*August. in
Joan. trakt. 4.*

1. Cor. 6.

Colos. 2.

alius est in carne, alius in divinitate; sed utroque unus Christus Deus homo, permanente utriusque naturæ veritate & integritate; id est, non mutata humanitate in divinitatem, neque conversa divinitate in humanitatem. qui ex utroque unus Christus Deus, ita adoratur cum Patre & Filio ab omni creatura, ut superius diximus, sicut adorabatur antequam Verbum caro fieret: quia inconvertibilis deitas, quæ inconvertibiliter infirmitatem nostram, in qua mori posset, suscepit incarnatione sua, nec minui potuit, nec augeri.

VII. Verus Deus ergo & verus homo, unus Dominus noster Iesus Christus, venit ad passionem, ut perferret omnia illa quæ de illo prænuntiata sunt per Scripturas. Unde comprehensus, & ligatus, flagellatus, inrisus, & in cruce suspensus, cum veniret hora ut potestate propria poneret animam suam, potestate iterum eam sumpturus, clamans voce magna, dixit: *Consummatum est.* & inclinato capite tradidit spiritum. Natus autem vera nativitate, veræ carnis sustinuit veram passionem, suscepit veram mortem, vera carnis resurrectione præbuit se ipsum vivum discipulis in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis & loquens de regno Dei, manducavit & bibit coram eis, non necessitate, sed potestate. *Et videntibus illis, elevatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri adstiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Iesus, qui assumptus est à vobis ad cælum, sic veniet*

Joan. 19.

Act. 1.

Secundum Luca

23.

Act. 1.

quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Sedet ergo in ea carne, quam assumpsit pro nobis, ad dexteram Patris, & venturus est in gloria iudicare vivos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et ipse est propiciatio pro peccatis nostris, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ, agnus Dei qui tollit peccata mundi: qui ita laudatur cum Patre ab angelis: *Sedenti in throno & agno benedictio & honor & gloria & potestas in secula seculorum.* Et quando venerit in majestate sua & Patris, sic timebitur ab eis quos iudicaturus est, ut dicant montibus & petris: *Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis supra thronum, & ab ira agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsius, & quis poterit stare?* Transacto, omnes electi ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, erunt stantes ante thronum in conspectu agni, & amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabunt voce magna dicentes: *Salus Deo nostro qui sedet super thronum, & agno.* De quibus dicitur: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine agni. Ideo sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die & nocte in templo eius; & qui sedet in throno, habitat super eos. Non esurient, neque sitient amplius, neque cadet super illos sol, neque ullus astus; quoniam agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet illos ad vitæ fontes aquarum, & absterget Deus omnem lacrymam ex oculis eorum. Et lætitia sempiterna super caput eorum, gaudium & lætitiâ obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus. Hæc civitas*

Athanas. in symb.

1. Ioan. 2.
Colos. 1.
Ioan. 1.

Apocal. 5.

Apocal. 6.

Apocal. 7.

Apoc. 21.

Ij. 35.

Apo al. 21. Dei, id est, universitas omnium sanctorum; non eget sole, neque luna, ut luceant in ea. Nam claritas Dei inluminavit eam, & lucerna eius est agnus. Et dicitur ei: Non audietur ultra iniquitas in terra tua, vastitas & contritio in terminis tuis, & occupabit salus muros tuos, & possesses tuas laudatio. Non erit tibi amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor luna inluminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra sol tuus, & luna tua non minuetur: quia Dominus erit tibi in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui. Populus autem tuus omnes iusti, in perpetuum hereditabunt terram. Et videbunt gentes iustum tuum, & cuncti Reges inclytum tuum; & vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominavit. Et eris corona glorie in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis ultra derelicta, & terra tua non vocabitur amplius desolata; sed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitata; quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur. Habitabit enim iuvenis cum virgine, & habitabunt in te filij tui. Et gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus. Non intrabit in eam aliquid coinquinatum, & faciens abominationem & mendacium; nec fatuæ virgines, quæ non sumplerunt oleum secum: nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni, & regnabunt in secula seculorum.

VIII. Hæc præclara testimonia sanctæ Scripturæ ostendunt unitatem & æqualitatem sedentis super thronum & agni, Patris videlicet & Filij, cum & unus dicitur dies magnus

Apoc. 21.

Matth. 25.

Apoc. 21. &

22.

iræ ipsorum. Mansit enim æqualis Patri, etiam postquam factus est minor Patre. Vnde & Patres sancti, Doctores videlicet Ecclesiæ, in brevissimo hymno quem Psalmis, Antiphonis, & Responsorijis subjungimus, cantandum tradiderunt: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto; sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum.* Et cum electi ex omnibus populis & linguis stare dicuntur ante thronum in conspectu agni, & una salus cantatur ei qui sedet super thronum & agno, & pariter inluminant civitatem suam; hoc ipsum ostenditur ut sciamus unum esse Patrem & Filium, etiam postquam minor factus, obediens extitit usque ad mortem, mortem autem crucis. *Propter quod Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen; ut in nomine Iesu omne genu flectatur, celestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris.* Ostendunt etiam caput exaltatum ad quantam sublimitatem elevat corpus suum, & unitatem capitis & corporis, sponsi videlicet & sponsæ. Vnde dicitur: *Induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.* Se enim dixit sponsum, se sponsam. Hæc tanta unitas est illud inæstimabile & ineffabile bonum, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quod præparavit Deus diligentibus se; cum agnus ille est sponsus gregis sui, pastor ovium suarum; & qui est agnus in passione, leo in resurrectione, aquila

Apoç. 7. 3

Philipp. 2.

Isa. 61.

1. Corinth. 2.

Ephes. 2.
Daniel. 2.

in ascensione, lapis quoque angularis, lapisque abscissus de monte sine manibus, & factus est mons magnus implens omnem terram. Hoc est regnum quod in æternum non dissipabitur, & populo alteri non tradetur, & ipsum stabit in æternum. De hac unitate & ineffabili sublimitate capitis & corporis per Daniele Prophe-
tam dicitur: *Aspiciebam in visione noctis; & ecce cum nubibus cali quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit; & in conspectu eius obtulerunt eum; & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum; & omnes populi, tribus, & lingua, ipsi servient. potestas eius, potestas aterna, qua non auferetur; & regnum eius, quod non corrumpetur.*

Dan. 7.

IX. Hæc unitas & sublimitas capitis & corporis, quæ futura est in specie & re, omni intentione pietatis jam nunc tenenda est in fide & in spe. Hanc sublimiter commendat Apostolus, cum dicit: *Qui descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes calos, ut impleret omnia. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in adificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionem filij Dei in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi; ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrina in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Veritatem autem facientes in caritate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: cuius totum corpus compactum per omnem juncturam*

Ephes. 4.

juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in adificationem sui in caritate. Et iterum: Caput ex quo totum corpus, per nexus & coniunctiones subministratum & constructum, crescit in augmentum. Et alio loco: Sollicitè servate unitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestre. Vnus Dominus, una fides, unum baptisma. Vnus Deus est & Pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Item de unitate membrorum: Sicut enim corpus unum est, inquit, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum corpus sunt; ita & Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi, & omnes in uno spiritu potati sumus. Nam corpus non est unum membrum, sed multa.

Colos. 2.

Ephes. 4.

1. Cor. 12.

X. Quòd autem meditatio mediatoris Dei & hominum Domini nostri Iesu Christi jungat Patri omnem electam creaturam, ita ut ista ineffabili unitate spiritus, nulla sit diversitas generis, conditionis, & sexus, sed tam ex angelis, quàm ex hominibus, una domus & una civitas Dei fiat, atque huius tantæ & tam mirabilis unitatis unum caput sit Christus, ita docet Apostolus: *Nolite mentiri invicem, expoliantes vos veterem hominem cum artibus eius, & induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem eius qui creavit eum: ubi non est Gentilis & Iudæus, circumcisio & præputium, Barbarus & Scythæ, servus &*

Colos. 3.

liber, sed omnia & in omnibus Christus. Et iterum: Quicumque in Christum baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudaus, neque Græcus; non est servus, neque liber; non est masculus, neque femina. Omnes enim vos unum estis in Christo Iesu. Et alibi: Volo autem vos scire quòd omnis viri caput Christus est; caput autem mulieris, vir; caput verò Christi, Deus. Itémque: Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei. Et alio loco: Qui est imago Dei invi-

Galat. 3.

1. Cor. 11.

1. Cor. 3.

Colos. 1.

» sibilis, primogenitus omnis creaturæ: quia in
 » ipso condita sunt omnia in cælis & in terra, visi-
 » bilia & invisibilia, sive throni, sive dominatio-
 » nes, sive principatus, sive potestates. Omnia
 » per ipsum & in ipso creata sunt; & ipse est an-
 » te omnes, & omnia in ipso constant. Et ipse est
 » caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, pri-
 » mogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse
 » primatum tenens: quia in ipso complacuit om-
 » nem plenitudinem habitare, & per eum recon-
 » ciliari omnia in ipsum; pacificans per sangui-
 » nem crucis ejus, sive quæ in terris, sive quæ in
 » cælis.] Et iterum: Quia in ipso inhabitat omnis
 » plenitudo divinitatis corporaliter; & estis in
 » illo repleti, qui est caput omnis principatus &
 » potestatis]

Colos. 2.

XI. Pro hac ineffabili unitate ipse media-
 tor Dei & hominum, Deus homo, Christus
 Iesus, tempore passionis suæ rogavit Patrem,
 » dicens: Sanctifica eos in veritate: Sermo tuus
 » veritas. Sicut tu me misisti in mundum, & ego
 » misi eos in mundum. Et pro eis ego sanctifico
 » meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate.
 » Non pro his autem rogo tantum, sed & pro eis.

Ioh. 17.

qui credituri sunt per verbum eorum in me : ut
 omnes unum sint , sicut tu Pater in me , & ego
 in te , & ipsi in nobis unum sint ; ut mundus cre-
 dat , quia tu me misisti . Et ego claritatem , quam
 dedisti mihi , dedi eis ; ut sint unum , sicut &
 nos unum sumus . Ego in eis , & tu in me ; ut sint
 consummati in unum ; & cognoscat mundus ,
 quia tu me misisti , & dilexisti eos , sicut & me
 dilexisti . Pater , quos dedisti mihi , volo ut ubi
 ego sum , & illi sint mecum ; ut videant clarita-
 tem meam , quam dedisti mihi ; quia dilexisti
 me ante constitutionem mundi .] Quando autem
 perficietur ista tanta & tam sublimis unitas ,
 Apostolus diligentissimè ostendit , dicens : Sicut
 in Adam omnes moriuntur , ita & in Christo
 omnes vivificabuntur ; unusquisque autem in
 suo ordine , primitiæ Christus , deinde hi qui
 sunt Christi , qui in adventu ejus crediderunt .
 Deinde finis , cùm tradiderit regnum Deo &
 Patri , cùm evacuaverit omnem principatum ,
 & potestatem , & virtutem . Oportet autem il-
 lum regnare , donec ponat inimicos suos sub pe-
 dibus ejus . Novissima autem inimica destrue-
 tur mors . Omnia enim subjecit sub pedibus
 ejus .] Et iterum : Ecce mysterium vobis di-
 co . Omnes quidem resurgemus , sed non om-
 nes immutabimur . In momento , in ictu oculi ,
 in novissima tuba . Canet enim tuba , & mortui
 resurgent incorrupti , & nos immutabimur .
 Oportet enim corruptibile hoc induere incor-
 ruptionem , & mortale hoc induere immortalitatem .
 Cùm autem mortale hoc induerit im-
 mortalitatem , tunc fiet sermo qui scriptus est :
 Absorpta est mors in victoria . Vbi est mors vi-

1. Cor. 15.

Ibid.

» ctoria tua ? ubi est mors aculeus tuus ? Stimulus
 » autem mortis peccatum est, virtus verò peccati
 » lex. Deo autem gratias, qui nobis dedit victo-
 » riam per Dominum nostrum Iesum Christum.]
 Ad hanc victoriam non pervenitur, nisi certan-
 do : quoniam non oportet coronari, nisi qui le-
 gitimè certaverit.

XII. Hujus unitatis pars, quæ adhuc pere-
 grinatur in terra, habet adversantes, contra
 quos incessanter confligat. quia omnes qui piè
 volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem
 patiuntur. Sunt in primis diabolus & angeli ejus
 hostes nostri, contra quos armari nos vult Apo-
 stolus, dicens : Induite vos armatura Dei, ut
 possitis stare adversus insidias diaboli : quia non
 est nobis conluctatio adversus carnem & san-
 guinem, sed adversus principes, & potestates,
 adversus mundi rectores tenebrarum harum,
 contra spiritalia nequitia, in cœlestibus. Pro-
 pterea accipite armaturam Dei, ut possitis re-
 sistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.
 State ergo succincti lumbos vestros in veritate,
 & induti lorica justitiæ, & calceati pedes in
 præparationem Evāgelij pacis ; in omnibus su-
 mentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela
 nequissimi ignea extinguere ; & galeam salutis
 assumite, & gladium spiritus, quod est verbum
 Dei, per omnemorationem, & obsecrationem,
 orantes omni tempore in spiritu.] Sunt etiam
 homines publicè persequentes, de quibus ipse
 Dominus loquitur : *Ecce ego mitto vos sicut oves
 in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut
 serpentes, & simplices sicut columba. Cavete au-
 tem ab hominibus. Tradent enim vos in conciliis,*

Ephes. 6.

Matth. 10.

Et in synagogis suis flagellabunt vos; Et ad Praesides Et ad Reges deducemini propter me, in testimonium illis Et gentibus. Sunt quoque alij persecutores, qui persequuntur inimicitis, odiis, detractionibus, accusationibus, damnis, rixis, & diversis asperitatibus: contra quos non armis pugnandum est, sed patientia & tolerantia; sicut Apostolus docet nos patientes esse debere ad omnes: & Dominus jubet non resistere malo. Sed si quis te percusserit in dextra maxilla tua, praebe illi Et alteram. Et iterum: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, Et orate pro persequensibus Et calumniantibus vos, ut sitis filij patris vestri qui in caelis est. Et iterum: Si dimiseritis enim hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester caelestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet peccata vestra. Sunt etiam inimici fidei, de quibus Apostolus loquitur: Quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, adtendentes spiritibus erroris Et doctrinis demoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium. Contra quos pugnandum est non armis corporalibus, sed spiritualibus, exemplis videlicet, Scripturarum auctoritate, rationibus fidei & veritatis. Sunt etiam inimici quotidiani, quos nec loco nec tempore possumus declinare: quos Apostolus enumerat, dicens: Desideria carnis non perficiatis. Caro enim concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Haec enim sibi invicem aduersantur, ut non quaecunque vultis, illa faciat. Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. Manifesta autem sunt opera carnis, quae sunt

1. Thess. 2.

Matth. 5.

Matth. 6.

1. Tim. 4.

Gal. 5.

"


"

"

"

"

"



- ,, fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum ser-
 ,, vitus, veneficia, inimicitia, contentiones, æmu-
 ,, lationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, invi-
 ,, diæ, homicidia, ebrietates, comestationes, &
 ,, his similia. quæ prædico vobis, sicut prædixi:
 ,, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non con-
 ,, sequentur.] Contra quos pugnandum est, non
 1. Cor. 9. solum ratione, sed & labore, abstinencia, con-
 continentia, vigiliis; sicut Apostolus suo nos exem-
 plo informat, dicens: *Castigo corpus meum &*
servituti subijcio; ne forte aliis prædicans, ipse
reprobus efficiar. Unde & discipulum instruens,
 & de se jam securus, juxta finem vitæ suæ, ita
 2. Tim. 4. ,, gloriatur, dicens: Tu verò vigila, in omnibus
 ,, labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum
 ,, imple. Ego enim jam delibor, & tempus reso-
 ,, lutionis meæ instat. Bonum certamen certavi,
 ,, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo
 ,, reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet
 ,, mihi Dominus in illa die justus judex; non so-
 ,, lum autem mihi, sed & omnibus qui diligunt
 ,, adventum ejus.]

XIII. Inter hæc omnia caveat fidelis, ne
 omnino vel in modico in propriis viribus præ-
 sumat, sed de Dei adiutorio, ut ad finem bono-
 rum pervenire, vel in bono possit opere perdu-
 rare: quia Dominus ait: *Sine me nihil potestis*
 10. 10. 15. *facere.* Et Apostolus: *Deus est qui operatur in*
 Phil. pp. 2. *vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Et
 iterum: *Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc*
 Ephes. 2. *non ex vobis.* Et iterum: *Non quòd idonei simus*
 2. Cor. 3. *cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed suf-*
 10an. 6. *ficientia nostra ex Deo est.* Et Dominus: *Nemo*
potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me,
traxerit eum. Multa Deus facit in homine bo-

na, quæ non facit homo; nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet ut faciat homo. Suam namque voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet. Quando autem ita faciunt quod volunt ut divinæ serviant voluntati; quamvis volentes agant quod agunt, illius tamen voluntas est à quo & præparatur & iubetur quod volunt. Tales nosamat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito. Sua bona Deus prævidet, præscit, adiuvat, & remunerat in nobis. Nemo bonus nisi solus Deus, qui non est alterius bono bonus. Homines autem, non proprio, sed Dei bono, sunt boni; qui est fons & origo bonitatis; immo qui est bonitas, à quo omne bonum, & sine quo nihil boni.

Math. 19.

XIV. Hæc est fides & spes Catholicæ Ecclesiæ, quæ est columna & firmamentum veritatis, in lege & Prophetis, psalmis & hymnis prædicata, per Apostolos evangelizata, per martyres testificata, per Doctores exposita. Quicquid huic fidei contrarium inuenitur, & quæque dissona & discrepantia, inepta sunt, & prophana, atque inaniloquia, quæ multum proficiunt ad impietatem, ac per hoc doctrina dæmoniorum & antichristorum, de quibus Apostolus ait: *Filioli, novissima hora est; & sicut audistis quia Antichristus venit, nunc Antichristi multi facti sunt.* De quibus alius Apostolus: *Hi sunt murmuratores querelosi, secundum desideria sua ambulantes, & os illorum loquitur superbiam, quorum omnium caput est Antichristus.* De quo Apostolus: *Rogamus vos autem, fratres, per adventum Domini nostri*

1. Tim. 3.

1. Ioan. 2.

Iuda 16.

2. Theff. 2.

„ Iesu Christi & nostræ congregationis in ipsum,
 „ ut non citò moveamini à vestro sensu, neque
 „ terreamini, neque per spiritum, neque per ser-
 „ monem, neque per epistolam tanquam per nos
 „ missam, quasi instet dies Domini. Ne quis vos
 „ seducat illo modo. Quoniam nisi venerit dis-
 „ cesso primùm, & revelatus fuerit homo pec-
 „ cati, filius perditionis, qui aduersatur, & ex-
 „ tollitur supra omne quod dicitur Deus, aut
 „ quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat,
 „ ostendens se tanquam sit Deus. Non retinetis
 „ quòd cùm adhuc essem apud vos, hæc dice-
 „ bam vobis? Et nunc quid detineat scitis, ut re-
 „ veletur in suo tempore. Nam mysterium jam
 „ operatur iniquitatis: tantùm ut qui tenet nunc
 „ teneat, donec de medio fiat. Et tunc revelabi-
 „ tur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet
 „ spiritu oris sui, & destruet inlustratione
 „ adventus sui eum; cuius est adventus secundùm
 „ operationem Satanæ, in omni virtute, & signis,
 „ & prodigiis mendacibus, & in omni seductio-
 „ ne iniquitatis, his qui pereunt, eo quòd cari-
 „ tatem veritatis non receperunt ut salvi fierent.
 „ Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut
 „ credant mendacio, & iudicentur omnes qui
 „ non crediderunt veritati, sed consenserunt ini-
 „ quitati.] De hoc tempore & Dominus in Evan-
 „ gelio ait: Erit tunc tribulatio magna, qualis
 „ non fuit ab initio mundi usque modò, neque
 „ fiet. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fie-
 „ ret salva omnis caro; sed propter electos bre-
 „ viabuntur dies illi. Tunc si quis vobis dixerit,
 „ Ecce hîc Christus, aut illic, nolite credere.
 „ Surgent enim Pseudochristi & Pseudoprophe-

tæ; & dabunt signa magna, & prodigia, ita ut
 in errorem inducantur, si fieri potest, etiam
 electi. Ecce prædixi vobis.] De Antichristo &
 Daniel Propheta sic dicit: Sermones contra
 Excelsum loquetur, & sanctos Altissimi con-
 teret, & putabit quòd possit mutare tempora
 & leges, & tradentur in manu ejus usque ad
 tempus, & tempora, & dimidium temporis.
 Et judicium sedebit, ut auferatur potentia, &
 conteratur, & dispereat usque in finem. Re-
 gnum autem, & potestas, & magnitudo regni,
 quæ est subter omne cælum, detur populo san-
 ctorum Altissimi, cuius regnum sempiternum
 est.] Et iterum: De uno autem ex eis egressum
 est cornu unum modicum; & factum est gran-
 de contra meridiem, & contra orientem, &
 contra fortitudinem; & magnificatum est us-
 que ad fortitudinem cæli; & dejecit de forti-
 tudine, & de stellis, & conculcavit eas. Et us-
 que ad principem fortitudinis magnificatum
 est, & ab eo tulit jube sacrificium, & dejecit
 locum sanctificationis ejus. Robur autem da-
 tum est contra jube sacrificium propter pecca-
 ta; & prosternetur veritas in terra, & faciet,
 & prosperabitur.] Et iterum: Et post regnum
 eorum, cum creverint iniquitates, consurget
 Rex impudens facie, & intelligens propositio-
 nes; & roborabitur fortitudo ejus, sed non in
 viribus suis; & suprâ quàm credi potest, uni-
 versa vastabit, & prosperabitur, & faciet. Et
 interficiet robustos, & populum sanctorum, se-
 cundùm voluntatem suam. & dirigetur dolus in
 manu ejus, & cor suum magnificabit, & in co-
 pia rerum omnium occidet plurimos, & contra

„ principem principum confurget, & sine manu
 „ conteretur.] Et iterum : Et faciet iuxta volun-
 „ tatem suam Rex, & elevabitur, & magnifica-
 „ bitur adversum omnem Deum ; & adversum
 „ Deum deorum loquetur magnifica, & dirige-
 „ tur, donec compleatur iracundia. perpetrata
 „ quippe est definitio. Et Deum patrum suorum
 „ non reputabit, & erit in concupiscentiis femi-
 „ narum, nec quemquam deorum curabit, quia
 „ adversum universa confurget.] In libro Apoca-
 „ lypsi : Et vidi de mari bestiam ascendentem, ha-
 „ bentem cornua septem, & capita decem, &
 „ super cornu eius decem diademata, & super
 „ capita eius nomen blasphemiarum. Et bestia quam
 „ vidi, similis erat pardo, & pedes eius similes
 „ ursi, & os eius sicut os leonis. Et dedit illi dra-
 „ co virtutem suam, & potestatem magnam. Et
 „ vidi unum de capitibus suis quasi occisum in
 „ mortem, & plaga mortis eius curata est. Et ad-
 „ mirata est universa terra post bestiam. Et ado-
 „ raverunt draconem qui dedit potestatem bestie ;
 „ & adoraverunt bestiam, dicentes : Quis similis
 „ bestie ? & quis poterit pugnare cum ea ? Et da-
 „ tum est ei os loquens magna, & blasphemiam ;
 „ & data est illi potestas facere menses quadra-
 „ ginta duos. Et aperuit os suum in blasphemias,
 „ ad Deum blasphemare nomen eius, & taber-
 „ naculum eius, & eos qui in celo habitant. Et
 „ datum est ei bellum facere cum sanctis, & vin-
 „ cere illos.] Et iterum : Et vidi aliam bestiam as-
 „ cendentem de terra ; & habebat cornua duo si-
 „ milia agni, & loquebatur sicut draco. Et po-
 „ testatem prioris bestie omnem faciebat in con-
 „ spectu eius ; & fecit terram & inhabitantes in

Dan. 11.

Apo. 13.

ea adorare bestiam primam, cujus curata est
 plaga mortis. Et fecit signa magna, ut etiam
 ignem faceret de cælo descendere in terram in
 conspectu hominum. Et seduxit habitantes ter-
 ram, propter signa, quæ data sunt illi facere in
 conspectu bestię.] Et iterum: Ego tibi dicam Apoc. 17.
 sacramentum mulieris, & bestię quæ portat
 eam, quæ habet capita septem, & cornua de-
 cem. Bestia quam vidisti tuit, & non est, & as-
 censura est de abyssu, & in interitum ibit; &
 mirabuntur inhabitantes terram, (quorum
 non sunt scripta nomina in libro vitæ à consti-
 tutione mundi) videntes quæ erat, & non est.
 Et hic est sensus, qui habet sapientiam. Septem
 capita, septem montes sunt, super quos mulier
 sedet, & Reges septem sunt. Quinque ceci-
 derunt, unus est, alius nondum venit; & cum
 venerit, oportet illum breve tempus manere.
 Et bestia quæ erat, & non est, ipsa octava est,
 & de septem est, & in interitum vadit. Et de-
 cem cornua quæ vidisti, decem Reges sunt, qui
 regnum nondum acceperunt, sed potestatem
 tanquam Reges una hora accipiunt post be-
 stiam. Hi consilium unum habent & virtutem,
 & potestatem suam bestię tradent. Hi cum
 agno pugnabunt, & agnus vincet illos: quo-
 niam Dominus Dominorum est, & Rex Re-
 gum, & qui cum illo sunt vocati, electi, & fi-
 deles.] Et iterum: *Et vidi bestiam, & Reges* Apocal. 19.
terra, & exercitus eorum congregatos ad facien-
dum prælium cum illo qui sedebat in equo, & cum
exercitu ejus. Et apprehensa est bestia, & cum
illo Pseudopropheta qui fecit signa coram ipso,
quibus seduxit eos qui acceperunt characterem

bestia, & qui adorant imaginem ejus. Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphuris, & ceteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius. Ex iterum: Apoc. 20. Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, & exiet, & seducet gentes quæ sunt super angelos terræ Gog & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super altitudinem terræ; & circumierunt castra sanctorum, & civitatem dilectam. Et descendit ignis à Deo de cælo, & devoravit illos; & diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi bestia & Pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.

XV. Tres hîc dicuntur, diabolus videlicet, & bestia, quæ est Antichristus, & Pseudopropheta, quæ omnem potentiam Antichristi ostensura est in signis & prodigiis mendacibus. Et duæ bestiæ, operante diabolo, eminentiores sunt in universo corpore perditorum. Et diabolus quidem est inventor & causa omnis mali, tanquam hominibus mortaliter viventibus invisibilis. Est & homicida est ab initio. Univerfa mala quæ operatus est, maximè per homines exercuit & exercet. Illum autem primum malum quod in deceptione primorum hominum perpetratus est, per serpentem fecit; quia nec erat homo, per quem primi homines deciperentur. Per serpentem loquutus Evæ, per Evam Adæ. Deinde per Cain occidit Abel. Et deinceps pullularunt omnia mala, & creverunt iniquitates, & crescunt adhuc, donec perveniant ad summum mali, quando Deo permit-

tente & ordinante adsumpturus est sibi diabolus vas aptissimum, hominem videlicet illum damnatum, & perditum, caputque perditorum; qui in tantam excrescet malitiam ut homo omnium pessimus ostentare se possit, & audiat tanquam sit Deus, & contra universa confurgat, & extollat se ac jactet super omne quod dicitur Deus & quod colitur. ita ut de illo iam dictum sit à Domino: *Non est super terram potestas qua comparetur ei qui factus est ut nullum timeret. Omne sublime videt. Ipse est Rex super universos filios superbiae.* Ut sciamus de illo dictum esse, superius ostenditur, ubi dicitur: *Cùm apprehenderit eum gladius, subsistere non poterit neque hasta, neque thorax.*

Iob 41.

Ibid.

XVI. Quòd autem unum corpus sit omnium perditorum, cujus isdem Antichristus caput sit, superius ostenditur, ubi dictum est: *Membra coherentia sibi carnum ejus.* Et iterum: *Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus. Vna uni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas. alteri una adharebit, & tenentes se nequaquam separabuntur.* De quo corpore & capite ejus, id est, diabolo, vel Antichristo, & per Ezechielem Prophetam dicitur: *Ecce ego ad te Pharao Rex Egypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum, & dicis: Meus est fluvius, & ego feci memetipsum. Et ponam franum in maxillis tuis, & adglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis; & extraham te de medio fluminum tuorum, & universi pisces tui squamis tuis adharebunt, & projiciam te in desertum, & omnes pisces fluminis tui.* De cujus

Iob 41.

Ezechiel. 29.

» potentia & in Psalmo, secundum Hebraicam
Psal. 10. » tamen translationem, dicitur: Impius secun-
 » dum altitudinem furoris sui non requiret, nec est
 » Deus in omnibus cogitationibus ejus. Parturiunt
 » viae ejus in omni tempore. Longè sunt judicia tua
 » à facie ejus. Omnes inimicos suos despicit. Lo-
 » quitur in corde suo. Non movebor de genera-
 » tione in generationem, ero sine malo. Maledi-
 » ctione os ejus plenum est, & dolus, & avaritia;
 » sub lingua ejus dolus & iniquitas. Sed & insi-
 » diatur juxta vestibula in absconditis, ut interficiat
 » innocentem. Oculi ejus robustos circumspiciunt;
 » insidiatur in abscondito, quasi leo in cubili.
 » Insidiatur ut rapiat pauperem, dum adtra-
 » xerit eum ad rete suum, & confractum subji-
 » cit, & irruet viribus suis valenter.]

XVII. Hoc corpus diaboli atque Antichristi, quale in praesenti sit, & quid illi in futuro mapeat, demonstratur in alio Psalmo, ubi dicitur: *Quid gloriaris in malitia, qui potens es iniquitate?* & cetera. De hoc corpore perditorum loquitur & liber qui inscribitur Sapientiae, qualiter in fine temporum oppressum aeternis miseriis gerat seram & infructuosam poenitentiam, dicens: *Tunc stabunt justi in magna constantia, & cetera quae subsequuntur. Ergo erravimus à via veritatis, & iustitiae lumen non luxit nobis, & sol intelligentiae non ortus est nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis; & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia, aut quid divitiarum jactantia contulit nobis? Transferunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuntius percurrentis, & tan-*

Psal. 51.

Sap. 5.

quam navis qua pertransiit fluctuantem aquam. Quod autem ex angelis & hominibus perditis unum corpus sit, uno cruciatui deputatum, Dominus ostendit in Evangelio, ubi ait se dicturum in iudicio: *Discedite à me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.* De hoc cruciatu malignorum angelorum & hominum Esaias Propheta in fine libri sui ait: *Egredientur (haud dubium quin sancti) & videbunt cadavera virorum qui pravaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt usque ad satietatem visionis omni carni.* Hæc pœna & locus pœnarum nominatur in Evangelio tenebræ exteriores, ubi jactatur servus ille qui non arguitur de fraude, sed de inutilitate, quia acceptum talentum negotiando multiplicare noluit; & alter, qui ad nuptias vestitus veste nuptiali non interfuit, ligatis manibus & pedibus projicitur. Ipse locus frequenter in Scripturis nominatur Infernus; sicut est illud in Parabolis: *Semita vite super eruditum, ut declinet de inferno novissimo.* & Ezechias Rex justus Domino ait: *Non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te.* Et in Psalmo: *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Et iterum: *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.* Et beatus Iob: *In profundissimum, ait, infernum descendunt omnia mea.* Nominatur & aliis nominibus, sicut idem beatus Iob iterum ait Domino: *Dimitte ergo me ut plangam paululum antequam vadam & non revertar ad terram tenebrosam & operam mortis caligine, terram miseria & tenebra-*

Matth. 25.

Isai. 66.

Matth. 25.

Matth. 22.

Prov. 15.

Isai. 38.

Psal. 113.

Job. 17.

Job. 10.

32 S. AGOBARDI LIBER
rum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Quid enim terræ tenebroſæ nomine niſi terra tartari clauſa ſignatur? Nec immeritò infernus terra dicitur: quia quicumque ab eo capti fuerint, ſtabiliter tenentur. Ergo qui à conſpectu diſtricti iudicis expulſus tenetur, miſeriæ & tenebrarum terra cohibetur: quia foris dolor cruciat quos diuſos à vero lumine intus cæcitas obſcurat. tranſactorum illa ultrix flamma vitiorum concremationem habet, & lumen non habet.

Joan. 14. XVIII. Sciendum tamen quia ſicut in domo patris manſiones multæ ſunt pro diverſitate virtutis; ſic damnatos diverſo ſupplicio, gehennæ ignibus ſubicit diſparilitas criminis. quæ ſcilicet gehenna, quamvis cunctis una ſit, non tamen cunctos una eadémque qualitate ſuccendit. quæ tamen ſupplicia in ſe demerſos & ultra vires cruciant, & in eis vitæ ſubſidium extinguentes ſervant; ut ſic vitam terminus puniat, quatenus ſemper ſine termino cruciatus vivat, quia & ad finem per tormenta properat, & ſine fine deſiciens durat. Fit ergo miſeris mors ſine morte, finis ſine fine, defectus ſine defectu, quia & mors vivit, & finis ſemper incipit, & deficere defectus neſcit; quamvis illic ignis & ad conſolationem non lucet, & tamen ut magis torqueat ad aliquid lucet. Nam ſequaces quoque ſuos ſecum in tormento reprobæ flamma inluſtrante viſuri ſunt, quorum amore deliquerunt: quatinus qui eorum vitam carnaliter contra præcepta conditoris amaverant, ipſorum quoque eos interitus in augmento ſuæ damnationis affligat. Hic locus ſuppliciorum dicitur
& lacus,

& lacus, sed in quo non est aqua, sicut per Zachariam dicitur: *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinetos tuos de lacu in quo non est aqua.* & per Ezechiam Regem justum: *Non expectabunt, qui descendunt in lacum, veritatem tuam.* Dicuntur novissima laci, & fundamenta laci, & novissima abyssi.

XIX. Vos ergo abluti aqua baptismatis, & honorati nomine Christiano, signoque salutis signati, pensate attentè, & perpendite diligenter, si habemus quod meritò timeamus, si est quod omni sollicitudine mentis cavere debeamus; & inde cogitare nullatenus negligamus, sicut & sacer psalmus docet, dicens: *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo.* Et iterum: *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* & non solum mentes nostras cogitando, sed & linguas nostras loquendo, ibi occupemus. Cetera pericula temporalia quantò minora sunt, tantò minùs nos sollicitent. Ista autem quantò majora sunt, tantò magis nos conturbent & contristent, & profundis doloribus, suspiriis, atque gemitibus compungant; ut fiat nobis quod scriptum est: *Confige Domine timore tuo carnes meas. à judiciis enim tuis timeui.* Pensate fideliter quod beatus Iob de se fatetur, dicens: *Semper enim quasi tumentes super me fluctus timeui Deum, & pondus eius ferre non potui.* Si ille qui sic timebat, potuit unquam vanis cogitationibus occupare mentem, aut otiosis verbis linguam; circumferte oculos mentis vestræ per vicinas regiones, & considerate mortales nostris temporibus. Ad quid eos

- videtis vacare? quid cogitare, loqui, & facere? quanti sunt qui conentur agere quod Apostolus præcipit, dicens: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus est ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Et iterum: *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes, & commo- nentes vosmetipsos psalmis, hymnis, canticis spiritalibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.* Et iterum: *Quid ergo est, fratres? Cùm convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad adificationem fiant.*
- Eplej. 4.*
- Colo. 3.*
- Ibid.*
- 1. Cor. 14.*
- 1. Cor. 10.*
- Matth. 12.*
- Et iterum: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud aliquid facitis, omnia in gloria Dei facite.* Verè omnino, sicut Dominus ait, *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona.* Sicut ergo verissimum est quia qui thesaurum bonitatis habet in corde, non potest aliter nisi ut bona cogitet & loquatur; ita qui inania & inutilia loquitur, demonstrat se inanem & vacuum esse à gratia spiritali. Nam si non esset, curreret; & proculdubio se audientes ædificaret in fide & gratiarum actione ad gloriam Dei.
- XX. Ecce audistis nunc & bona, quæ ex toto corde amare & desiderare debeatis; audistis & mala, quæ ex tota virtute & omni conamine fugere debeatis. Propter quod pensate quem locum habere possit inter utrumque peritura- rum rerum amor, & transitorij damni & periculi timor. Sciendum omnino, quia sicut amare

inlicita aut immoderata bona temporalia, peccatum est; ita timere inordinatè, peccatum omnino est; & tam grande peccatum, ut inter cetera peccata annumeretur, & à regno cælorum excludat, & æternis pœnis addicat, sicut in Apocalypsi legitur: *Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idolatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardente igne & sulphure, quod est mors secunda.* Beatus quoque Petrus Apostolus non solùm docet non timendum persecutores, sed nec læsionem putare quicquid mali persecutores inferre possunt, duo conjungens testimonia Psalmi & Prophetæ Esaia, dicens: *Oculi Dei sunt super justos, & aures ejus ad preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala.* Et quis est qui vobis noceat, si boni amulatores fueritis? Hoc ipsum & per Prophetam Dominus præcepit, dicens: *Nolite timere opprobria hominum, & blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis; & sicut lanam, sic devorabit eos tinea. Salus autem mea in sempiternum erit.* Similiter & per semetipsum in Evangelio jubet: *Nolite timere, inquiens, eos qui corpus occidunt, & post hæc non habent ampliùs quid faciant.*

XXI. Nontimere autem corporis persecutores magnum Dei esse munus Dominus ostendit, cùm loquitur ad Hieremiam, dicens: *Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi. Ne formides à facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in civitatem*

munitam, & in columnam ferream, & in muram aensum, super omnem terram. Similiter & ad Ezechielem: Ecce dedi, ait, faciem tuam

Ezech. 9.

valentio rem faciebus eorum, & frontem tuam durio rem frontibus eorum. ut adamantem, & ut silicem, dedi faciem tuam. Ne timeas eos, neque metuas à facie eorum; quia domus exasperans est. Et quia timere inimicum, qui solum

Psal. 53.

corporale damnum inferre potest, grave crimen est; idcirco instruit nos psalmus ita orandum: Exaudi, Deus, orationem meam, cum deprecor. à timore inimici eripe animam meam. Quasi dicat: A timore inimici libera me, & subde timori tuo. Tale est quod in alio psalmo dicitur:

Psal. 55.

Quoniam multi bellantes adversum me, ab altitudine diei timebo, ego verò in te sperabo. Quod sic accipiendum est, quasi diceret: Multi quidem pugnant contra me. Ego autem auxilio gratiæ tuæ firmatus, sperans in te, non multitudinem eorum, sed tuum excelsum timebo lumen. Illi ergo qui bellantur adversum me, non possunt penetrare altitudinem diei, cujus Apostoli duodecim sunt ore fulgentes.

XXII. Qui autem veraciter in Domino confidunt, securi se dicunt in Deo: *Laudabo sermones meos, in Deo speravi. Non timebo quid faciat mihi caro. Et iterum: Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Quis enim accusabit adversus electos Dei, ut ait Apostolus? Et iterum: Quis nos separabit à caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? (sicut scriptum est: Quia pro te mortificamur tota die, aestimati sumus ut oves occisionis.)*

Psal. 55.

Rom. 8.

Gal. 43.

sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. Perfectè itaque Christiani non solùm non timent tribulationes, verùm etiam gloriantur in tribulationibus; scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit: quia caritas Dei diffusa est in cordibus eorum per Spiritum sanctum, qui datus est eis; & omne gaudium existimant, cùm in tentationes varias incidunt. absque ulla ambiguitate noverunt se tribulationibus & angustiis conflari, examinari, & purgari, sicut aurum & argentum in fornace ignis, non sicut paleas, aut fœnum. Quia ad hoc illis ignem tribulationis adhibet Pater cœlestis, ut sordes abluat, non ut in cinerem convertat. Sanctorum itaque vox est in psalmo dicentium: *Quoniam probasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra. Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Hæc omnia patiuntur variis persecutionibus. Tolerant plerunque superiores, quasi super capita impositos, quos noverunt esse peiores. Tolerant autem, non solùm tribulationes, sed & tentationes, quasi ignem & aquam, per adversa scilicet & prospera. Cavent omnino ne eos aut ignis exurat, aut aqua corrumpat. Transcuntes autem per ignem & aquam, hoc est, per prospera & adversa, educuntur in refrigerium; ubi jam nullum timent inimicum, nullam sustinent molestiam, quia perpetuum refrigerium & perpetua quies perseverat.

Rom. 5.

Iac. 1.

Ezech. 21.

Psal. 65.

XXIII. Ut autem ad hoc perveniant, quid agendum est omnibus fidelibus inter tot mala & transitura & mansura, toleranda & fugienda, nisi quod Dominus & Redemptor noster, liberator, & moderator, cum de ultimis tribulationibus instrueret discipulos, præcepit, dicens:

Luc. 21.

Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filium hominis. Similiter & cura de sua jam instanti passione eos moneret, dicit:

Matth. 26.

Orate ne intretis in tentationem. Nam & antea interrogatus à Phariseis quando venit regnum Dei, cum respondisset, subjunxit, dicens:

Marc. 14:

Luc. 40.

Quoniam oportet semper orare, & non deficere.

Luc. 18.

ostendens hoc per parabolam de iudice duro, & vidua interpellante importunè. Nam & in alio loco, cum per parabolam diceret quendam importunè rogantem impetrasse commodò dari sibi panes à quodam, subjecit, dicens:

Luc. 11.

Et ego vobis dico, Petite, & dabitur vobis; querite, & inventis; pulsate, & aperietur vobis.

Omnis enim qui petit accipit, & qui querit invenit, & pulsanti aperietur. Et post paululum: *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris; quanto magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?*

XXIV. De qua re, id est, assiduitate vel potiùs importunitate orationum, quàm solliciti & intenti esse debeant fideles, plena est omnis sacra Scriptura novi & veteris testamenti exemplis & præceptis, in quibus (quod incomprehensibile est hominibus) aliqua quæ omnipotens Deus promisit futura, sic distulit, ut orationibus obtinerentur. Unde & Petro Apo-

stolo detento ab Herode, & in carcere truso, Act. 12.
 oratio ab Ecclesia fiebat sine intermissione ad
 Deum. Et Paulus exhortatur auditores suos,
 dicens: *Orantes omni tempore in spiritu, & in* Ephes. 6.
ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione,
pro omnibus sanctis, & pro me, ut detur mihi
sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum
facere mysterium Evangelij, pro quo legatione
fungor in catena ista, ita ut in ipso audeam prout
oportet me loqui. Et in alio loco similiter: Colos. 4.
Orationi instate, ait, vigilantes in ea gratiarum
actione; orantes simul & pro nobis, ut Deus ape-
riat nobis ostium sermonis ad loquendum myste-
rium Christi (propter quod etiam vincitus sum)
ut manifestem illud, ita ut oportet me loqui.

XXV. Quod autem non tantum pro se unus-
 quisque, aut pro sanctis, debeat sollicitus esse
 in oratione, sed & pro omnibus hominibus,
 idem beatus Paulus sic ostendit, præcipiens:
Obsecro igitur primò omnium fieri obsecrationes, 1. Tim. 2.
orationes, postulationes, gratiarum actiones pro
omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui
in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam
vitam agamus, in omni pietate & castitate.
 Quod verò non solum in omni tempore, sed &
 in omni loco, hoc fieri debeat, ostendit, post
 pauca subjungens: *Volo ergo viros orare omni*
loco, levantes puras manus sine ira & discepta-
tione. Similiter & mulieres in habitu ornato, cum
verecundia & sobrietate.

XXVI. Sciendum ante omnia, quia oratio
 sicut esse debet sine ira & disceptatione, ita &
 sine hæsitacione, cum tota fiducia & fide. Quod
 in multis quidem locis ostenditur; sed præcipuè

di unumquemque secundum opera sua, audie
 amaras improperationes: *Vocavi, & renuistis;*
extendi manus meas, & non fuit qui aspiceret.
Despexistis omne consilium meum, & increpa-
tionem meam neglexistis. Ego quoque in interitu
vestrorum ridebo. Tunc erit eis illa infructuosa con-
versio, de qua Dominus per Prophetam loquitur
omnibus dicens: Convertimini, & videbitis
quid sit inter justum & impium, & inter
servientem Deo & non servientem ei. Ecce
enim dies veniet succensa quasi caminus; &
erunt omnes superbi, & omnes facientes im-
pietatem, stipula: & inflammabit eos dies ve-
niens, dicit Dominus exercituum, quæ non re-
linquet eis radicem & germen. Et orietur vo-
bis nomen meum sol justitiæ, & salietis
sicut vituli de armento, & calcabitis impios,
cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum
in die qua ego facio, dicit Dominus exer-
cituum.]

DE DIVISIONE IMPERII

Francorum inter filios Ludovici

Imperatoris,

Agobardi flebilis epistola.

I. DOMINO gloriosissimo Hludovico Imperatori Agobardus servulus. Cum unusquisque fidelis omni fidei sinceritatem debeat, dubium non est quod præcipuè fidei Prælato, cui res publica ad gubernandum com-

missa est, fides servanda sit ab omnibus qui divinæ dispositioni fideliter subjecti sunt, sicut Apostolus docet: *Omnis, inquit, anima potestantibus sublimioribus subdita sit.* Rom. 13. quanquam circa nullum infideliter agendum sit. Propter quod & alius Apostolus dicit: *Subditi estote omni humanae creaturae propter Deum.* 1. Petr. 2. & docemur orare pro omnibus hominibus, pro Regibus, & his qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate. Et in alio loco dicitur: *Ideo necessitate subditi estote,* Rom. 13. *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*

II. Cùm autem hæc ita sint, & omnes vobis fideles esse debeant, quomodo quisquam fidelis vobis esse poterit, si videns aut intelligens vestrum periculum, non se ingerit, quantum potest, ut vobis indicet, & cognitum faciat; si tamen locus aut facultas penitus illi non denegatur? Testor omnipotentem Deum, qui scrutator est cordium & renum, quia nulla alia extat causa, pro qua hæc scribere præsumo, nisi quia doleo, quantum dicere non possum, de periculis quæ vobis imminere videntur, & maximè animæ. Nam quantò excellentior substantia est anima corpore, tantò excellentiori sollicitudine curam animæ gerere debemus quàm corporis; ita Domino docente in Evangeliiis, sicut ipsi optimè nostis.

Psa. 7.

III. Anno itaque præsentis, in attritione & commotione, agitatione & afflictione terræ & habitantium in ea quanta mala increbuerint, nemo hominum est qui enumerare possit, nulla exigente causa, nulla compellente necessitate

- videtis vacare? quid cogitare, loqui, & facere? quanti sunt qui contentur agere quod Apostolus præcipit, dicens: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat; sed si quis bonus est ad edificationem fidei, ut det gratiam audientibus.* Et iterum: *Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes, & commoventes vosmetipsos psalmis, hymnis, canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Deo. Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Iesu, gratias agentes Deo & Patri per ipsum.* Et iterum: *Quid ergo est, fratres? Cùm convenitis, unusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad edificationem fiant.*
- Et iterum: Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud aliquid facitis, omnia in gloria Dei facite.* Verè omnino, sicut Dominus ait, *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona.* Sicut ergo verissimum est quia qui thesaurum bonitatis habet in corde, non potest aliter nisi ut bona cogitet & loquatur; ita qui inania & inutilia loquitur, demonstrat se inanem & vacuum esse à gratia spiritali. Nam si non esset, curreret; & proculdubio se audientes ædificaret in fide & gratiarum actione ad gloriam Dei.
- XX. Ecce audistis nunc & bona, quæ ex toto corde amare & desiderare debeat; audistis & mala, quæ ex tota virtute & omni conamine fugere debeat. Propter quod pensate quem locum habere possit inter utrumque peritura- rum rerum amor, & transitorij damni & periculi timor. Sciendum omnino, quia sicut amare

Epl. 4.

Colo. 3.

Ibid.

1. Cor. 14.

1. Cor. 10.

Matth. 12.

inlicita aut immoderata bona temporalia, peccatum est; ita timere inordinatè, peccatum omnino est; & tam grande peccatum, ut inter cetera peccata annumeretur, & à regno cœlorum excludat, & æternis pœnis addicat, sicut in Apocalypsi legitur: *Timidis autem, & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idolatris, & omnibus mendacibus, pars illorum erit in stagno ardente igne & sulphure, quod est mors secunda.* Beatus quoque Petrus Apostolus non solum docet non timendum persecutores, sed nec læsionem putare quicquid mali persecutores inferre possunt, duo conjungens testimonia Psalmi & Prophetæ Isaia, dicens: *Oculi Dei sunt super justos, & aures ejus ad preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala.* Et quis est qui vobis noceat, si boni amulatores fueritis? Hoc ipsum & per Prophetam Dominus præcepit, dicens: *Nolite timere opprobria hominum, & blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis; & sicut lanam, sic devorabit eos tinea. Salus autem mea in sempiternum erit.* Similiter & per semetipsum in Evangelio jubet: *Nolite timere, inquiens, eos qui corpus occidunt, & post hæc non habent amplius quid faciant.*

XXI. Non timere autem corporis persecutores magnum Dei esse munus Dominus ostendit, cum loquitur ad Hieremiam, dicens: *Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi. Ne formides à facie eorum, nec enim timere te faciam vultum eorum. Ego quippe dedi te hodie in civitatem*

munitam, & in columnam ferream, & in murum aeneum, super omnem terram. Similiter & ad Ezechielem: Ecce dedi, ait, faciem tuam valentiolem faciebus eorum, & frontem tuam duriolem frontibus eorum. ut adamantem, & ut silicem, dedi faciem tuam. Ne timeas eos, neque metuas à facie eorum; quia domus exasperans est. Et quia timere inimicum, qui solùm corporale damnum inferre potest, grave crimen est; idcirco instruit nos psalmus ita orandum:

Ezech. 9.

Psal. 63.

Exaudi, Deus, orationem meam, cùm deprecor. à timore inimici eripe animam meam. Quasi dicat: A timore inimici libera me, & subde timori tuo. Tale est quod in alio psalmo dicitur:

Psal. 55.

Quoniam multi bellantes adversum me, ab altitudine diei timebo, ego verò in te sperabo. Quod sic accipiendum est, quasi diceret: Multi quidem pugnant contra me. Ego autem auxilio gratiæ tuæ firmatus, sperans in te, non multitudinem eorum, sed tuum excelsum timebo lumen. Illi ergo qui bellantur adversum me, non possunt penetrare altitudinem diei, cujus Apostoli duodecim sunt ore fulgentes.

XXII. Qui autem veraciter in Domino confidunt, securi se dicunt in Deo: *Laudabo sermones meos, in Deo speravi. Non timebo quid faciat mihi caro. Et iterum: Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Quis enim accusabit adversus electos Dei, ut ait Apostolus? Et iterum: Quis nos separabit à caritate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? (sicut scriptum est: Quia pro te mortificamur tota die, aestimati sumus ut oves occisionis.)*

Psal. 59.

Rom. 8.

Psal. 43.

sed in his omnibus superamus, propter eum qui dilexit nos. Perfectè itaque Christiani non solùm non timent tribulationes, verùm etiam gloriantur in tribulationibus; scientes quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem, spes autem non confundit: quia caritas Dei diffusa est in cordibus eorum per Spiritum sanctum, qui datus est eis; & omne gaudium existimant, cùm in tentationes varias incidunt, absque ulla ambiguitate noverunt se tribulationibus & angustiis conflari, examinari, & purgari, sicut aurum & argentum in fornace ignis, non sicut paleas, aut fœnum. Quia ad hoc illis ignem tribulationis adhibet Pater cœlestis, ut sordes abluat, non ut in cinerem convertat. Sanctorum itaque vox est in psalmo dicentium: *Quoniam probasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum. Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra. Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Hæc omnia patiuntur variis persecutionibus. Tolerant plerunque superiores, quasi super capita impositos, quos noverunt esse pejores. Tolerant autem, non solùm tribulationes, sed & tentationes, quasi ignem & aquam, per adversa scilicet & prospera. Cavent omnino ne eos aut ignis exurat, aut aqua corrumpat. Transcentes autem per ignem & aquam, hoc est, per prospera & adversa, educuntur in refrigerium; ubi jam nullum timent inimicum, nullam sustinent molestiam, quia perpetuum refrigerium & perpetua quies perseverat.

Rom. 9.

Iac. 1.

Ezech. 22.

Psal. 65.

XXIII. Ut autem ad hoc perveniant, quid agendum est omnibus fidelibus inter tot mala & transitura & mansura, toleranda & fugienda, nisi quod Dominus & Redemptor noster, liberator, & moderator, cum de ultimis tribulationibus instrueret discipulos, præcepit, dicens:

Luc. 21.

Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia que futura sunt, & stare ante filium hominis. Similiter & cum

Matth. 26.

de sua jam instanti passione eos moneret, dicit: *Orate ne intretis in tentationem.* Nam & antea

Marc. 14:

Luc. 40.

interrogatus à Phariseis quando venit regnum Dei, cum respondisset, subjunxit, dicens:

Luc. 18.

Quoniam oportet semper orare, & non deficere. ostendens hoc per parabolam de iudice duro, & vidua interpellante importunè. Nam & in alio loco, cum per parabolam diceret quendam importunè rogantem impetrasse commodè dari

Luc. 11.

sibi panes à quodam, subjecit, dicens: *Et ego vobis dico, Petite, & dabitur vobis; querite, & invenietis; pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui querit invenit, & pulsanti aperietur.* Et post paululum: *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona dare filiis vestris; quanto magis Pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se?*

XXIV. De qua re, id est, assiduitate vel potius importunitate orationum, quàm solliciti & intenti esse debeant fideles, plena est omnis sacra Scriptura novi & veteris testamenti exemplis & præceptis, in quibus (quod incomprehensibile est hominibus) aliqua quæ omnipotens Deus promisit futura, sic distulit, ut orationibus obtinerentur. Unde & Petro Apa-

stolo detento ab Herode, & in carcere truso, Act. 12.
 oratio ab Ecclesia fiebat sine intermissione ad
 Deum. Et Paulus exhortatur auditores suos,
 dicens: *Orantes omni tempore in spiritu, & in* Ephes. 6.
ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione,
pro omnibus sanctis, & pro me, ut detur mihi
sermo in apertione oris mei cum fiducia, notum
facere mysterium Evangelij, pro quo legatione
fungor in catena ista, ita ut in ipso audeam prout
oportet me loqui. Et in alio loco similiter: *Ora-* Colos. 4.
tioni instate, ait, vigilantes in ea gratiarum
actione; orantes simul & pro nobis, ut Deus apo-
riat nobis ostium sermonis ad loquendum myste-
rium Christi (propter quod etiam vincetus sum)
ut manifestem illud, ita ut oportet me loqui.

XXV. Quod autem non tantum pro se unus-
 quisque, aut pro sanctis, debeat sollicitus esse
 in oratione, sed & pro omnibus hominibus,
 idem beatus Paulus sic ostendit, præcipiens:
Obsecro igitur primò omnium fieri obsecrationes, 1. Tim. 2.
orationes, postulationes, gratiarum actiones pro
omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui
in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam
vitam agamus, in omni pietate & castitate.
 Quod verò non solum in omni tempore, sed &
 in omni loco, hoc fieri debeat, ostendit, post
 pauca subjungens: *Volo ergo viros orare omni*
loco, levantés puras manus sine ira & discepta-
tione. Similiter & mulieres in habitu ornato, cum
verecundia & sobrietate.

XXVI. Sciendum ante omnia, quia oratio
 sicut esse debet sine ira & disceptatione, ita &
 sine hæsitacione, cum tota fiducia & fide. Quod
 in multis quidem locis ostenditur; sed præcipuè

Marc. 11.

in illo, ubi Petrus Domino dicit: *Rabbi, ecce ficus, cui maledixisti, aruit. Et respondens Iesus, ait illis: Habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti, Tolle te & mitte te in mare, & non hesitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei. Propterea dico vobis, omnia quaecumque orantes petieritis, credite quia accipietis, & venient vobis.* Hoc modo orandum & beatus Iacobus

Iacob. 1.

Apostolus admonet, dicens: *Si quis sapientiam postulet à Deo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, ei dabitur. Postulet autem in fide nihil hesitans. Qui enim hesitat, similis est tempestati maris, quæ à vento movetur, & circumfertur. Non ergo estimet ille homo quòd accipiat aliquid à Domino. Vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. Tantam fidem & fiduciam præstat magna multitudo dulcedinis Dei, cui in alio psalmo dicitur:*

Psal. 25.

Quia tu Domine suavis & mitis, & multa misericordia omnibus invocantibus te. Et nobis per Prophetam dicitur: Dissolve conligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes, dimitte eos qui contracti sunt liberos, & omne onus disrumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam. Tunc erumpet quasi manè lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc invocabis, & Dominus exaudiet te; clamabis, & dicet: Ecce adsum. In quibus versibus apertè demonstrat, quòd qui piè audit Dominum, misericorditer auditur à Domino. Sed hos propheticos versus alia translatio sic inchoat: Dissolve obligationes violentarum cau-

Isa. 38.

tionum, dimitte fractos in remissionem, & omnem scripturam iniquam, conscinde. & in fine, adhuc loquente te, dicet, Ecce adsum. Quod valde necesse est, ut prædicetur, audiatur, & impleatur.

XXVII. Hanc multitudinem dulcedinis suæ omnipotens & misericors Dominus per Ezechielem Prophetam annuntiat clementer, & dicit: *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proycite à vobis omnes prevaricationes vestras quibus prevaricati estis, & facite vobis cor novum & spiritum novum. Et quare moriemini, domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus. Revertimini, & vivite.* Sic & per Esaiam ostenditur, cum dicit: *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Hanc suavitatem misericordiæ suæ Dominus nobis offert per eundem Prophetam, dicens: *Memento horum Jacob & Israel, quoniam servus meus es tu. Formavi te, servus meus es tu, Israel, non oblivisceris mei. delevi ut nubem iniquitates tuas, & quasi nebulam peccata tua. revertere ad me, quoniam redemi te.* Et iterum: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.*

XXVIII. Qui autem has dulcissimas vocationes Dei neglexerint in præsentī tempore, dum inveniri potest, & dum propè est, & venerit tempus jam non operandi, sed recipien-

di unumquemque secundum opera sua, audie
 amaras improperationes: *Vocavi, & renuistis;*
extendi manus meas, & non fuit qui aspiceret.
Despexistis omne consilium meum, & increpa-
tionem meam neglexistis. Ego quoque in interitu
vestrorum ridebo. Tunc erit eis illa infructuosa con-

Prov. 1.

Malach. 3.
& 4.

» tur omnibus dicens: Convertimini, & videbi-
 » tis quid sit inter justum & impium, & inter
 » servientem Deo & non servientem ei. Ecce
 » enim dies veniet succensa quasi caminus; &
 » erunt omnes superbi, & omnes facientes im-
 » pietatem, stipula: & inflammabit eos dies ve-
 » niens, dicit Dominus exercituum, quæ non re-
 » linquet eis radicem & germen. Et orietur vo-
 » bismet ipsis nomen meum sol justitiæ, & sa-
 » nitas in pennis ejus, & egrediemini, & salietis
 » sicut vituli de armento, & calcabitis impios,
 » cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum
 » in die qua ego facio, dicit Dominus exer-
 » cituum.]

DE DIVISIONE IMPERII

Francorum inter filios Ludovici

Imperatoris,

Agobardi flebilis epistola.

I. DOMINO gloriosissimo Hludovico Imperatori Agobardus servulus. Cum unusquisque fidelis omni fidei sinceritatem debeat, dubium non est quod præcipuè fidei Prælato, cui res publica ad gubernandum com-

missa est, fides servanda sit ab omnibus qui divinæ dispositioni fideliter subjecti sunt, sicut Apostolus docet: *Omnis, inquit, anima potestantibus sublimioribus subdita sit.* Rom. 13. quanquam circa nullum infideliter agendum sit. Propter quod & alius Apostolus dicit: *Subditi estote omni humanae creature propter Deum.* 1. Petr. 2. & docemur orare pro omnibus hominibus, pro Regibus, & 1. Tim. 2. his qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate. Et in alio loco dicitur: *Ideo necessitate subditi estote,* Rom. 13. *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*

II. Cùm autem hæc ita sint, & omnes vobis fideles esse debeant, quomodo quisquam fidelis vobis esse poterit, si videns aut intelligens vestrum periculum, non se ingerit, quantum potest, ut vobis indicet, & cognitum faciat; si tamen locus aut facultas penitus illi non denegatur? Testor omnipotentem Deum, qui scrutator est cordium & renum, quia nulla alia extat causa, pro qua hæc scribere præsumo, nisi quia doleo, quantum dicere non possum, de periculis quæ vobis imminere videntur, & maximè animæ. Nam quantò excellentior substantia est anima corpore, tantò excellentiori sollicitudine curam animæ gerere debemus quàm corporis; ita Domino docente in Evangeliiis, sicut ipsi optimè nostis. Psa. m. 7.

III. Anno itaque præsentis, in attritione & commotione, agitatione & afflictione terræ & habitantium in ea quanta mala increbuerint, nemo hominum est qui enumerare possit, nulla exigente causa, nulla compellente necessitate

ut ita fieri oporteret certamina, quæ tenemus: quia si voluissetis, tranquillam & quietam vitam ageretur cum filiis vestris, non minus quàm pater vester, & avus. Adsit omnipotens & misericors Deus, qui habitator est pectoris vestri, adsit etiam patientia vestra, qua ceteros homines præcellitis, ut hæc quæ suggero, tranquillè audire & perpendere dignemini.

IV. In illo tempore, quando filium vestrum participem nominis vestri facere curastis, ita in publicum vestrum interrogando hoc inchoastis, dicentes: Quod ad stabilimentum regni pertinet, & ad robur regiminis, debet homo differre, an non? Cùmque omnes respondiissent quod utile & necessarium est, non esse differendum, sed potius accelerandum; statim vos, quod cum paucissimis tractaveratis, omnibus aperuistis; & dixistis vos velle propter fragilitatem vitæ, cui incerta est mors, ut dum valeretis, nomen Imperatoris uni ex tribus filiis vestris imponeretis, in quo voluntatem Dei quoquomodo cognoscere potuissetis. Propter quam cognoscendam injunxistis ut facerent omnes jejunium triduanum, offerrent sacerdotes sacrificia omnipotenti Deo, qui suavis & mitis & multæ misericordiæ est omnibus invocantibus se; fieret quoque ab omnibus eleemosyna per illud triduum solito largior; ut omnipotens Deus, qui summa benignitate regit corda in se sperantium, infunderet in corde vestro voluntatem suam, & non sineret super alium inclinari voluntatem vestram, nisi super eum qui sibi placuisset. Itaque perfecistis omnia quæ in tali re facienda erant, tali fide & spe, ut hoc

à Deo vobis infusum & inspiratum nemo dubitaret. Ceteris filiis vestris designastis partes regni vestri ; sed ut unum regnum esset, non tria, prætulistis eum illis quem participem nominis vestri fecistis ; ac deinde gesta scribere mandastis, scripta signare, & roborare, & consortem nominis vestri factum, Romam misistis à Summo Pontifice gesta vestra probanda & firmanda ; ac deinde jurare omnes jussistis ut talem electionem & divisionem cuncti sequerentur, ac servarent. Quod juramentum nemini visum est spernendum, aut superfluum, sed potius opportunum, atque legitimum, eò quòd ad pacem & concordiam pertinere videretur. In processu quoque temporis, quotienscunque aut quocunque Imperiales litteræ mitterentur, amborum Imperatorum nomina continebant. Postea verò mutata voluntate, convulsa sunt statuta, & de litteris nomen omissum est, & in omnibus contraria attentata sunt ; cùm neque per seipsum Deus, neque per angelum, neque per Prophetam vobis dixerit, *Pœnitete me ita constituisse*, sicut de Saule dixit Samuëli. adhuc quoque nescitis qualiter in secretis Dei consiliis definitum sit. Et ecce, sine ulla ratione & consilio, quem cum Deo elegistis, sine Deo repudiatis, & cujus voluntatem in eligendo quæsitis, non expectato exitu voluntatis ejus, rem probatam reprobatis. Non ignorat prudentia vestra, quòd sequendus est Deus, non præcedendus. Nam qui præcedere vult, tentat quòd non est ex fide, dicente ipso Domino : *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

1. Reg. 15.

Matth. 5.

V. Oro, Domine mi, adsit benignissima

pietas vestra, ne aspernanter ista accipiatis; sed potius ingredimini sacrarium mentis vestrae cum Deo, & loquimini cum illo mediante fidei pietate; & invenietis vos dixisse Deo, non verbis, sed rebus: Domine, rogavimus & deprecati sumus faciem respectus tui suppliciter, ut tua inluminatio & gubernatione eligeremus participem Imperij: sed quia tecum bene non fecimus, sine te melius consilium invenimus. Absit, absit. Avertat Deus à vobis ut inspirationem Dei repudietis, & voluntates hominum carnalia tantum sapientium statuatis, ut in errorem inducamini, & deducamini. Obsecro clementiam vestram, ut secundum à Deo vobis colatam prudentiam perpendatis quomodo beatus Iacobus Apostolus reprehendat eos qui propriis animorum motibus proponunt aliqua se facturos sine prospectu divinae permissionis, dicens: *Ecce nunc qui dicitis, hodie aut cras ibimus in illam civitatem, & faciemus quidem ibi annum, & mercabimur, & lucrum faciemus: qui ignoratis quid erit in crastinum. Quae enim est vita vestra? Vapor est ad modicum parens, deinceps exterminabitur.* Pro eo ut dicatis: Si Dominus voluerit, & Si vixerimus, faciemus hoc, aut illud. Et caveate ab hominibus qui sequuntur spiritum suum, quia non omnium est fides.

Jacob. 4.

2. Tim. 2.

VI. Cognovit Dominus qui sunt ejus; & quicumque ejus sumus, quantulacunque veritatis luce fruimur, & veritate inluminante sinceriter vos amamus, fideliter vestram sempiternam felicitatem exoptamus; & idcirco tanta mala tanta scelera isto anno ex hac occasione perpetrata dolemus, & timemus valde ne in

vos furor Dei concitetur. Recordamur namque ardentissimæ religionis vestræ, quam cognovimus semper in assiduitate orationum, in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus cantantem & psallentem Deo in corde puro, in contritione cordis, in compunctione placidæ mentis, in sollicitudine misericordiarum, & omnium bonorum strenuitate. Et ideo, ut dictum est, timendum nobis videtur, ne tepescat, ne frigescat, optandum verò ut ferveat & augeatur perseverando usque in finem, ut salus sempiterna sequatur.

VII. Et quia superius de legitimo & opportuno juramento mentio facta est, videtur mihi non celandum excellentiæ vestræ quòd multa murmuratio est nunc inter homines propter contraria & diversa juramenta, & non sola murmuratio, sed & tristitia, & detractio adversum vos. quod mihi usquequaque displicet. quorum murmuratio ad illud pertinere eis videtur quod beatus Hieronymus in expositione Hieremiæ dicit in illo loco ubi Propheta ait: *Hier. 4. Et jurabis: Vivit Dominus in veritate & in judicio & iustitia.* Ait ergo prædictus Doctor: *Simulque animadvertendum, quòd iusiurandum hos habeat comites, veritatem, iudicium, atque iustitiam. Si ista defuerint; nequaquam erit iuramentum, sed perjurium.*



*DE COMPARATIONE
utriusque regiminis Ecclesiastici & Po-
litici, & in quibus Ecclesiæ dignitas
præfulgeat Imperiorum majestati.*

I. **D**OMNO clementissimo & Christia-
nissimo ac per hoc omni laude dignif-
simo Imperatori Hludovvico Agobardus. Iubet
vestra prudentissima sollertia contra commotio-
nes hujus temporis paratum esse utrumque or-
dinem, militare videlicet, & ecclesiasticum;
id est, & eos qui seculari militiæ, & illos qui
sacris ministeriis inserviunt; & illos quidem
ad certandum ferro, istos autem ad disceptan-
dum verbo; ut similes similibus obistere va-
leant. In qua re summopere sciendum est,
quòd in congressione armorum plus expectan-
da est iustitia superni regiminis, quàm robur
brachiorum; in altercatione autem sermonum
plusexpectanda est veritas, quàm copia verbo-
rum. Propter quod orandum est ab omnibus
tota intentione mentis, ut ille de quo vos dicitis,
Psalm. 26: Dominus inluminatio mea & salus mea,
quia inluminatio vestra est, inlustret faciem
suam super vos; & quia salus vestra est, salvum
vos faciat in sua misericordia; ut huic orationi
*Psalm. 100: congruenter vos subjungatis: Domine, non con-
fundar, quoniam invocavi te.*

II. Ego igitur servulus vester, cum cogno-
vissem ex vestro sacro Præcepto iustum mihi
esse ad vestram præsentiam properare ita pa-
ratum,

ratum, ut cum ceteris ecclesiasticis viris contra injustos reprehensores justæ reprehensionis oppositionem adhibere possem, visum mihi est ut in Dei & vestro servitio, de anteriorum patrum actibus & sensibus hæc verba, quæ subteradnexa sunt, gloriosissimæ excellentiæ vestræ mitterem; quatinus sancta religio vestra piè pendere dignetur, cujus reverentiæ debitores estis ad vestrum cotidianum profectum erga Sedem Apostolicã. Denique B. Pelagius Papa, cum quosdam redargueret Episcopos, ed quodd nomen ejus reticerent in actione sacri mysterij, id est, in solemnibus Missarum, (in principio scilicet, ubi dicere solemus, *in primis quas tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum, unà cum famulo tuo Papa nostro*) ait ad eosdem Episcopos: Divisionem vestram à generali Ecclesia, quam tolerabiliter ferre non possum, vehementer stupeo. Cum enim beatissimus Augustinus, dominicæ sententiæ memor, quæ fundamentum Ecclesiæ in apostolicis sedibus conlocavit, in schismate esse dicat quicumque se à præsulum earundem sedium auctoritate vel communionem suspenderit, nec aliam manifestet esse Ecclesiam, nisi quæ in pontificalibus apostolicarum sedium est solidata radicibus; quomodo vos ab universi orbis communionem separatos esse non creditis, si mei inter sacra mysteria secundum consuetudinem nominis memoriam reticetis, in quo, licet indigno, Apostolicæ Sedis per successionem episcopatus præsentis tempore videtis consistere firmitatem.]

III. Beatissimus quoque Leo Papa ad universos Viennensis provinciæ Episcopos de auctoritate & privilegio Apostolicæ Sedis ita scribit: Divinæ cultum religionis, quem in omnes gentes, omnesque nationes, Dei voluit gratia coruscare, ita Dominus noster Iesus Christus humani generis salvator instituit, ut veritas quæ antea Legis & Prophetarum præconio continebatur, per apostolicam tubam in salutem universitatis exiret, sicut scriptum est: *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terra verba eorum.* Sed hujus muneris sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, ut in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter conlocaret, ut ab ipso, quasi quodam capite, dona sua velut in corpus omne diffunderet, ut exortem se mysterij intelligeret esse divini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere. Hunc enim in consortium individuae unitatis assumptum, id quod ipse erat, voluit nominari, dicendo: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;* ut æterni templi ædificatio mirabili munere gratiæ Dei in Petri soliditate consisteret; hac Ecclesiam suam firmitate corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, nec portæ contra illam inferi prævalerent. Verùm hanc petri istius sacratissimam firmitatem Deo, ut diximus, ædificante constructam, nimis impia vult præsumptione violare, quisquis ejus potestatem tentat infringere, favendo cupiditatibus suis, & id quod accepit à veteribus non sequendo.] Hæc beatus Leo; sed & alij multi hujusmodi de-

Psal. 18.

Rom. 10.

Matth. 16.

centes, ut illius stabilis petræ sempiterna soliditas, super quam Dominus Salvator noster propriam fundavit Ecclesiam, à solis ortu usque ad occasum primatus sui apicem successorum suorum auctoritate tam per se quàm per vicarios suos firmiter obtineret. Ex quibus beatus Anastasius Papa ad Imperatorem scribens, docet quòd pro Christo fungatur legatione, qui pro pace precatur Ecclesiæ; & ipsum Imperatorem admonet, ut constitutis Apostolicæ Sedis obtemperet.

IV. Certè, clementissime Domine, si nunc Gregorius Papa inrationabiliter & ad pugnandum venit, meritò & pugnatus & repulsus recedet. Si autem pro quiete & pace populi & vestra laborare nititur, bene & rationabiliter obtemperandum est illi, non repugnandum. Si enim quod vestra voluntate & potestate cum consensu totius Imperij vestri factum est, & postea in Apostolica Sede roboratum, hoc vult in pristinum reducere statum, satis rationabilis & opportunus est ejus adventus. Quia nullatenus quod ita est constitutum à vobis, debetis mutare. Nec enim sine gravi periculo & reatu animæ fieri potest.

V. In his sacratissimis diebus Paschalibus perlata sunt ad me litteræ istius Apostolici, præcipientes ut jejunia & orationes cum abstinentia faceremus, si fortè omnipotens Dominus effectum conatui ejus præstare dignetur; quatinus apud vos obtineri possit, ut pax & concordia pristina domui & regno vestro restitatur. Quod ego audiens, compunctus, faciem cordis mei, quantum valui, ad Iesum Christum Do-

minum nostrum levavi, vehementer exoptans ut sine sanguinis effusione tam injustus tumultus per benignissimam omnipotentiam ejus sedaretur.

1. Tim. 3.

VI. Dignetur sublimis prudentia vestra piè perpendere quod Apostolus dicit: *In novissimis diebus instabunt tempora periculosa.* Quæ pericula beatus Papa Gregorius suo jam tempore, quando adhuc status idem multò & incomparabiliter melior erat quàm nunc, ita deplorat, dicens: Tantis quippe in hoc loco hujus mundi fluctibus quatior, ut vetustam ac putrescentem navem, quam regendam occulta Dei dispensatione suscepi, ad portum dirigere nullatenus possim. Nunc ex adversò fluctus irruunt, nunc ex latere cumuli spumosi maris intumescunt, nunc à tergo tempestas insequitur; intèrque hæc omnia turbatus, cogor modò in ipsa clavum adversitate dirigere, modò curvato navis latere minas fluctuum ex obliquo declinare. Ingemisco, quia sentio quòd negligente me crescit sentina vitiorum, & tempestate fortiter obviant, jam jamque putridæ naufragium tabulæ sonant.] Heu, heu! Si tunc jam putrescebat navis Ecclesiæ, & si ejus tabulæ jam putridæ erant, quid nunc est?

VII. Hæc verba, piissime Domine, beatissimi Doctoris propterea ad memoriam vestram reducere præsumpsi, ut quia nemo dubitat vos multò & ineffabiliter plus esse amatorem regni cœlestis quàm terreni, permanfuri quàm transitori, & juxta vestram sanctam fidem, spem, & caritatem de nullo alio opere potestis tam carè Deum placare, quàm de solli-

DE COMPAR. VTR. REGIMINIS. 53
citudine & administratione pacis & unitatis
Ecclesiæ, vestra sollertissima religio elaborer ut
omnis anima fidelis proficiat in fide & cogni-
tione Dei. quæ res omnibus rebus Deo carior
est. Hujus rei nisus merita vestra adpropinqua-
re faciat apostolicis meritis,

EPISTOLA GREGORII IV.
*Papæ ad Episcopos Regni
Francorum,*

ROMANO Pontifici scribentes, contrariis
Reum in Præfatione nominibus appellastis,
Fratrem videlicet, & Papam; dum congruen-
tius esset solam ei paternam reverentiam exhi-
bere. Adventu quoque ejus comperto, lætari
vos dicitis, credentes omnibus Principi scilicet
subjectis profuturum, & optasse. occursum
vestrum nobis non negandum, nisi sacra jussio
imperialis præveniret. Quæ verba reprehensi-
bilia sunt, uno quidem modo, quia jussio Apo-
stolicæ Sedis non minùs vobis sacra videri de-
buerat, quàm illa quam dicitis imperialem.
deinde, quia veritate caret, quòd dicitis illam
prævenisse. non enim illa prævenit, sed nostra,
id est, Pontificalis. Neque ignorare debuera-
tis, majus esse regimen animarum, quod est
Pontificale, quàm imperiale, quod est tem-
porale. Beatus Gregorius Nazianzenus non
hoc timuit coram Imperatoribus in Ecclesia
prædicare. Sic enim ipsis Imperatoribus loquitur,
dicens; *Suscipitisne libertatem verbi, liben-*

cc Gregor. Nā-
zian. de he-
rem. discip.

» ter accipitis quòd lex Christi sacerdotali vos nostram
 » subjicit potestati, atque istis tribunalibus subdit?
 » Dedit enim & nobis potestatem, dedit principatum,
 » multò perfectiorem principatibus vestris.
 » Aut numquid justum vobis videtur, si cedat spiritus
 » carni, si à terrenis cœlestia superentur, si divinis
 » preferantur humana? Quare igitur vos, sicut veri
 » sacerdotes, divini videlicet cultus ministri, non
 » humani, non respondetis Imperatori, cujus sacra vos
 » dicitis jussione præventos, sicut isdem beatus
 » Gregorius alloquitur Imperatorem præsentem, dicens:
 » Patienter, quaso, accipe libertatem nostram. Scio te ovem
 » esse gregis mei à Christo mihi summo pastore annu-
 » meratam, & à sancto Spiritu consignatam; scio te
 » inter sacra altaria cum veneratione subjici manibus
 » sacerdotis; scio te beata Trinitatis cultum fidemque
 » non tua sed nostra predicatione servare. Et post aliqua:
 » Memento semper quòd una tibi natura est eademque substantia
 » cum omnibus qui tibi subiecti sunt. Tu tamen animo
 » esto cum Deo, & non tam dominari te mundo, quàm
 » dominari tibi Christum, gloria re. Quare etiam nunc
 » commorantes cum Imperatore, intermittentes stultissimas
 » adulationes, non ei prædicatis cum beato Augustino dicentes:
 » Felices dicimus Imperatores, si justè imperant; si inter
 » linguas sublimiter honorantium & obsequia nimis
 » humiliter salutantium non extolluntur, & se homines
 » esse meminerint; si suam potestatem ad Dei cultum
 » maximè dilatandum majestati ejus famulam faciunt;
 » si Deum timent, diligunt, colunt; si plus amant illud
 » regnum, ubi non timent habere consortes; si tardius vindicant,

Ang. lib. 5
 de civ. Dei
 cap. 24.

& ignoscunt; si eandem vindictam, pro necessita-
 te regenda tuendaque Reipublica, non pro satu-
 randis inimicitiarum odiis exerunt; si eandem ve-
 niam non ad impunitatem iniquitatis, sed ad spem
 correctionis indulgent; si quod asperè coguntur
 plerunque decernere, misericordia lenitate & be-
 neficiorum largitate compensant; si luxuria tanto
 eis castigatior, quanto posset esse liberior; si ma-
 lunt cupiditatibus quàm quibuslibet gentibus im-
 perare. Et si hac omnia faciunt, non propter ar-
 dorem inanis gloria, sed propter caritatem felici-
 tatis aeterna; si pro suis peccatis humilitatis & mi-
 serationis & orationis sacrificium Deo suo vero
 immolare non negligunt; tales Christianos Impe-
 ratores dicimus esse felices interim spe, postea re
 ipsa futuros, cum id quod expectamus advene-
 rit. Vos autem è contrario, quia non vultis
 esse veri ædificatores, estis proculdubio veri de-
 ceptores, sicut scriptum est: *Popule meus, qui*
beatum te dicunt, ipsi te desipiunt, & viam gres-
sum tuorum dissipant. Deinde, postquam dixi-
 stis vos lætatos esse de adventu nostro, iterum
 intulistis quorundam relatione magno mœrore
 affectos. quod utique facit instabilitas mentis.
 Verum est omnino quoniam qui hæsitat, simi-
 lis est fluctui maris qui à vento movetur. Sed
 inter has hæsitationes nimis stolidè nos judi-
 catis immemores esse pastoralis officij & distri-
 ctissimæ moderationis. Deinde, sicut scriptum
 est, cum sit timida nequitia, dat testimonium
 condemnata; adjungitis quod omni verecun-
 dia dignum est, dicentes nos venire propter
 quandam præsumptuosam & omni ratione ca-
 rentem excommunicationem faciendam; & ad-

Isa. 3.

Iacob. 1.

Sap. 17.

„ monetis nos nimis involutis & confusis sermo-
 „ nibus & sensibus, ut neque nostra voluntate ne-
 „ que alterius hortatu præsumptione prorumpamus;
 „ eò quòd, ut dicitis, pertineat ad injuriam
 „ ac dehonestationem Imperialis potestatis, & ad
 „ minorationem & reprehensionem nostræ au-
 „ thoritatis. Dicite, quæso, quæ sunt ista por-
 „ tenta verborum? & quid potius pertinet ad de-
 „ honestationem imperialis potestatis, opera
 „ digna excommunicatione, an ipsa excommu-
 „ nicatio? Sed quia hæc verba vestra exaggerare
 „ laboriosum est, eò quòd plena sint nausæ; tan-
 „ tùm illud flagito, ut dicatis quomodo potest
 „ fieri, ut manente Apostolicæ Sedis honore,
 „ mea tantùm persona in causa reprehensionis &
 „ vituperationis remaneat? Nullo modo enim fie-
 „ ri potest, ut si is qui locum beati Petri tenet,
 „ exhonoratur, sine crimine duntaxat, cathe-
 „ dra ejus honorata permaneat. In tantum autem
 „ honoranda est Cathedra Pontificalis, & pro-
 „ pter Cathedram sedens in illa, ut etiam de Cai-
 „ pha crudelitate & incredulitate impio dicat
 „ Evangelista: *Hoc autem à semetipso non dixit.*
 „ *sed cum esset Pontifex anni illius, prophetavit*
 „ *quia Iesus moriturus erat pro gente.* Vnde con-
 „ stat etiam impium Caipham propter Cathe-
 „ dram honoratum esse prophetia. Vos autem fi-
 „ delem & cultorem pietatis Pontificem dehonestandum prædicatis absque injuria Sedis. quod
 „ omnino falsum est. Bene autem subjungitis,
 „ memorem me esse debere jurisjurandi causa fi-
 „ dei facti Imperatori. Quod si feci, in hoc volo
 „ vitare perjurium, si annuntiavero ei omnia quæ
 „ contra unitatem & pacem Ecclesiæ & regni

committit. quod si non fecero, perjurus ero, cc
 sicut & vos. si tamen juravi. Vos tamen, quia cc
 proculdubio jurastis & rejurastis, promittentes cc
 ei erga illum omnia fideliter vos agere, & nunc cc
 videntes illum agere contra fidem, & præcipi- cc
 tari in perniciem, non revocatis eum quantum cc
 ex vobis est, perjuri estis: quia pro ejus salute cc
 secundum fidem promissam non laboratis. cc
 peinde promittitis mihi venerabilem receptio- cc
 nem, si tamen ita ad illum venero, ut ejus vo- cc
 luntas est. Hæc non in libris divinis, sed in ve- cc
 stris conscientiis legitis, qui omnia facitis pro- cc
 pter temporalem retributionem, eò quòd sitis cc
 arundines vento agitatae, & omnes auræ vos fle- cc
 ctant. Pensate, pensate fratres, quàm longè cc
 est mens vestra ab illa petitione, qua in celebra- cc
 tionibus Missarum soletis dicere Deo, non vo- cc
 luntate, sed voce: *Da nobis pro amore tuo pro-* cc
spera mundi despiciere, & nulla ejus adversa for- cc
midare. Nam si ex corde hæc peteretis, jam de- cc
 didisset ille qui dicit: *Petite, & dabitur vobis.* cc
 Deinde dicitis illam primam divisionem regni, cc
 quam inter filios suos fecerat Imperator, nunc cc
 juxta rerum opportunitatem esse mutatam. cc
 quod omnino dupliciter falsum est. vno quidem cc
 modo; quia non est opportunitas, sed impor- cc
 tunitas, eò quòd sit causa & origo conturba- cc
 tionis & dissensionis, commotionis & depræda- cc
 tionis, & omnium malorum quæ per singula cc
 dicere longum est, extra perjuriam innumera, & cc
 fidei ac pacis expulsionem. alio verò modo; quia cc
 necdum scitis, utrum sit commutata, an per ve- cc
 rum Regem & Dominum maneat inlibata. Ista cc
 enim commutatio, quam vos dicitis juxta re- cc

Matth. 18

Joan. 12.

rum opportunitatem factam, inde cognoscitur
 quia non fuerit per Deum, quia multorum pec-
 catorum origo existit. Illud namque quod per
 voluntatem Dei fit, plerunque causa est pres-
 suræ & persecutionis; sicut factum est adver-
 sùm sanctos Apostolos, & Martyres, qui non
 propter aliud passi sunt, nisi propter defensionem
 & confirmationem evangelicæ veritatis.
 Causa autem peccatorum & scelerum esse non
 potuit, sicut vestra divisio est, quam dicitis fuisse
 opportunam. Deinde, quod grandi supercilio
 dicitis, quia si reverenter venerimus ad Imperatorem,
 per ipsum cognoscemus omnem rei veritatem,
 quare opportunè & utiliter mutata sit divisio,
 hoc loqui cogit vos magnitudo superbiæ,
 æstimantes solos vos posse rerum cognoscere
 causas. Verè dico vobis, quia non solum stultus,
 sed & infelix est, qui non intelligit quantos &
 quales fructus malorum protulit vestra commutatio,
 & de cuius thesauro maligni cordis processit,
 & pro qua re vos laudatores & defensores
 estis hujus malignitatis. Deinde subjungitis,
 quia nisi secundum voluntatem vestram venero,
 non habeo Ecclesias vestras consentaneas,
 sed in tantum contrarias ut nihil mihi in
 vestris parrochiis agere vel disponere liceat,
 nec quempiam excommunicare vobis ob-
 sistentibus. Verè verum est quod Veritas
 dicit: *Malus homo de malo thesauro cordis sui
 profert mala.* Quare mihi contrarij cum Eccle-
 siis vestris esse debetis in legatione pacis,
 & unitatis, quod Christi donum & ministerium
 est? An ignoratis angelorum cantu promissam
 esse pacem in terra hominibus bonæ voluntatis?

Matth. 12.

Luc. 1.

per Apostolum autem tribulationem & angustiam in omnem animam hominis operantis malum? Hic apparet quod congruat vobis illud quod Scriptura dicit: *Arma & gladij in via perversi*. Vos conamini obsistere perversitatibus vestris nobis, qui legatione fungimur pacis. Nam quicumque inter vos membra Christi sunt, non eum potestis abscindere à corpore capitis, quod est Christus. Nam etsi vos datis operam separandi à corpore vos ipsos, tamen sicut semper fuit, est, & erit; ut unguentum illud, Spiritus videlicet sanctus, (qui descendit à capite Christi in barbam, quæ est Apostolorum chorus; & de hac barba in ora vestimenti, quæ est capitium tunicæ, Ecclesiæ scilicet Christi, quod capit caput, ut inhabitet Christus per fidem in corde ejus.) in omnibus ubique fidelibus servet unitatem spiritus in vinculo pacis. Hæc idcirco dicimus, ut noveritis non vos posse dividere Ecclesiam Gallicanam & Germanicam ab unitate tunicæ quæ subjacet capicio, sublimioribus videlicet membris Ecclesiæ, qui proximiores sunt barbæ, Apostolis scilicet, ac per hoc apostolicis sedibus; sicut barba non potest esse nisi in capite. Deinde dicitis, rem ridiculam subinferentes, & quod potius tacere quàm dicere maluimus; Si autem non egeritis, assensusum consilio nostro non præbueritis, honoris vestri periculo subjacebitis; si potius maluistis, id est, magis voluistis tacere, quàm dicere, quare non tacuistis? Consuetudo est in vobis ut id quod minus est, vincat quod majus est. Major voluntas extitit in vobis tacere, minor autem dicere; & tamen minor vicit majorem.

Pr. v. 22.

August.
 contra lit.
 Petil. l. 2.
 c. 104.

» Credendum est omnino, quoniam in discordia-
 » rum amatoribus victrix est cupiditas, victa con-
 » tinentia. Illud verò quod minari vos cognosci-
 » mus periculum gradus, quis explicare poterit
 » quantum sit absurdum, quantumque inconve-
 » niens & stultum; cùm vestra comminatio non
 » sit propter crimen, homicidium scilicet, sacri-
 » legium, aut furtum, vel aliquid hujusmodi; sed
 » nisi ita venerimus, sicut ipsi vultis, cui rei in ar-
 » gumento adiungitis juramentum; & non recor-
 » damini erubescerent, quia perjuri pejeratum
 » degradare non possunt, etiam si essem. Denique
 » vos non me scitis esse pejeratum. De vobis au-
 » tem nemo qui dubitet hoc esse. In hac re me-
 » mor esse debuerat sollertia vestra, quia quicun-
 » que cloacam commovet, quanto amplius com-
 » moverit, tanto ampliorem fœtorem exhalari
 » facit. Quod autem de sequentibus me fratribus
 » & cœpiscopis similiter promittitis agendum,
 » & additis, *inretractabiliter*; miranda in hoc præ-
 » sumptio vestra cognoscitur. Numquid quod in
 » parte agitur, retractari apud universitatem non
 » poterit? Numquid quod apud homines à recti-
 » tudine deviantes agitur, apud meliores, recti
 » videlicet tenaces, retractari non debet? aut
 » quod in præsentem malitiosè judicatur, Dei judi-
 » cio retractandum non erit? Quod vestræ minæ
 » continent, nunquam adhuc ab initio Ecclesiæ
 » factum est. Nam etiam si ego fuisset perjurus;
 » aptandum vobis erat illud evangelicum: *Neque*
 » *tu times Deum, cùm in eadem damnatione sis?*

Luc. 23.

A G O B A R D I L I B E R
apologeticus pro filiis Ludovici Pij
Imperatoris adversus patrem.

I. **A**VDITE hæc omnes gentes, audiat terra & plenitudo ejus à solis ortu & occasu, ab aquilone, & mari; & sciant & recogitent pariter Domni & Imperatoris Hludovvici filios justè fuisse & esse indignatos, & bene sentire & intendere ad expurgandum paternum Palatium à sordibus facinorum & iniquis factionibus, & regnum ab amarissimis & tumultuosis inquietudinibus; tantùm ut inter eos germana fides & fraterna sinceritas Deo digna & omni fideli populo beneplacita persistat, & inviolabiliter perseveret.

II. Igitur cùm prædictus Domnus & Imperator quietus esset in domo, & florens in Palatio suo, cùm adhuc juvenem conjugem sub sui reverentia custodiret, & secundùm Apostolum, uxorium debitum illi persolveret, in processu verò dierum cùm cœpissent hæc primùm tepescere, deinde frigescere, ac per hoc & mulier resolvi in lasciviam, cessantibus licitis conversa immo adversa ad illicita, adscivit sibimet aptas personas ad perpetranda turpia, & primùm latenter, deinde impudenter. Cognoverunt autem hoc initio pauci, deinde plures; ad postremum autem multitudo Palatij, & regni, ac finium terræ. quam rem inridebant minores, dolebant majores, omnes autem clari viri in-

tolerandum judicantes. Concitati itaque sunt spiritus filiorum Imperatoris rationabili zelo, videntes maculatum stratum paternum, sordidatum Palatium, confusum regnum, & obscuratum nomen Francorum, quod hactenus clarum fuerat in toto orbe. Et surgentes singuli uno & pio consensu in emundatione scelerum, conueniunt simul; & aliis comprehensis, aliis effugatis, auctrice verò malorum exclusa à Palatio, inclusa custodiæ, mutato habitu regali, induto habitu sanctimoniali, reddiderunt patrem quieti & aliquantulæ honestati. Cùmque per nimiam filiorum remissionem bene acta dissoluerentur, per carnalium blandimenta & cupidorum scelestos favores, atque indecoras adulationes, iterum mulier, tanquam legitima Domina, revocata est in Palatium, & prælata Consiliis & Consiliariis; cujus instigationibus mutata est mens rectoris, & cœpit duris cornibus ventilare filios, & conturbare populos. Sicquæ factum est inauditum antea mortalibus, ut non tam persecuti injustè sustinerent persecutiones, quàm persecutores inviti & coacti exercerent, & non solùm exercerent, sed & sustinerent, dum violentissimè in diversa & contraria juramenta compelluntur.

III. Adtendite, & videte si factum est unquam hujusmodi. Iuratum est ergo Imperatori seniori, & eodem jubente iidem ipsi juraverunt Imperatori juniori; & iterum ipso faciente, aliqui ex ipsis juraverunt Regi fratri, & ad postremum penè omnes compulsi sunt jurare puero. Et ne ibi quidem remansit. Sed quasi nihil horum fuisset, adhuc exorta sunt juramenta.

Numquid super his non visitabo, dicit Dominus? & inulta remanebit despectio Dei, & pollutio nominis ejus? sicut scriptum est: Non pejerabis, nec pollues nomen Domini Dei tui. Hier. 5.
Levit. 29.

Ecce, patefactis abyssis stultitiarum, ad quid perventum est? Cùm enim deberent exercitus mitti adversùs exterarum gentes, & ipse Imperator adversùs barbaras nationes dimicare, ut eas fidei subjugaret ad dilatandum terminum regni fidelium; (Sic namque orat universalis Ecclesia in solemnibus illis orationibus, diebus Passionis Dominicæ, pro Imperatoribus: *Ut Deus illis subjectas faciat barbaras nationes.*) nunc è contrario omne regnum cum extremitatibus suis conglobatur in unum in medio sui, diversa tamen intentione, dum alij parantur ad intestina viscera dirumpenda, alij ad pacandam, si fieri potest, injustissimam discordiam. qui omnes pia mente perpendere debuerant quod dicitur in prædictis orationibus, ubi sacerdos admonet, dicens: *Oremus & pro Christianissimo Imperatore nostro, ut Deus & Dominus noster subditas illi faciat omnes barbaras nationes, ad nostram perpetuam pacem.* Domus ergo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis, orat ut Christianissimo Imperatori barbari subiciantur, non ut subjecti conturbentur & barbarizentur. Neque enim Christianissimi Imperatoris est subjectos exturbare, & unitos dividere.

IV. O Domine Deus cæli ac terræ, cur permisisti fidelissimum & Christianissimum servum tuum Imperatorem nostrum in tantam devenire negligentiam, ut videre nolit quibus malis

circumdatus sit? Diligit enim odientes se, & odit diligentes se. Quid si verum est, quod plerique, qui subtiliùs intelligere videntur, affirmant; quòd scilicet sint aliqui in latere ejus, qui in- hianter expectant exterminium filiorum ejus? Quod si viderint, conlatum habent inter se ut in Imperatorem mittant manum, & disper- tiant sibi regnum. Hoc utrum verum sit, ipsi norunt. Multi tamen sunt, qui non ambigunt illos, de quibus dicitur, ita incumbere regno, tanquam parieti inclinato, & macerix impulsæ: Vnde constat, quia nisi Deus subvenerit, aut exteris dabitur regnum, aut in multos tyrannos dispertietur, aut forsitan Antichristo, cui præ- parabitur, quod in hoc assimilatur: quoniam Imperator, qui adversùs barbarorum Reges bella justa disponere debuerat, adversùs dile- ctos sui filios injusta agere parat.

V. Dicunt etiam aliqui quòd Domina Pala- tij senioris, extra illa quæ de ejus occultis & non occultis dicuntur, ludat pueriliter, spectan- tibus etiam aliquibus de ordine sacerdotali, & plerisque concludentibus, qui (secundùm for- mam quam Apostolus scribit de eligendis Epi- scopis, dicens, *Domui suæ bene præpositum, fi- lios habentem subditos cum omni castitate; quia si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesie Dei diligentiam habebit?*) prædicare debuerant dominæ ludenti: Si qua Regina semetipsam re- gere non novit, quomodo de honestate Palatij curam habebit? aut quomodo gubernacula re- gni diligenter exercet? Reducere quoque ei ad memoriam debuerant quod suprascriptæ senten- tiæ congruenter aptari potest, quantum tamen

ad

Psal. 51.

1. Timot. 3.

ad exteriorem sensum pertinet, quod in alio loco sacra Scriptura dicit: *Mulier diligens, corona est viro suo; & puredo in ossibus ejus quæ confusione res dignas gerit.* Et iterum: *Tecta per-* Prov. 12.
stillantia in die frigoris & litigiosa mulier comparantur. Qui retinet eam, quasi qui ventum teneat, & olenm dextera sua evacuet. Sed fortè dicturus est aliquis: Hæc non est litigiosa, sed suavis, & blanda. Quibus verbis respondendum est, non esse majus litigium, quam boni patris bonos filios inritare, exacerbare, exhonorare, & penitus à patre alienare velle. quæ quia propter solam pulcritudinem à viro inofficiosè diligi fertur, inculcandum utrique fuerat quod iterum eadem Scriptura dicit: *Fallax* Prov. 27.
gratia, & vana est pulcritudo. Mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. Prov. 31.

VI. Nunc igitur omnes timentes & amantes Deum, Regem quoque & regnum, pacata societate, rebus mundi utentes, rebus divinis fruentes, omni conamine dare operam debent ut exprimat vulnus iniquitatis, & obducatur cicatrix sanitatis; absquè sanguinis effusione; absque strage interfectionis, absque amaritudine jurgiorum, absque turbulenta & fœtida commixtione spirituum immundorum. Ut verè dicatur de Ecclesia hujus regni: *Hac est domus* Gènes. 28.
Dei, & porta cœli. Porta autem inferi non preva- Math. 16.
lebunt adversus eam. Et iterum: *Dominus Deus* Seph. 3.
tuus in medio tui fortis, ipse salvabit. Gaudebit super te in latitia, silebit in dilectione tua, & exultabit super te in laude. Nugas, qui à lege recesserant; congregabo, quia ex te erant; ut non ultra habeas super eis opprobrium. & dicat omnis 1. Par. 16.

populus, Amen, Amen, & hymnum Deo.

VII. Sicut veritas non est tantum in dictis, sed & in factis, (Sic enim Apostolus demonstrat, dicens: *Veritatem facientes in caritate, crescimus in illo per omnia, qui est caput Christus.* Et alius Apostolus: *Filioli, non diligamus verbo, nec lingua, sed opere, & veritate.* Et iterum: *Si dixerimus quoniam societatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & non facimus veritatem.*) ita quoque mendacium non est tantummodo verborum, sed & factorum; sicut in Apocalypsi loquitur Dominus, dicens: *Non intrabit in eam* (haud dubium quin civitatem cœlestem) *aliquid coinquinatum, & faciens abominationem & mendacium.* Et paulò post: *Omnis qui amat & facit mendacium.* Et Dominus in Evangelio de inventore omnium malorum ait: *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* Si ergo illa veritas (de qua & in Psalmis cantamus: *Propè esto Domine, & omnes via tua veritas.*) omnium hominum mentes possideret, etiam sine rectoribus & principibus res mundi concordî societate pacatæ manerent. Nunc autem quia ille qui in veritate non stetit, contra veritatem agere nunquam desistit, & dormientibus hominibus scandalorum zizania seminare non cessat, apta sibi corda satis inveniens, quæ foveant & nutriant semina ejus; redundat malum commotionis, quod quietem pacis & unitatis insano furore conturbet. Propter quod sollicitè vigilandum est, & sagaciter agendum contra corruptores veritatis & pacis, lingua & manu; ut aut cohibeantur, aut comprimantur.

Eph. 4.

1. Ioa. 3.

1. Ioa. 1.

Apocal. 21.

Apoc. 22.

Ioan. 8.

Psal. 118.

VIII. Commotio itaque hujus temporis & harum regionum, quæ mira omnipotentis Dei suavitate & dulcedine sine conflictu armorum sedata est, non segniter memoranda est; sed debet corda fidelium in laudibus Dei & gratiarum actione alacriter succendere, & ad sollicitiam cautelæ sollicita reddere. Quæ commotio & conturbatio quale habuerit initium, vel originem, non est penitus reticendum. Igitur cum Christianissimus & piissimus Imperator Dominus Hludovicus bonæ conjugis fide & moribus sibi congruentis consortium amisisset, necesse fuit ut aliam sibi acciperet, quæ ei posset esset adjutrix in regimine & gubernatione Palatii & regni. Sed occulto Dei judicio talis assumpta est, quæ licet in primis annis viri & domini sui virtute & potestate pressa, subdita fuerit, tamen in processu temporis talis inventa est, quæ magnorum fluctuum commotio, & conturbationis largus thesaurus esse posset; quæ non solum plebes, ac populos, sive Principes, verum etiam elegantissimos filios Imperatoris, etiam conjugatos, & gubernacula regnorum possidentes, affligeret, contristaret, & conturbaret, & penè attereret & exterminaret. Cumque talibus incrementis viderent hi quibus curæ erat de statu & honore regni, ac tranquillitate pacis, & quiete populi, dehonestari Palatium, obscurari claritatem regni, & ad ignominiam deduci nomen regnantium, cœperunt queri, & murmurare, ac dolere, & deplorare. Inter hæc concitati sunt spiritus virorum honoratorum, & filiorum Regis; & crescente conludio, accedente etiam consilio, convenerunt

singuli de loco suo, & conjuncti ad Palatium; effugaverunt ministros sceleris; & Reginam, quæ totius mali causa erat, excluderunt de domo & honore regni, & constituerunt in re-
 trusionem exilij; ac deinceps quasi jam libera-
 tum bonum patrem de laqueo ruinæ, gaude-
 bant se impleisse quod inscriptum est: *Ejice de-
 risorem, & exhibit cum eo jurgium, cessabuntque
 causa, & contumelia.* Hoc tam inreprehensi-
 bile factum & omni laude dignissimum cum
 compleissent filij, redierunt ad sua, restituto pa-
 tre honori & gloriæ suæ.

IX. His ita transactis, inimicus omnis bo-
 ni, auctórque omnis mali, qui non reliquerat
 corda possessa, satagit instaurare & redintegra-
 re malum suum; & Regina (quæ mutato ha-
 bitu regali putabatur perdurare in habitu san-
 ctimoniali, sicut ordo poscebat, & reſtitudo
 judicij docebat) reducta est in Palatium, & as-
 sumpta in consortium quasi legitima conjux,
 quod esse jam nullatenus poterat. Conlocata
 itaque turpiter & indecenter in fastigio regali,
 prius malum auxit, & multiplicavit. Ad quod
 bonus filius quid agere debuit? Numquid diffi-
 mulare? Numquid silere? Numquid quiesce-
 re? Non ita placuit illi indormitabili oculo,
 qui custodit Israël suum; sed suscitavit spiritus
 filiorum, & convenerunt iterum ad succinden-
 dam recidivam malorum stirpem. Timebant
 enim ne patri eveniret illud quod de quodam
 Rege Scriptura sancta loquitur, dicens: *Igitur
 non fuit aliter talis ut Achab, qui venundatus est
 ut faceret malum in conspectu Domini. Conci-
 tavit enim eum Iezabel uxor sua, & abominabilis
 factus est.*

Prov. 11.

E.

1. Reg. 21.

X. Sed fortè aliquis diversæ voluntatis homo amovere nitatur hæc verba Scripturæ sanctæ, tanquam inconvenientia, cò quòd sequatur, *in tantum, ut sequeretur idola Amorrhæorum*. Noverit quisquis ille est, non posse evacuari congruentiam eorum in hoc loco. Quoniam tempore legis in veteri populo idola & simulacra significabant omnes errores in novo populo, tempore videlicet Gratix. Nam & ipse ordo horum verborum ita intelligendus est: Abominabilis factus est diversis cupiditatibus & inlecebris, ut etiam evidenter ad cultum rueret idolorum. Quisquis autem aliter hîc sentire vult, penset qualiter contradicat Apostolo dicenti: *Et avaritiam, qua est simulacrorum servitus*; & videat quàm veraciter dictum sit: *Radix omnium est cupiditas: quam quidam appetentes, erraverunt à fide*. Si ergo cupiditas errare facit à fide, & avaritia simulacrorum est servitus; quod malum remanet, quod non de radice cupiditatis oriatur? Propter quod fideliter colligendum est, omnes appetitores divitiarum, gloriæ, & honoris secularis, atque primatus, quàm non longè absint ab idolorum cultura.

Colof. 3.

1. Timor. 6.

XI. Hæc propterea dicimus, ut ostendamus mala & bona antiquorum, malis & bonis congruenter aptari, & his qui errant in novo populo. Et quanquam Achab concitante se uxore sua erraverit à fide, & ea auctrice perpetraverit facinus illud de morte Naboth Iezrahelitæ, correctus tamen ab Helia Propheta, non correctus, compulsus est agere pœnitentiam. qua actione pœnitentiæ mala sibi imminencia distulit, non

4. Reg. 9.

abstulit. Hoc si rectè perpendatur, liquidò demonstrat, quantum noceant uxores malæ viris suis. Iehu autem, quem Dominus suscitavit in Regem ad puniendam domum Achab & ejus deceptricem uxorem, licèt æternam vitam non promeruerit, eò quòd à peccatis Hicroboam non recesserit, quia studiosè exercuit ultiones Domini de Iezabel, & domum ejus quem illa concitaverat, concessum est ei ut filij ejus usque ad quartam generationem regnarent. Post eum beatus quoque Ioiadas & sanctus Pontifex, quia Athaliam impiissimam interfici jussit, & Ioas in solio patris collocavit, & Hierusalem à fordibus & immunditiis purgavit, tali eum laude exornat Scriptura divina, dicens: *Senuit autem Ioiada plenus dierum, & mortuus est cum centum triginta esset annorum; sepelieruntque eum in civitate David cum Regibus, eò quòd fecisset bonum cum Israël, & cum domo ejus.* Ecce iste pius Sacerdos, & temporali & æterna retributione remuneratus est; Iehu autem tantùm temporali.

4. Reg. 11.

2. Par. 24.

Hebr. 11.

XII. Videamus quoque quid Samson contigerit, quem Apostolus in catalogo virorum justorum enumerat. Amavit itaque mulierem non amantem se; quæ plus obtemperavit inimicis ejus, quàm amico amanti se. Et quia ille vir justus credidit mulieri infideli, ideo & lumen oculorum amisit, & ducatum Israëliticæ gentis perdidit. Cui licèt postea restituta sit virtus pristina, & ignominiosam vitam gloriosa morte finierit; æterna quidem vita non caruit, tamen ducatum pristinum non recuperavit. Sic ergo dignetur Dominus dudum Imperator piè

perpendere, ut cœleste & sempiternum regnum non perdat: qui deceptus à muliere, terrenum & temporale amisit. Cedat divinis judiciis, quia nihil in terra sine causa. Voveat & reddat Domino Deo terribili, & ei qui aufert spiritum Principum. Bonorum enim Regum est dicere: *Semper quasi timentes super me fluctus timui Deum.* Hæc dixit beatus Iob: qui conanti se decipere uxori suæ non consensit, sed rigida invectione redarguit dicens: *Quasi una de stultis mulieribus locuta es,* qui & in alio loco de Deo dicit: *Apud ipsum est fortitudo & sapientia. Ipse novit & decipientem, & eum qui decipitur.* Et: *Baltheum Regum dissolvit, & praeingit fune renes eorum.* Et iterum: *Qui immutat cor principum populi terræ, & decipit eos ut frustra incedant per invium.* quod & ipsi beato Iob contingeret, si suasionem uxoris suæ libenter audisset. Ideo ergo terribilis Dominus, non tantum populis terræ, sed & ipsis principibus populi, de quo quidam Rex superbus & humiliatus confitetur coactus dicens: *Altissimo benedixi, & viventem in sempiternum laudavi, & glorificavi: quia potestas ejus potestas sempiterna, & regnum ejus in generationem & generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt. iuxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cœli, quam in habitatoribus terræ, & non est qui resistat manui ejus, & dicat ei, Quare fecisti?* Et post pauca: *Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico Regem cœli: quia omnia opera eius vera, & via ejus judicia, & gradientes in superbia potest humiliare.*

Psa. m. 95.

Iob. 31.

Iob. 21.

Iob. 12.

Dan. 4.

XIII, Neq; ullo modo hæc idcirco dicimus, ut Domnum quondam nostrum Imperatorem impiis & infidelibus Regibus comparemus. Sed quia permisit se à muliere iniqua decipi, contigit illi quod scriptum est: *Qui conturbat domum suam, possidebit ventos.* Per quam conturbationem, & ventorum possessionem, perpetrata sunt innumerabilia perjuria, & deprædationes immensæ, cum homicidiis, adulteriis, & incestis, pro quibus omnibus pœnitentiis necessarium est religiosissimo quondam Imperatori, ut redeat ad cor suum, agâtque pœnitentiam, humiliatus sub potenti manu Dei, cui non est impossibile tribuere illi exaltationem æternæ vitæ: quia exaltatio temporalis vitæ iam non congruit illi, qui conturbata domo & mente, divina dispensatione & iudicio cessit alteri, & locum dedit non cuilibet inimico aut extraneo, sed carissimo filio. Propter quod in omni iucunditate & exultatione cordis sui summas gratiarum actiones summo omnipotenti Deo indefinenter persolvere debet; quia, sicut semper optavit, non successit illi in regnum inimicus expugnator, sed filius amator, Nunc ergo audiant omnes in commune tumultuosi & quieti Prophetam dicentem: *Sileat omnis terra à facie Domini.* & Psalmistam: *Timeat Dominum omnis terra, ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem. Quoniam ipse dixit, & facta sunt; ipse mandavit, & creata sunt, & cetera.*

Prov. 11.

1. Petr. 5.

Psal. 31.

Zachar. 2.



*AGOBARDI CARTVLA
Porrecta Lothario Augusto in
synodo Compendiensi anno
DCCCXXIII.*

IN nomine Dei ac Domini nostri Iesu Christi. Anno incarnationis ejus octingentesimo tricesimo tertio, ego Agobardus Lugdunensis Ecclesiæ indignus Episcopus interfui venerabili conventui apud Palatium quod nuncupatur Compendium: qui utique conventus extitit ex reverentissimis Episcopis, & magnificentissimis viris inlustribus, collegio quoque Abbatum, & Comitum, promiscuæque ætatis & dignitatis populo, præsidente serenissimo & gloriosissimo Hlothario Imperatore, & Christi Domini amatore; quo protegente & adjuvante subteradnexa disposita sunt anno Imperij primo, mense quarto. Quibus omnibus vehementer incumbebat vera necessitas, ut sollicitè tractarent de periculo regni in præsentī, & statu in futuro. quod regnum, quia jamdiu nutabat, & impellebatur ad ruinam per negligentiam, & (ut veriùs dicam) per ignaviam Domni Hludovici venerandi quondam Imperatoris, in quibus ille inretitus est per corruptas mentes & corrumpentes, & secundùm apostolicum dictum, Quia erant ipsi errantes, & alios in errorem mittentes. A quo conventu quicquid utiliter & laudabiliter tractando & conferendo inventum est, & necessariò statuendum,


& judicantibus consensit & consentiens ipse judicavi. In primis videlicet quæ ad commoditatem & soliditatem regni & Regis pertinere videbantur, deinde quæ ad ereptionem & purgationem animæ Domni Hludovvici, manifestissimè noscebantur: quæ in prædicto conventu fideliter quæsitæ, & veraciter inventæ, & ordinabiliter executæ sunt; in eo scilicet quòd prædictus conventus deliberavit, ut per Legatos & Missos admoneretur Dõmnus Hludovvicus de suis erratibus, & exhortaretur ut secundùm propheticum dictum rediret ad cor, & recognosceret acta sua, quæ adversus Deum currens per vias pravitatis & injustitiæ exegerat, ac deinceps susciperet consilium vitæ & salutis suæ; quatenus apud omnipotentem Iudicem & Dominum, qui clementissimus indultor est criminum, indulgentiam & remissionem iniquitatum impetrare posset; ut qui per multiplicatas negligentias regnum terrenum amiserat, per impensas supplices confessiones regnum cælestè adipisceretur per eum apud quem est misericordia & copiosa redemptio. Propter quod & libellus editus est à viris diligentioribus, & ei oblatu, de manifestatione criminum suorum; in quo velut in speculo perspicuè conspiceret fœditatem actuum suorum, & fieret in illo quòd per pœnitentem perfectum dictum est: *Iniquitatem meam ego agnosco, peccatum meum coram me est semper.* Pro qua re accesserunt ad eum denuo omnes qui in prædicto conventu aderant Episcopi, condolentes & compatientes infirmitatibus & miseriis ejus, exhortantes atque exoptantes & postulantes ut omnipotens Deus

Isaia 46.

Psalm. 119.

Psalm. 90.

manu pietatis suæ educeret eum de lacu miseræ, & de luto cœni. Quod clementissimus Dominus non solum non abstulit, sed nec distulit. Sed mox resuscitata in mente ejus contritione humiliati cordis, prostratus coram eis, non semel, vel iterum, sed tertio, aut amplius, crimina cognoscit, veniam poscit, auxilium orationum precatur, consilium recipit, pœnitentiam postulat, injunctam sibi humilitatem libentissimè impleturum promittit. Innotescitur ei lex & ordo publicæ pœnitentiæ: quam non renuit, sed ad omnia annuit; ac demum pervenit in Ecclesiam coram cœtu fidelium, ante altare & sepulchra sanctorum. Et prostratus super cicilium, bis tērque quatērque confessus in omnibus clara voce cum abundanti effusione lacrymarum, depositis armis manu propria, & ad crepidinem altaris projectis, suscepit mente compuncta pœnitentiam publicā per manuum episcopalium impositionem, cum psalmis & orationibus. Sicque deposito habitu pristino, & assumpto habitu pœnitentis, congratulans & confidens, postulat pijssimi pastoris humeris reduci se ad inventæ & redemptæ ovis unitatem. His gestis ego Agobardus indignus Episcopus interfui, & melioribus consonans & consentiens judicavi, & manu propria signans subscripsi.



AGOBARDI EPISTOLA
ad Ebbonem Episcopum Remensem,
De spe & timore.

Magnificentissimo ac desiderantissimo Domino Patri & Fratri Ebboni Ecclesiæ Remorum Episcopo Agobardus in Domino Deo æternam salutem. Cùm quadam die valde diligenda, honoranda, atque laudanda devotio tua præcipuè mihi (cui gratis, id est, absque merito, sola tua te benignitate instigante, piam amicitiam impendis) & manibus gestaret & ore proferret ea quæ ad ædificationem bonarum mentium pertinent, cognoverunt qui præsentés aderant sollertissimam intètionem tuam velle secum semper habere de scripturis divinis aliqua, in quibus non solùm in equum ascendens, sed etiam de equo descendens, pro locis & temporibus congruæ quantitatis secundùm beatum virum, *qui non abiit in consilio impiorum*, in lege Domini meditareris die ac nocte; quatinus verè esse possis tanquam lignum juxta fluentia Scripturarum plantatum, cujus omnia prosperantur quæ facit. & quæ facit? utique poma & folia, quæ intelliguntur facta & dicta; ut poma sint in actibus, folia in verbis. cujus ligni folium non defluit: quia (secundùm quod scriptum est de Samuèle, *Non cadit de omnibus sermonibus ejus in terra.*) curat sollicitè, ne quid frivolum vel inane proferat, quod oblivione potiùs quàm memoria dignum

Psal. 1.

1. Reg. 3:

fit. Sic enim Apostolus unanimum comitem instruit, dicens: *Ineptas autem & aniles fabulas evita.* & iterum præcipit denunciare quibusdam, *ne intendant fabulis & genealogiis interminatis, qua quæstiones præstant magis quàm adificationem qua est in fide.* Et iterum: *Prophana autem & inaniloquia evita.* Multum enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cancer serpit. Igitur Deo devota & fidelis sanctitas tua cum mihi dignaretur talia pandere, suggestum est à me ut in primis juberet tibi scribere in eodē quod gestabas Enchiridion de divinis libris arduas & difficiles sententias ad observandum, quæ præcipuæ sunt ad deprimendas per timorem mentes hominum, ne elevari possint in vanam præsumptionem; & his diu diligentérque perspectis, juberet demum talia quæ viderentur congrua, proprio inserere manuali. Cùmque hæc ego suggestissem, dignatus es præcipere, ut ego inchoarem sicut mihi videbatur, & sanctitati tuæ dijudicanda transmitterem. Omnis itaque *Scriptura divinitus*, ut ait Apostolus, *inspirata, utilis est ad docendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Quæ Scriptura, tantæ perpetuitatis est, ut auctor illius, sempiterna Veritas, Verbum & Sapientia Patris, Dominus & Redemptor noster testetur de illa, dicens: *Facilius est cælum & terram transire, quàm de lege unum apicem cadere.* Et iterum: *Cælum & terra transibunt, verba verò mea non transient.* Cùmque hæc perennia verba, plena sint regulis morum, ac disciplinarum, atque virtutum, operis, & fidei, inter

1. Timot. 4.

1. Timot. 1.

2. Timot. 2.

2. Timot. 3.

Matth. 5.

cetera extant duæ res penitus necessariae moderationi mentium humanarum, id est, spes & timor, de quibus sacerdotibus & omnium plebium doctoribus Dominus mysticè per legem præcipit dicens: *Non auferes loco pignoris superiorem & inferiorem molam.* Quæ molæ licet utrumque testamentum rectè figurare possint, intelliguntur tamen utiliter spes & timor; ut inferior dicatur timor, superior spes. Cui autem una defuerit, farinam facere non potest: quia in mente sua nihil sanum pertractare potest, quem aut timor sine spe premit, aut spes sine timore levat. Vnde Psalmista in utrumque conjungens dicit: *Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis qui sperant super misericordia ejus.* Iudas denique proditor, post dominicam traditionem, quia sine spe timuit, dicens, *Peccavi tradens sanguinem justum,* ideo abiens laqueo se suspendit, & crepuit medius, atque effusa sunt viscera ejus. E contrario autem, quia sine timore sola spe elevabantur illi qui Domino respondebant *Semen Abraha sumus, & nemini servivimus unquam,* dedignati sunt credere in Salvatorem, quia præsumebant non se esse saluandos, sed salvatos. cuius rei exemplis tota est plena Scriptura divina. Semper autem necesse est ut hæc duæ molæ fidelium mentibus incessanter adsint; ut quia spes animum semper erigit, metus autem premit, & metus spem & spes temperet metum; ac ne spes in superbiam erigat, metus continuo adjacens mentem premat; rursus, ne immoderatus metus animum in desperationem obruat, hunc confestim spes erigat.

Deuter. 24.

Psal. 146.

*Matth. 27.
Mat. 1.*

Iohan. 8.

Metus namque, si sine spe fuerit, desperatio rectius vocatur. Spes verò, si fuerit sine metu, vana præsumptio esse monstratur. Tali namque temperamento, quasi quodam antidoto, vult nos cœlestis medicus uti; utpote qui solus est scrutator & cognitor internarum infirmitatum, cui dicitur, *Tu solus nosti corda filiorum hominum*. Quique dicit: *Ego sum scrutans renes & corda*. cujus sermo est vivus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, & est discretor cogitationum & intentionum cordis; sciens mentem humanam his duabus virtutibus in meditullio stabiliter posse servari. Cùm hæc ergo ita sint, visum mihi est ut primùm de illis sententiis quæ ad inferiorem molam pertinent, id est, ad ineffabilem terrorem mentium, quoniam sunt nimis arduæ, aliqua describam; ut quia præceptum nobis est ut cum timore & tremore nostram ipsorum salutem operemur, & omnes fideles salutem desiderant, priùs illa cum quibus salus operatur, id est, timor & tremor, in studiis nostris fundentur; ut superponenda, quia faciliora sunt, istarum impulsione necessario requirantur. Nam & naturale est animæ humanæ, ut timorem non sine quadam molestia tolerans, rursus sponte ad spem recurrere festinet, quæ lætior putatur; quanquam timor non sit minùs necessarius & utilis. Quia igitur si de omnibus divinis libris hujusmodi sententias excerpimus, nimis prolixum opus efficitur, illas nunc nobis assumere sufficiat quæ in promptu habentur, & magis in

1. Reg. 8.

Apc. 2.

Hebr. 4.

Philipp. 2.

usu; maximè quia & vos tale fieri iussistis opus, quod paulisper manu gestetur, non quod in armario vel in scrinio reservetur. Hæc mihi igitur inchoanti obtulit se prima illa sententia septimi psalmi, quam cantamus, dicentes: *Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi malum, decidam meritò ab inimicis meis inanis. Persequatur inimicus meus animam meam, & comprehendat & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in pulverem deducat.*

Multa defunt.

AGOBARDI LIBER
De divina psalmodia.

QUIA nuper stultus & improbus, ipsaque stultitia & improbitate sua omnibus notus calumniator erupit, qui sanctam Ecclesiam nostram, id est, Lugdunensem, non solum verbo, sed etiam scriptis lacerare non cessat, quasi non rectè, nec more paterno sive usu, divinæ decantationis sollempnia peragentem, necesse fuit omnem sacrorum officiorum seriem, quæ solito cantorum ministerio per totum anni circulum in ecclesiasticis conventibus exhibetur, sicut in eadem Ecclesia favente Dei gratia custoditur, diligentius & pleniùs in libello quem usitato vocabulo Antiphonarium nuncupant, colligere, atque digerere; præmissa scilicet præfatione pij & orthodoxi patris, cujus probatissima fides atque doctrina in munere Domini Dei nostri omnibus examinata ac declarata

elārata celebriter innotuit; ut omnes pacifici & prudentes Ecclesiæ filij, in quorum manus ejusdem libelli textus venerit, verissimè & evidenter agnoscant præfatam Christi Ecclesiam, eodem Christo Domino gubernante ac protegente, nec à recto fidei tramite deviasse, & paternum morem, quem statuta ecclesiastica declarant, fideliter custodire, ac per hoc ab antiquo Ecclesiæ Dei usu nullatenus discrepare, nec contemnere alicujus diversum morem, si constat esse probabilem; sed, juxta Apostolum, ea quæ utiliora & potiora sunt sequi. Ait namque: *Et hoc oro, ut caritas vestra magis ac magis abundet in scientia & omni sensu, ut probetis potiora, ut sitis sinceri, & sine offensa in diem Christi.* Et alio loco: *Ut probetis quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfectæ.* Et alibi: *Emulamini autem charismata meliora.* Et iterum: *Nolite pueri effici sensibus.* Sed & reverenda Concilia Patrum decernunt nequaquam plebeios psalmos in Ecclesia decantandos, & nihil poëtice compositum in divinis laudibus usurpandum. Inter quos etiam beatus Papa Gregorius docet quòd non pro locis res, sed pro bonis rebus loca amanda sint. Et fortiùs commendans nobis, quòd sicut nequaquam pro locis, ita nec pro quibuslibet personis, sive consuetudinibus temporum, res sectari debeamus, non est veritus in ipsa Romana Ecclesia quædam in sacris officiis & ministeriis reprehensibilia etiam sub anathematis damnatione refecare; sicut ejus decreta palam ostendunt. Quod si prædictus calumniator humiliter & obedienter pensare studuisset, nequaquam ad tantam de-

Philipp. 1.

Rom. 12.

1. Cor. 12.

1. Cor. 14.

Vide infra in
lib. de correct.
Anaphon. c.
15.

veniret fatuitatem, ut verba quorumlibet hominum, quorum nec nomina, nec sensum, nec fidem novit, tanquam divinas scripturas defenderet, & per phantasticas ac ridiculas allegorias explanare conaretur. Certè si quid sanum cogitare vellet, sufficeret ei ad omnem emendationem & silentium, quòd sicut in diebus ad Missas non nisi divina generaliter eloquia decantantur, ita & in noctibus ad sacras Deo vigiliis exhibendas eadem proculdubio lex debeat observari. Vnus nempe omnipotens Dominus utroque tempore laudatur, uni Domino tempus utrumque famulatur, cui dicitur: *Tuus est dies, Domine, & tua est nox. Tu fabricatus es auroram & solem.* Sed ejus stultus & irritus labor prudentibus & minimè contentiosis ac Deum timentibus majorem incutit sollicitudinem, ut propter hujusmodi nævos & errores cavendos vivaciùs & attentiviùs divinæ auctoritati & ecclesiasticis statutis inhæreant. Hæc namque fidei cautela, & sincerissima observantiæ disciplina, ut in templo Dei & coram divino altari divinorum tantummodo eloquiorum melodia celebretur, etiam veteris testamenti auctoritate & exemplis nobis firmissimè commendatur: ubi in libro Paralipomenon legitur quòd beatus David Rex & Propheta Dei primus choros

Psal. 73.

1. Paral. 25.

Levitarum laudantium Dominum in tabernaculo sive in templo constituerit, eisque psalmos & hymnos & cantica divinitus sibi & ceteris qui cum eo prophetabant inspirata tradiderit, ac manè & vesperè inter divina holocausta & sacrificia decantanda decreverit. Què morem à sanctis Prophetis traditum, & à sequentibus

patribus diligentissimè custoditum, usque ad tempus novi testamenti, quo jam templum illud destrui oportebat, religiosa constat observatione perductum. Vnde summopere necesse est, ut si verè absque offendiculo vel hæsitatione divinas laudes cupimus celebrare, totos nos divinis sermonibus, in quibus nullus est error, nulla ambiguitas, coaptemus; sicut de præfatis Levitis, antiquis divinæ laudis cantoribus, idem Paralipomenon liber replicat, dicens: *Levite verò ut stent manè ad confitendum & canendum Domino, similiterque ad vesperam, tam in oblatione holocaustorum Domini, quam in Sabbatis, & Calendis, & solennitatibus ceteris.* Et iterum in dedicatione templi sub Salomone dicitur: *Et dedicavit domum Domini Rex & universus populus. Sacerdotes autem stabant in officiis suis, & Levite in organis carminum Domini, qua fecit David Rex ad laudandum Dominum, Quoniam in æternum misericordia ejus, hymnos David canentes per manus suas.* Item in emundatione & purificatione ejusdem templi sub Ezechia scriptum est: *Præcepitque Ezechias & Principes Levitis, ut laudarent Dominum sermonibus David, & Asaph Videntis, qui laudaverunt eum magna letitia.* Similiter etiam sub Iosia in celebratione Phæse. *Porrò cantores, inquit, filij Asaph stabant in ordine suo juxta præceptum David, & Asaph, & Heman, & Idubim Prophetarum Regis.* Quod totum quam sanctè & religiosè fuerit institutum, quam dulciter ac reverenter sit imitandum inter cetera beati David magnifica, ita Liber Ecclesiasticus in ejus laudibus prosequi-

1. Paral. 13.

2. Paral. 7.

2. Paral. 27.

2. Paral. 35.

tur, dicens: *In omni opere dedit confessionem Sancto & excelso in verbo gloria. De omni corde suo laudavit Dominum, & dilexit Deum, qui fecit illum, & dedit illi contra inimicos potentiam; & stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos. Et dedit in celebrationibus decus, & ornavit tempora usque ad consummationem vita, ut laudarent sanctum nomen Domini, & amplificarent manè Dei sanctitatem.* Sed & in libro Samuëlis hæc pfallendi gratia spiritualis in eodem Rege sanctissimo prædicatur, ubi legitur: *Dixit David filius Isai: Dixit vir cui constitutum est de Christo Dei Jacob, egregius psalter Israel: Spiritus Dei loquutus est per me, & sermo ejus per linguam meam.* Huic igitur tam sanctæ auctoritati & tam perspicuæ veritati non est dubium quòd fidelis & disciplinatus quisque libenter adquiescat. Si quis autem contentiosus & pertinax contradicere conatur, & de turbulento magis rivo, quàm de purissimo fonte potare voluerit, viderit ne illo ægrotet langore nimis pernicioso quem quidam antiquorum patrum sapienter & breviter cavendum admonuit, dicens: *Qui contempta veritate præsumit consuetudinem sequi, aut circa fratres invidus est & malignus, quibus veritas revelatur, aut circa Deum ingratus, cujus inspiratione Ecclesia ejus instruitur,*



AGOBARDI LIBER
De correctione Antiphonarij.

I. **D**ILECTISSIMIS in Christo fratribus & præcipuè Cantoribus Ecclesiæ Lugdunensis Agobardus in eodem Christo Domino & Salvatore nostro sempiternam salutem. In divinis laudibus exsolvendis quanto studio fugienda sit levitas, gravitasque sectanda, frequenter dilectioni vestræ in mutua conloquutione suggestimus; scilicet ut rationabili consideratione, sicut prudentes Ecclesiæ filij, & rationabili ejus lacte ab incunabilis enutriti, quod Deo displicet refugiētes, concordi studio id quod gratum acceptumque ei, verbis sicuti & factis sectaremini. Si enim apud graves & sapientes viros, non solum morum, sed etiam verborum levitas reprehensibilis iudicatur, quanto magis apud Deum totius sanctæ gravitatis ac sapientię auctorem, cui Psalmista dicit: *In populo gravi laudabo te*, & cui nos Apostolus rationabile obsequium admonet exhibere. Neque verò passim, & absque diligenti examinatione, quod cuique visum fuerit in Dei laudibus usurpandum est, cum dicat Apostolus: *Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus. Sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis.* Vnde & Apostoli humanæ ignorantis conscij, orandi formulam à Deo petie-

*Psal. 142.
Rom. 12.*

Rom. 8.

Luc. 11.

re, dicentes, *Domine, doce nos orare*. Certè manifestum est majus esse Deo quempiam dignè laudes exsolvere, quàm pro infirmitate propria exorare; præsertim cum hoc præsentis vitæ fine terminetur, illud verò hîc inchoetur, in futuro autem perficiatur, juxta quod Psalmista ait: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in secula seculorum laudabunt te.*

Psal. 133.

II. Si ergo orantes doctrina sancti Spiritus indigemus, multò magis cum Deo laudes offerimus: quia sicut nemo nisi ipso inspirante secundum Deum postulat, ita nullus nisi eo erudiente Deum dignè conlaudat. Non ergo cujuscunque figmentis, sed Spiritus sancti eloquiis majestas divina laudanda est. Denique & filij Aaron ignem alienum Domino offerentes, non obsequij remunerationem, sed damnationem præsumptionis experti sunt. Unde hoc nos exemplum summopere vitantes, illud sollicitè attendamus quod vel in Proverbiis scriptum est: *Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantibus in se. Ne addas quicquam verbis illius, & arguaris, invenierisque mendax.* Nihil itaque Dei verbis addentes, & timentes argui inveniri que mendaces, verbo Dei ignito, qui clypeus spei est, tempore orationis & laudis inflammemur pariter & muniamur. Cumque Dominus dicat, *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*, omnia humana figmenta, quæ vanitate sui mortua judicanda sunt, respicientes, viventibus Christi eloquiis in ipsius obsequiis personemus; quatinus voces nostræ, non quasi alienæ ab eo respui, sed ut propriæ cum supernis virtutibus, quæ majestatem Dei trementes

Levit. 10. &
16.

Prov. 30.

1. an. 8.

adorant atque conlaudant, mereantur admitti.

III. Hac de causa & Antiphonarium pro viribus nostris magna ex parte correximus, amputatis his quæ vel superflua, vel levia, vel mendacia, aut blasphema videbantur. Et vos frequenter admonuimus, & tenorem admonitionis nostræ propter aliquorum præsentis seu futuras querimonias in fronte ejusdem libelli ponere necessarium duximus, non generale aliquid statuentes, sed juxta mediocritatem sensus nostri in domo Dei, cujus nobis cura commissa est, quod possumus offerentes, nec de sensu nostro aliquid præsumentes; sed Scripturæ sanctæ auctoritatem, & sacrorum canonum sanctionem, catholicorumque patrum instituta & exempla sectantes. De quibus antequam aliquid proferamus, congruum videtur, exempli gratia, nonnullas ineptias quæ præfato continebantur libello, notare breviter, ac leviter redarguere; ut ex his perpaucaissimis evidentiùs agnoscatur quàm necessariò quæ in sequentibus dicturi sumus à patribus constituta sint, quantoque timore ac sollicitudine eorum scita nobis expediat observare.

IV. Ac primùm, quale illud est quod in vigilia Natalis Domini in choro fidelium & fidelium eruditorum cantabatur: *Dum ortus fuerit sol de cælo, videbitis Regem Regum procedentem à Patre tanquam sponsum de thalamo suo.* Certè fides catholica habet Verbum Dei, quod in principio erat apud Patrem, in thalamo uteri virginalis conjunxisse sibi sponsum; cujus naturam in unitatem personæ suscipiens, caro factum est ut habitaret in nobis, Naturæ enim nostræ unitus,

tanquam sponsus de thalamo virginali, processit ex utero; & non eam de cœlis attulit, sicut hæretici affirmare ausi sunt. Ac per hoc non tanquam sponsus de thalamo processit ex Patre. Verbum quippe Dei, filius Dei, processit à Patre, & venit in mundum. Nec aliud fuit venire in mundum, quàm in utero Virginis naturæ humanæ veritatem assumere, in qua visibilem se præberet mundo. Hanc igitur humanitatis nostræ naturam, cui unitus sponsus Ecclesiæ factus est, non de sinu Patris traxit, sed de carne Virginis sumpsit.

V. Est præterea in prædicta antiphona notanda temeritas, evidensque mendacium; dum & sacræ Scripturæ verba sui sensus peruersitati coaptat, & nativitatem Salvatoris, qua vel de Patre ante secula, vel de matre in plenitudine temporum natus est, tanta confusione permiscet, ut de qua loqui velit, intelligi omnino non possit. Quod summopere ubique cavendum est, ne divinorum verborum ordo mutetur, & de scriptura veritatis labyrinthus texatur erroris.

VI. Illud etiam Responsorium, quod in eisdem vigiliis cantabatur, quanta fidei severitate reiciendum est; in quo ait vanus ille præsumptor: *De illa occulta habitatione sua egressus est filius Dei, descendit visitare & consolare omnes qui eum de toto corde desiderabant.* quod cum sermonum imperitiâ, tum sensus quoque absurditate ac falsitate turpatur. Nam & occultam filij habitationem summa levitate dixit; & eum omnes desiderantes se visitasse, consolatumque esse, mendaciter asseruit; cum potius

DE CORRECTIONE ANTIPHONARII. 89
eos quos visitare dignatus est, se agnoscentes ac
desiderantes effecerit.

VII. Considerentur etiam verba alterius
Responsorij, quod quasi de mysterio nativita-
tis Christi compositum, contra morem noctur-
ni officij ab eminentiori loco pompaticè concre-
pabat: *Descendit de cælis missus ab arce Patris,*
introiit per aurem Virginis in regionem nostram,
indutus stola purpurea, & exiit per auream por-
tam lux & decus universe fabricæ mundi. Vbi
primùm, qui descenderit non designat. Arcem
verò Patris quid dixerit, ipse quoque penitus
ignoravit. Numquid est aliquod ædificium cæ-
leste, aut per cæleste, quod factum sit ab eo,
aut aliud aliquid quod non est ipsum quod Pa-
ter, aut est ipse Pater? Quod si est; quomodo
sibi est arx? Nec per aurem Virginis Verbum
Dei introisse, catholicæ aures ferunt: quia cum
sit incorporeum, & totum ubique præsens, nec
localiter accedit, nec aditu corporeo indiget.
Nisi fortè nobis persuadere voluit angelicorum
sono verborum sacram Virginem Dei filium
concepisse. Quod quantum à fidei veritate dis-
cordet, ex verbis ipsius angeli perspicuum est;
qui ipsi Virgini interroganti, *Quomodo fiet* Luc. 1.
istud, quia virum non cognosco? respondit: *Spi-*
ritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissi-
mi obumbrabit tibi. Quomodo autem virginalis
uterus regio nostra possit intelligi, cum &
virgo illa unici filij mater sit, & nos omnes non
ex virginea sed ex corrupta carne nascamur,
prorsus inveniri non potest. Deinde quòd eum
stola indutum purpurea aurem dicit Virginis in-
troisse, sive humano more cultu regio indutum,

sive humanam formam non ex Virgine suscepisse, sed de cœlo Dei Verbum attulisse putaverit, eamque stolam purpuream appellarit, apertissimæ blasphemix est. Iam verò per auream portam eum exisse, quanta vanitate proferre ausus est; cùm nativitas Christi ex Virgine non supervacuis verbis adumbrari, sed confessione simplici debeat declarari; qui non, ut ille ait, universæ fabricæ mundi, sed juxta veritatem evangelicam rationalis tantummodo creaturæ lux est.

VIII. Aliud quoque Responsorium de verbis Evangelij, sed non ordine evangelico, quod jam utiq; correctũ à vestra dilectione psallitur, nescio quis composuit, dicens: *Tenebra facta sunt dum crucifixissent Iesum Iudei; & circa horam nonã exclamavit Iesus voce magna: Deus, Deus, ut quid me derelinquisti. Tunc unus ex militibus lancea latus ejus perforavit, & inclinato capite emisit spiritum.* Nempe omnibus fidelibus certum est quòd Salvator noster non aliqua doloris violentia coactus, sed spontaneè pro nobis est mortuus; nec animam necessitate amisit, sed potestate posuit, sicut ipse ait: *Nemo tollit à me animam meam, sed ego pono eam à me ipso ut iterum sumam eam.* Sed iste & evangelici ordinis & fidei veritatis ignarus, prius dixit lancea à militibus latus Domini perforatum, & tunc ab eo spiritum emissum. quod omnino paganium est, Christum non benignitate propriæ voluntatis, sed vi doloris mortuum opinari; cùm è contrario in Evangelio referatur quòd Dominus voce magna clamaverit, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum;* & hæc

Matth. 27.

Joan. 10.

Matth. 27.

dicens, expiravit. Quam mortem Christi in tantum milites qui aderant admirati sunt, ut continuo Deum glorificasse, eumque Dei filium confessi esse referantur, ac postea Iudæis petentibus latronum crura, qui cum eo fuerant crucifixi, Pilatus frangi concesserit, Iesu autem jam mortui non crura contracta, sed militis lancea latus narraretur apertum, non, ut iste imperitè protulit, perforatum.

IX. Iam verò quanta illa sunt vaticinia, ut ita dictum sit, falsa in Responsoriis & Antiphonis, quæ quasi ex voce Domini pronuntiantur, cum in nullis divinis Scripturis reperiantur. Ut est: *Octava decima die decimi mensis jejunabitis, dicit Dominus, & mittam vobis Salvatorem & propugnatorem pro vobis, qui vos precedat & introducat in terram quam juravi patribus vestris.* Et iterum: *Coronam glorie ponam super caput ejus, dicit Dominus, & induam illum stollam candidam, quia servavit mandata mea, & propter nomen meum effusus est sanguis ejus in terra.* Et iterum: *Sancti estis, dicit Dominus, multiplicabo numerum vestrum, ut oretis pro populo meo in loco isto.* & multa hujusmodi ridiculosa & fantastica. Quorum inventoribus congruere mihi videntur illa quæ Dominus per Ezechielem Prophetam adversus falsos Prophetas loquitur, dicens: *Va Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident.* Et post pauca: *Vident nova & divinant mendacium, dicentes, Ait Dominus, cum Dominus non miserit eos, & perseveraverunt confirmare sermonem. Numquid non visionem cassam vidistis, & divinationem mendacem loquuti estis? & dicitis,*

*Isa. 19.
Exod. 23.*

Deut. 30.

Ezech. 13.

Ait Dominus, cum ego non sim loquutus. Propterea hac dicit Dominus Deus: Quia loquuti estis vana, & dixistis mendacium; ideo ecce ego ad vos, ait Dominus Deus. Et erit manus mea super Prophetas, qui vident vana, & divinant mendacium. In concilio populi mei non erunt, & in scriptura domus Israël non scribentur, nec terram Israël ingredientur.

X. Sed hæc & similia, quorum in præfato libro infinita erat copia, quia indignum est scribere, & vestræ prudentiæ fastidiosum audire, facilius conloquendo & fideliter pertractando dijudicari possunt. Nunc superest ut sacrorum statuta canonum, catholicorumque patrum sententias, sicut superioribus promisimus, exsequamur; ut ex his perspicue declaretur qua cautela levissimorum hominum excogitationes vitandæ sint, quæ nulla veritate subnixæ, nulla ratione ornatæ, contemptui patent.

XI. In Concilio Africano talis constitutio promulgata est: *Ut preces & orationes, nisi probata fuerint in Concilio, non dicantur; nec aliqua ex his omnino cantentur in Ecclesia, nisi que à prudentioribus tractata & comprobata in synodo fuerint; ne forte aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per studium, sit compositum. Vbi breviter considerandum, quod non solum ea quæ studio perfidiæ, sed etiam illa quæ simplicitate ignorantia contra fidei regulam composita fuerint, pari animadversione repudiantur.*

XII. Beatus Hieronymus cum exponeret præceptum Apostoli, ubi ait, *Implemini spiritu loquentes vobismetipsis in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in*

*Hierony. 1. 9.
comment. ad c.
1. Epist. ad
Ephes.*

cordibus vestris Domino, non tacuit quod in can-
toribus Ecclesiæ reprehendendum videbat. Ca-
nere igitur, ait, & psallere & laudare Domi-
num magis animo quàm voce debemus. Hoc
est quippe quod dicitur: *Cantantes & psallentes*
in cordibus vestris Domino. Audiant hæc ado-
lescentuli, audiant hi quibus psallendi in Ec-
clesia officium est, Deo non voce, sed corde can-
tandum; nec in tragædorum modum guttur &
fauces dulci medicamine colliniendæ sunt, ut
in Ecclesia theatrales moduli audiantur & can-
tica; sed in timore, in opere, in scientiâ Scri-
pturarum. Quamvis sit aliquis, ut solent illi
appellare, Cacophonos, si bona opera habue-
rit, dulcis apud Deum cantor est. Sic canet
servus Christi, ut non vox canentis, sed verba
placeant quæ leguntur; ut spiritus malus qui
erat in Saule, ejiciatur ab his qui ab eo simili-
ter possidentur, & non introducatur in eos qui
de domo Dei scenam fecere populorum.] In
quibus verbis magnoperè pensandum est, quòd
eos qui in morem psallentis David cum timore
& gravitate spiritali canunt, malignum spiri-
tum etiam ab auditoribus suis excludere posse
confirmat; eos verò qui theatralibus sonis &
scenicis modulationibus, & quamvis in divinis
verbis, vocis dulcedine intemperantiùs dele-
ctantur, eum non solum ab aliis non excludere,
sed, quod est terribile, in seipos introducere
testatur. Vnde & in alio loco idem Doctor,
cùm sententiam Esaiæ exponeret, *Iniqui sunt*
corus vestri, ait: Omnis conventus qui non
offert hostias spirituales, nec audit illud quod in
quingagesimo psalmo canitur, *Sacrificium*

Hierony. in
Isai. c. 1.

„ Deo spiritus contribulatus, cor contritum, &
 „ humiliatum Deus non despicit, abominabilis
 „ Deo est.] Mens ergo libera, id est, sensibus cor-
 „ poris non succumbens, ita resistere debet vanæ
 „ ac noxiæ delectationi aurium, sicut & delecta-
 „ tionibus sensuum ceterorum, visus videlicet, &
 „ olfactus, gustus, & tactus; quorum perturba-
 „ tionibus anima prægravatur, & capitur. Quan-
 „ tum denique oblectationes aurium virtutem
 „ mentis enervent, testatur præfatus Doctor,
 „ qui ait: *Auditus vario organorum cantu, & vo-*
 „ *cum inflexionibus delinitur, & in carmine Poë-*
 „ *tatum & comædiarum, mimorumque urbanitati-*
 „ *bus, & strophis, & quicquid per aures introiens*
 „ *virilitatem mentis effeminat.*

XIII. Sed & beatus martyr Cyprianus si-
 „ mili modo dicit, exponens illud Apostoli, *Ad-*
 „ *versarius vester diabolus tanquam leo rugiens,*
 „ *circuis querens quem devoret.* Ait ergo: Circuit
 „ ille nos singulos, & tanquam hostis clausos ob-
 „ sidens, muros explorat, & tentat an sit pars ali-
 „ qua membrorum minùs stabilis & minùs fida,
 „ cujus aditu ad interiora penetretur. Offerit ocu-
 „ lis formas illices & faciles voluptates, ut visu
 „ destruat castitatem. Aures per canoram musi-
 „ cam tentat, ut soni dulcioris auditu solvat &
 „ molliat Christianum vigorem.]

XIV. Quod & beatus Augustinus ad ten-
 „ tationem diaboli intelligens pertinere, in libris
 „ confessionum suarum Deo gratias refert quòd
 „ ab hoc vitio liberatus sit. Voluptates, inquit,
 „ aurium tenaciùs me implicaverant, & subjuga-
 „ verant; sed resolvisti & liberaisti me. Nunc in
 „ sonis, quos animant eloquia tua, cum suavi &

1. Pet. 5.
 Cyprian. in
 Serm. de zelo
 & amore.

August.
 conf. lib. 10.
 c. 33.

artificiosa voce cantantur, fateor, aliquantulum
 adquiesco, dum ipsis sanctis dictis religiosius
 & ardentius sentio moveri animos nostros in
 flammam pietatis, cum ita cantantur, quam si
 non ita cantarentur.] Et rursus post aliqua de
 utilitate psallendi in Ecclesia discretam profe-
 rens sententiam, dicit: Tutius quidem mihi
 videtur quod de Alexandrino Episcopo Athana-
 sio sæpe mihi dictum commemini, quia tam
 inodico flexu vocis faciebat sonare lectorem
 psalmi, ut pronuntianti vicinior esset quam ca-
 nenti. Veruntamen cum reminiscor lacrymas
 meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ in pri-
 mordis recuperatæ fidei meæ, & nunc ipso
 commoveor, non cantu, sed rebus quæ can-
 tantur, cum liquida voce & convenientissima
 modulatione cantantur, magnam instituti uti-
 litatem rursus cognosco; magisque adducor,
 non quidem inretractabilem sententiam profe-
 rens, cantandi consuetudinem approbare in Ec-
 clesia, ut per oblectamenta aurium infirmior
 animus in affectum, pietatis assurgat. Tamen
 cum mihi accidit ut me amplius cantus quam
 res quæ canitur moveat, pœnaliter me peccare
 confiteor, & tunc mallem non audire cantan-
 tem.] Ecce vir sanctissimus, atque doctissimus,
 & approbat institutum cantandi propter infir-
 mos, quos in affectum pietatis facit assurgere;
 & tamen cum accidit ut plus moveat animum
 cantus, quam res quæ canitur, pœnale dicit esse
 peccatum, ita ut melius sit non audire cantan-
 tem, utique in cantu & sonis quos divina elo-
 quia animant, ac vivificant; ut vita cantuum ac
 sonorum in sententiis sit divinorum eloquio-

96 S. AGOBARDI LIBER
rum. Ceterùm , si in diebus suis audisset ali-
quos non de divinis eloquiis , sed de humanis
adinventionibus cantantes , numquid non mor-
tuum & sine vita talem cantum judicaret ?

X V. Verùm quia Grègorij præfatis nomen
titulus præfati libelli prætendit, & hinc opinio-
ne sumpta putant eum quidam à beato Grego-
rio Romano Pontifice & inlustriſſimo Doctore
compositum ; videamus quid sanctus ille vir de
cantu ecclesiastico ordinaverit , vel quid ejus
tempore Romana Ecclesia decantarit. Ait igitur
in Decretis suis : In sancta hac Romana Ec-
clesia, cui divina dispensatio præesse me voluit ,
dudum consuetudo est valde reprehensibilis
exorta , ut quidam ad sacri altaris ministerium
cantores eligantur, & in Diaconatus ordine con-
stituti modulationi vocis inserviant ; quos ad
prædicationis officium elemosynarùmque stu-
dium vacare congruebat. Vnde fit plerunque,
ut ad sacrum ministerium , dum blanda vox
quæritur ; quæri congrua vita negligatur , &
cantor minister Domini moribus stimulet, cum
populum vocibus delectat. Qua de re præſenti
decreto constituo, ut in sede hac sacri altaris mi-
nistri cantare non debeant, solùmq; evangelicæ
lectionis officium inter Missarū sollemnia exsol-
vant; psalmos verò ac reliquas lectiones censeo
per subdiaconos, vel si necessitas exigit , per mi-
nores ordines exhiberi. Si quis autem contra
hoc decretū meum venire tentaverit , anathema
sit. Et responderunt omnes, Anathema sit.] Ec-
ce vir apostolicus reprehendit consuetudinem,
quia Diaconibus cantandi officium injungeba-
tur, nec in eis blandam vocem sed congruam
vitam

Grego. 1.
lib. 4. in
dist. 18.
epist. 44.

vitam dicit esse requirendam ; stimularique Deum talium ministrorum moribus asserit, etiamsi populum vocibus delectent. Damnata verò tali consuetudine, psalmos ac reliquas lectiones per subdiaconos vel per minores ordines censet exhiberi ; solo videlicet evangelicæ lectionis officio Diaconibus delegato. Ex quibus perspicuè demonstratur psalmos tunc in Ecclesia decantari solitum, unde maximam partem divinorum officiorum etiam nunc constat esse compositam, & non figmenta quorumlibet hominum, quæ à tanto illo viro non esse composita, nemo nisi qui sincerissimæ ejus fidei & excellentissimæ eruditionis ignarus est, dubitat.

XVI. Igitur quia sanctorum patrum dictis satis ostensum est quantum humanæ levitates & mendacia devitanda, quantumque divinorum eloquiorum veritas ac sinceritas amplectenda sit, libet pauca ex verbis beati martyris Cypriani subnectere ; quibus ostendatur qua gravitate & modestia divina officia celebranda sint: Sit, inquit, orantibus sermo & precatio cum disciplina, quietem continens & pudorem: Cogitemus nos sub conspectu Dei stare. Placendum est divinis oculis & habitu corporis, & modo vocis. Nam ut impudentis est clamoribus strepere ; ita congruit verècundo modestis precibus orare. Et quando in unum cum fratribus convenimus, & sacrificia divina cum Domini sacerdote celebramus, verècundiæ & disciplinæ memores esse debemus : Non passim ventilare preces nostras inconditis vocibus, nec petitionem commendandam modestè, Deo tumul-

“ Cyprian. In
“ Serm. de
“ orat. domi-
“ nica.

Apo. 2.

» tuosa loquacitate jactare. Quia Deus non vocis
 » sed cordis auditor est ; nec admonendus est cla-
 » moribus , qui cogitationes videt, probante Do-
 » mino & dicente : Et scient omnes Ecclesiæ quia
 » ego sum scrutans renes & corda. Sonet psal-
 » mus. Convivium sobrium sit nobis spiritualis
 » auditio, prolectet aures religiosa mulcedo.]

XVII. His ergo & hujusmodi patrum monitis informati, & eorum sequentes vestigia quos ad Dominum præcessisse non ambigimus, cunctas adinventiones hominum quasi superfluas respicientes, verbis Domini, quæ ad omnia sufficiunt, in ejus laudibus personemus ; ut cum beato David dicere valeamus : *Et qua de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Quia, ut beatus Augustinus ait, *nihil Deo rectè offertur, nisi quod ab eo accipitur.* Qui & alio loco præcepit suis : *Nolite cantare nisi quod legistis esse cantandum.* Quod quidam religiosi viri sequentes, subjectis sibi fratribus præceptum tale dederunt : Nullus præsumat Responsoria, aut Antiphonas, quæ solent aliqui composito sono proprio libitum non ex canonica scriptura assumpta canere, in congregatione ista vel meditari vel dicere. Oportet enim nos sanam & simplicem apostolicam & patrum nostrorum imitari doctrinam, & gratiam stabilire, cor morésque subdere disciplinæ. Ea igitur cantare debemus quæ, sicut beatus Augustinus dicit, ita scripta sunt ut cantantur. Quæ autem non ita scripta sunt, non cantemus ; quia nec alio modo quam quo ipse Dominus jussit per Prophetas & Apostolos suos manifestari ea hominibus debent. A nobis obedientiæ quàm victimarum sacrifi-

cium quærit; nec cantilenæ artificioso studio, “
sed observantia mandatorum & cordis munditia “
delectatur.] “

XVIII. Hæc sincerissima patrum statuta, omni diligentia & veneratione observanda sunt. Quia per hoc & fidei puritas, ac religionis disciplina saluberrimè custoditur, & duo mala nimis pietati contraria utiliter refecantur; videlicet, dum & vanissimorum hominum præsumptio, qui non solùm inepta, & superflua, sed etiam profana & hæretica in Ecclesiis decantare audent, funditus excluditur; & adolescentulis, atque omnibus generaliter quibus cantandi officium injunctum est, magna occasio stultæ & noxiæ occupationis aufertur. Ex quibus quamplurimi ab ineunte pueritia usque ad senectutis canitiem omnes dies vitæ suæ in parando & confirmando cantu expendunt, & totum tempus utilium & spiritalium studiorum, legendi videlicet, & divina eloquia perscrutandi, in istiusmodi occupatione consumunt; quòdque animabus eorum proculdubio valde est noxium, ignari fidei suæ, inscij Scripturarum sanctarum, & divinæ intelligentiæ inanes ac vacui, hoc solum sibi sufficere putant; & ob hoc, etiam ventosi & inflati incedunt, si sonum & vocem decantationis utcumque addiscant, & in numero cantorum deputari videantur. Quibus omnino (dum, sicut beatus Gregorius supra ait, *Deum moribus stimulant, cum populum vocibus oblectent*) metuendum est ne etiam ipsa illa Dei increpatione feriantur, qua dicit: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Et iterum: *Aufer à* Matth. 23. Amos 5.

me tumultum carminum tuorum, & cantica lyrae tuae non audiam. Nam & beatus Hieronymus, ut supra memoratum est, de hujusmodi hominibus manifestè dicit, quòd de Ecclesia Dei scenam fecerint populorum. Hanc enim occupationem superfluam in eisdem sacris officiis devitantes antiqui, cum eis profectò suppeteret ex divinis libris & multiplex copia laudationis, & peritia modulationis, maluerunt tamen eadem sæpe repetere, quàm infinitis & non necessariis psallentium animos occupare, vel gravare.

XIX. Quapropter, auxiliante Dei gratia, omni studio pietatis instandum atque observandum est, ut sicut ad celebranda Missarum sollemnia habet Ecclesia librum mysteriorum fide purissima & concinna brevitate digestum, habet & librum lectionum ex divinis libris congrua ratione collectum, ita etiam & hunc tertium officialem libellum, id est, Antiphonarium, habeamus omnibus humanis figmentis & mendaciis expurgatum, & per totum anni circulum ex purissimis sanctæ Scripturæ verbis sufficientissimè ordinatum; quatinus in sacris officiis peragendis, juxta probatissimam fidei regulam, & paternæ auctoritatis venerabilem disciplinam, una à nobis atque eadem custodiatur forma orationum, forma lectionum, & forma ecclesiasticarum modulationum; quæ à boni ingenij adolescentibus quamcelerrimè imbibita, eos & divinis laudibus concinendis sufficienter & graviter idoneos reddat, & a potioribus ac spiritualibus studiis non impediatur. Quis enim ita contentiosus, immo insa-

ADVERSUS AMALARIVM. IOH
nus, & ab omni veritatis ratione averfus est,
ut non hoc rectiùs, & convenientiùs, ac salu-
briùs fateatur in Dei laudibus decantari, quod
ex divinis dictis & libris videat fideliter affu-
mi? quatinus sicut in Symbolo catholico fidem
nostram non nostris sed apostolicis verbis pro-
fitemur, & in dominica oratione non nostris
sed ipsius Domini & Salvatoris nostri sermo-
nibus supplicamus; ita etiam in divinæ laudis
honore, non humanis, sed divinis, & spiritali-
bus, juxta Apostolum, psalmis, hymnis, & can-
ticis personemus. Superfluò namque alia qua-
runtur, ubi ista sufficere & superabundare nos-
cuntur.

*INCIPIT LIBER VENE-
rabilis Agobardi Archiepiscopi Lug-
dunensis contra libros quatuor Amalarii
Abbatis.*

I. **A** Malarius in libro suo primo capitulo
tricesimo septimo dicit ita: Romana
consuetudo unum diem, id est, VII. Kalen-
das Maij interponit, quem vocat in Letania
majore, non in jejunio. Letania, ut prædixi-
mus, deprecatio est apud nos. Potest enim se-
rena mens, & aliena à voluntate mala, precari
Deum, quamvis manducet sobriè carnem me-
ridie, & lætetur de resurrectione Domini. Ta-
men majorum patrum, id est, apostolicorum
usus sequendus est. Forsitan ex ipso officio po-
terimus intelligere quid deprecandum sit tali

» in tempore. Prima oratio ad Missam dicit: *Præ-*
 » *sta quasumus omnipotens Deus, ut qui in afflictio-*
 » *ne nostra de tua pietate confidimus, contra ad-*
 » *versa omnia tua semper protectione muniamur.*
 » Huic concordat Offertorium, dicens: *Adjuva*
 Psal. 108. » *me Domine Deus meus, salvum me fac propter*
 » *miserericordiam tuam. Qui insurgunt in me, con-*
 » *fundantur.* Eo tempore, id est, VII. Kalendas
 » Maij, possunt inimici commovere bella adver-
 » sùs vicina regna. Ut reor, cautè providit sancta
 » Ecclesia Deum rogare, ut qui destruxit olim
 » consilium Achitophel, nunc destruat consilia
 » eorum qui volunt irruere super pacem ejus. In-
 » tendit & hoc, quod dicit Epistola: *Multum*
 Jac. 5. » *enim valet deprecatio justi assidua.* Evangelium
 » alteram petitionem sonat, dicens: *Quis au-*
 Luc. 11. » *tem ex vobis patrem petit panem, & iterum, aut*
 » *piscem, & iterum, aut si petierit ovum.* In istis
 » tribus temporalia petenda possumus intellige-
 » re: per panem, omnia bona quæ de terra nas-
 » cuntur: per piscem, quæ de agris: per ovum,
 » animalia quæ coeunt simul. Hæc enim memora-
 » to tempore in aliquo profectu sunt: germina
 » messis pullulant, arborum fructus ex flore pro-
 » deunt, vineæ atque olei liquor suis arboribus
 » se erumpit, pullorum animantia campos tun-
 » dunt. Quoniam hæc necessaria sunt nostris usi-
 » bus, petenda sunt à Domino ut conserven-
 » tur.]

II. In his verbis Amalarij facilè quilibet po-
 test deprehendere quæ sint inutilia, & quæ no-
 xia. Dicit namque posse fieri Letanias, id est,
 Rogationes, sine jejunio & carnis abstinentia,
 quod nunquam dictum est neque à parum sa-

pietibus. Nempe Ninivitæ, quando conversi sunt ad prædicationem Ionæ Prophetæ, non habebant doctores, qui eos docerent sacrificium Deo esse spiritum contribulatum, cor contritum & humiliatum. Et tamen ratione naturali intelligentes per hæc flectendam Dei pietatem, contra subversionem sibi imminentem ad quæ arma concurrerint, dicit ita eadem Scriptura: *Et cœpit Ionas introire in civitatem itinere diei unius, & clamavit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur. Et crediderunt viri Ninivite in Domino, & predicaverunt jejunium, & vestiti sunt saccis à majore usque ad minorem.* Videlicet usque ad lactentem, sicut senserunt qui de hac laudabili pœnitentia scribere voluerunt; ex quibus unus Prudentius vir doctus:

Nullus, inquit, bibendi, nemo vescendi memor,

Iejuna mensas pubes omnes liquerat,

Quin & negato lacte, vagientium

Fletu madescunt parvulorum cunula.

Succum papilla parca nutrix derogat,

Sequitur in eadem Scriptura: Et pervenit verbum ad Regem Ninive, & surrexit de solio suo, & eiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere, & clamavit, & dixit, in Ninive ex ore Regis & Principum ejus dicens: Homines, & jumenta, & boves, & pecora non gustent quicquam, nec pascantur, & aquam non bibant, Et operiantur saccis homines, & jumenta, & clament ad Deum in fortitudine: & convertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate quæ est in manibus eorum, Quis scit si convertatur & ignoscat Deus, &

„ revertatur à furore iræ suæ , & non peribimus ?
 „ Et vidit Deus opera eorum , quia conversi sunt
 „ de via sua mala : & misertus est super malitia
 „ quam locutus fuerat ut faceret eis , & non fe-
 „ cit.] Sed per Ioël Prophetam ipse Dominus de-
 „ monstrat quales rogationes velit sibi exhiberi,
 „ *Ioël. 2.* dicens : Convertimini ad me in toto corde ve-
 „ stro , in jejunio , & fletu , & planctu ; & scindite
 „ corda vestra , & non vestimenta vestra ; & con-
 „ vertimini ad Dominum Deum vestrum , quia
 „ benignus & misericors est , patiens , & multus
 „ misericordia , & deprecabilis super malitia.]
 „ Illud etiam quod subjungit , propterea septi-
 „ mo Kalendas Maij legendam lectionem Evan-
 „ gelij , in qua datur exemplum de pane , ovo , &
 „ pisce , quia eo tempore proficiunt , & pro illis
 „ eo tempore Dominus deprecandus sit , ut no-
 „ stris usibus conserventur , quis non videat quan-
 „ to risu dignum sit , eò quòd nunquam Dominus
 „ pro his orationes publicas fieri jussit ; cùm è
 „ *L. 4. 12.* contrario præceperit : *Nolite querere quid man-
 „ ducetis , aut quid bibatis , & nolite in sublime tol-
 „ li. Hac enim omnia gentes mundi querunt. Pater
 „ autem vester scit quoniam his indigetis. Verunta-
 „ men querite regnum Dei , & hac omnia adicien-
 „ tur vobis.* Nam etsi pro frugibus terræ & pro
 „ animantibus quibusque orandus Deus ; num-
 „ quid & pro piscibus rogationes faciendæ sunt,
 „ ut conserventur propter nos ?

III. Dicit iterum Amalarius in libro primo
 „ capitulo vicesimo septimo : Eum quem superiùs
 „ precatus est Pontifex ut mitteret Spiritum san-
 „ ctum , in sequentibus petit ut suscipientem di-
 „ gnetur consignare in vitam æternam ; id est ,

eundem Spiritum non amittat suscipiens, us-
 que dum perducatur hospitem suum ad vitam
 æternam.] Et post pauca : Sine isto signaculo
 non oportet nos præsentari ante Deum. De
 quo quasi de aliquo vestimento dicebat Pau-
 lus ad Corinthios: Etenim qui sumus in isto cor-
 pore, ingemiscimus gravati; eò quòd nolumus
 spoliari, sed supervestiri; ut absorbeatur mor-
 tale à vita. De quo vestimento dicat, in sequen-
 tibus monstrat: Qui autem perficit nos in hoc
 ipsum Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus.]

IV. Hæc verba Amalarij qualia sint, omnis
 qui erga sinceritatem fidei sollicitus est, judi-
 care potest. Tamen hoc quod subjungit dicens,
*De quo signaculo quasi de aliquo vestimento dice-
 bat Paulus ad Corinthios: Etenim qui sumus in
 isto corpore, ingemiscimus gravati, eò quòd no-
 lumus spoliari, sed supervestiri, ut absorbeatur
 mortale à vita,* talem sensum habere qualem
 ille intromittit si alicubi legit, illius forsitan er-
 ror est qui scripsit. Si autem ex semetipso ex-
 cogitavit, nimia præsumptio est. Quid nam-
 que ingemiscit gravatus? Certè eò quòd non
 vult spoliari, sed supervestiri. Et si non vult spo-
 liari vestimento Spiritus sancti, quid vult vesti-
 re super Spiritum Dei? Sed quoniam laborio-
 sum est refutare sensum ejus, hoc nobis dixisse
 sufficiat, quòd doctor catholicus beatus
 Augustinus hoc vestimentum mortalitatem
 carnis esse dicit, quam gestamus in hoc cor-
 pore viventes. Et propterea ingemiscimus gra-
 vati, quia timemus per mortem temporalem
 spoliari vestimento carnis: & si fieri posset,
 vellemus supervestiri immortalì vita; non de-

posita per mortem ipsa mortalitate, sed potiùs absorpta à vita.

V. Dicit iterum Amalarius in libro primo
 » capitulo quadragesimo: Solet quæri inter vul-
 » gares quanto tempore debeant unctiõnem
 » chrisinatis observare in capite, ut non laven-
 » tur qui accipiunt manus impositionem, absque
 » tempore baptisterij. Quibus potest responderi,
 » quanto tempore generaliter ab Ecclesia cele-
 » bratur adventus Spiritus sancti super Aposto-
 » los, tanto tempore celebretur apud unum-
 » quemque qui eum accipit, hoc est, septem die-
 » bus. Et non immeritò. Quoniam in septem mu-
 » lieribus venit ad hospitem suum, fas est ut uni-
 » cuiq; mulieri convivium suũparetur per singulos
 » dies. de quibus mulieribus dicit Isaias: *Appre-*
 » *hendent septem mulieres virum unũ.* Convivium
 » illarum mulierum est, quando ipsæ de se satiant
 » hospite suum. Talia convivia exercebat Christus
 » apud cõvivas suos, talia & Spiritus sanctus exer-
 » cet. hospes Spiritus sancti, mens est hominis. Mēs
 » tantò ampliùs satiatur à sagina Spiritus sancti,
 » quantò minùs fuerit dedita carnalibus delecta-
 » tionibus. Ita observet accipiens tempus adven-
 » tus Spiritus sancti, ut solet carus amicus circa
 » carum amicum observare. Quando aliquis ca-
 » rus ad amicum carum venit, in nullo vult ille
 » qui suscipit, illum offendere, sed quicquid no-
 » vit ei placitum esse, hoc ex corde benigno ei ad-
 » hiber. Ita quicquid cognoverit suscipiens Spi-
 » ritum sanctum, placitum ei esse, hoc illi exhi-
 » beat quandiu cum illo est. Si hoc fecerit, for-
 » sitan citiùs poterit ei conciliari, quando aliqua
 » offensa recesserit ab eo. Quando Christus re-

cordatur unctiōnem chris̄matis sibi adesse, tunc
 potissimūm recolit debere se esse sub disciplina
 Spiritus sancti. Vnctio illa ideo fit, ut sciamus
 quōd invisibiliter operetur Spiritus sanctus in
 nobis. Oleum solet fessorum membra fovere.
 Balsamus solet redolere. Fessa sunt membra ani-
 mæ nostræ, quando pœnitet se egisse quod con-
 tra Dei voluntatem est: ad quam solet Spiritus
 sanctus venire, & ei monstrare dimissa peccata,
 sive dimittenda. Vnde & ipse Spiritus consola-
 tor dicitur.]

Hæc verba Amalarij confusa & inutilia unus-
 quisque qui audit, videat quomodo corrigat,
 qualiter derideat: quia non ædificant fidem,
 sed destruunt; nec plantant virtutes in menti-
 bus audientium, sed evellunt; maximè ubi in
 postremis dicit: *Quando Christus recordatur un-*
ctiōnem chris̄matis sibi adesse, tunc potissimūm
recolit debere se esse sub disciplina Spiritus sancti.

VI. Item Amalarius in eodem capitulo: Non
 enim frustra Spiritus sanctus super Apostolos
 venit in die Pentecostes in vento & igneis lin-
 guis. Voluit futuræ Ecclesiæ demonstrare quid
 operatus esset in Apostolis per adventum suum.
 Venit in vento vehemēti, ut ostenderet se ex-
 cussurum esse ab Apostolorum cordibus om-
 nem cupiditatem terrenam. Sicut enim ventus
 vehemens proicit pulverem à facie terræ, sic
 adventus Spiritus sancti à corde hominis eicit
 omnem terrenam cupiditatem. In igneis linguis
 apparuit, ut demonstraret quales facturus erat
 linguas Apostolorum; hoc loquentes, & igni-
 ta verba infundentes in corda credentium. Hæc
 enim verba ignita consumunt peccata, & ac-

„ cendunt corda ad amorem æternæ patriæ, Ipsa
 „ est caritas quæ diffunditur in corda credentium,
 „ & facit ea unum cor esse ad imitationem suæ
 „ propriæ substantiæ; hoc est, ut unum velint, si-
 „ cut sancta Trinitas unum vult.]

VII. De his verbis Amalarij perpendant prudentes quid judicent. Manifestum tamen est, quòd in eo quod dicit, *Venit in vento vehementi ut ostenderet sese excussurum esse ab Apostolorum cordibus omnem cupiditatem terrenam*, obiciendum illi sit; Si eadem hora quando repleti sunt Spiritu sancto, adhuc discutiendæ erant ab Apostolorum cordibus omnes cupiditates terrenæ, quid operatus in eis est per tres annos mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus? & quare illis dicit: *Iam vos mundi estis, propter sermonem quem locutus sum vobis.* Et iterum: *Et vos mundi estis, sed non omnes.* Numquid non erant jam utres novi, parati & capaces ad recipiendum vinum novum, id est, Spiritum sanctum, qui eos induceret in omnem veritatem? In eo autem quod subinfert, dicens, *In igneis linguis apparuit, ut demonstraret quales facturus erat linguas Apostolorum, hoc est, loquentes & ignita verba infundentes in corda credentium.* Hac enim verba ignita consumunt peccata. non satis attendit quomodo dicat. Nam Apostoli jamdudum fuerant loquentes, iam prædicaverant, jam multa & magna signa fecerant; ita ut dicerent Domino: *Etiam demonia subiciuntur nobis in nomine tuo.* Non autem, sicut iste dicit, verba consumunt peccata; sed fidem ministrant, fidem ædificant, quæ audientes aptat ad gratiam Baptismi, ex tunc & deinceps

Ioan. 15.

Ioan. 13.

Luc. 10.

ceps. Quod autem subjungit, dicens quòd verba ignita Apostolorum accendant corda ad amorem æternæ patriæ. *Ipsa est caritas quæ diffunditur in corda credentium, & facit ea unum cor esse ad imitationem suæ propriæ substantiæ; hoc est, ut unum velint, sicut sancta Trinitas unum vult.* si bene sentit, bonum bene non loquitur. Nam multum differt inter verba prædicantium, & unctionem Spiritus sancti. Si enim verba Apostolorum facere potuissent quod iste somniat in cordibus auditorum, verba Domini potiùs id fecissent in cordibus Iudæorum. Sed quia non est hoc opus verborum, sed divini interni muneris, sic debet intimari qui docet in doctrina. Sed è contrà Amalarius docens non in doctrina, sentire cognoscitur, quòd sicut caritas, id est, Spiritus sanctus, corda fidelium per gratiam facit unum esse, & unum velle, ita in sancta Trinitate gratia ejusdem Spiritus ipsam sanctam Trinitatem faciat unum esse, & unum velle, sicut Arriani dogmatizare solebant.

VIII. Item Amalarius in libro primo capitulo tertio decimo dicit: Dominus noster est “ agnus, qui incipiente quintadecima luna tra- “ ditus est; & crucem ascendit Parasceve. Sequi- “ tur Responsorius cum quatuor versibus. Nulli- “ que dubium quin Christus homo ex quatuor “ elementis consisteret. Naturale est homini ut “ ex terra, & aqua, & aëre, & igne consistat. “ Quando naturam hominis assumpsit, hæc qua- “ tuor elementa assumpsit. Illa pendebant in cru- “ ce inter medios duos latrones. Vnde unus ver- “ sus: In medio duorum animalium cognosceris. “

Habac. 3. 11 quod ita Hieronymus in Habacuc.]

2. *Pet. 1.*

IX. In his verbis Amalarius quanta vagatione discurrat, qui erroribus insanæ mentis mederi per caritatem vult, prudenter perpendat. Homines qui tantum composuerunt ex verbis Scripturarum, arbitrio suo, prout illis congruum visum est, fecerunt. Et per diversas regiones diversis modis. Non Spiritu Dei acti, sicut beatus Petrus de Prophetis & prophetia futurarum rerum loquitur, dicens: *Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Et ideo si homo uni Responsorio quatuor versus adjungit, non est umbra alicujus ænigmatis, sicut iste putat, & mendacissimè putari cogit. In hoc autem quod dicit, *Sequitur Responsorium cum quatuor versibus. Nullique dubium quin Christus homo ex quatuor elementis consisteret. Naturale est homini ut ex terra, & aqua, & aëre, & igne consistat. Quando naturam hominis assumpsit, hac quatuor elementa assumpsit.* opponenda est sententia Apostoli his stultissimis & blasphemis sermonibus, qua dicit: *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum.* Dicat Amalarius quomodo Christus homo ex quatuor elementis consistat. Nempe veri fideles, id est, Catholici, Christum ita tenent, sicut eum beatus Augustinus confitetur, dicens: *Agnoscamus geminam substantiam Christi, divinam scilicet, qua equalis est Patri; humanam, qua major est pater. Verumque autem simul, non duo, sed unus Christus; ne sit*

Col. 2.

August. Serm. 8. ac diversis.

quaternitas non Trinitas Deus. Sicut enim unus est homo, anima rationalis, & caro; sic unus est Christus, Deus & homo. Ac per hoc, Christus est Deus, & anima rationalis, & caro. Christum in his omnibus, Christum in singulis confitemur. Quis est ergo per quem factus est mundus? Christus Iesus, sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Iesus, sed in forma servi. Item de singulis quibus homo constat. Quis non est derelictus in inferno? Christus Iesus, sed in anima sola. Quis resurrecturus, triduo jacuit in sepulcro? Christus Iesus, sed in carne sola. Subinfert etiam Amalarius, dicens: *Naturale est homini, ut ex terra, & aqua, & aëre, & igne consistat. Quod multum à puræ mentis intelligentia discrepat. Hoc enim commentum est philosophorum; quod licet ecclesiastici doctores ex toto non evacuent, non eis tamen ex omni parte consonant, nec dicunt hoc naturale esse in exordio originis. De qua re nunc longius aliquid dicere ineptum est: quoniam auctoritas Scripturæ aliter sentiendum demonstrat; illo videlicet loco, ubi omnipotens creator hominis, homini quem de limo terræ formaverat, (vel, sicut alia translatio habet, de pulvere) ait: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* quod non possunt facere aqua, aër, ignis. sed nec anima quam creator inspiravit in faciem homini formato de pulvere. sed ita fit ut alio loco Scriptura loquitur, dicens: *Revertatur pulvis in terram suam unde erat: & spiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Si autem de homine quolibet nimis insulsè dicitur quòd ex elementis naturaliter subsistat, quantò magis de Christo*

Gen. 3.

Eccle. 12.

Doinino, cujus caro nullam habet originem, nisi operationem Patris & Filij & Spiritus sancti, & susceptionem solius Verbi. Verbum enim caro factum est ut habitaret in nobis. Sicut ergo dicit beatus Augustinus, Christus est Deus, & anima, & caro. sed Deus non est ex elementis, neque anima. Veritas autem carnis, de corpore sumpta est Virginis, sine ullo opere humano vel angelico, sed opere, ut dictum est, tantum divino. Quod autem dicit Amalarius, *Quando Christus naturam hominis assumpsit, hac quatuor elementa assumpsit*, respondendum est illi, quod non erant redimenda elementa à morte peccati, sicut homo qui per prævaricationem sub diabolo captivus tenebatur. Erraverat enim sicut ovis quæ periit: propter quem venit pastor bonus, ut quæreret & inveniret, & reduceret ad supernam patriam, ubi sine administratione elementorum corporaliū vivat, fruendo Deo per eundem Redemptorem, sicut scriptum est: *Et simus in vero filio ejus Iesu Christo. Hic est verus Deus, & vita aeterna*. Nam de elementis illud credendum est quod princeps Apostolorum beatus Petrus ait: *Adveniet autem dies Domini ut fur: in qua cæli magno impetu transigent, elementa vero calore solventur*. Subjungit quoque Amalarius: *Illæ, id est, elementa, pendebant in cruce inter medios duos latrones. Vnde unus versus: In medio duorum animalium cognosceris. Quid ridiculosius dicere potuit, quàm ut aër & ignis de cruce penderent, quorum natura est, ut sursum versus ferantur? Et subjungit dicens, quod ita Hieronymus in Habacuc. Dic rogo, quid-*
 Hiero-

1. Joan. 5.

2. Pet. 3.

Hab. 3.

Hieronymus in Habacuc ? Numquid dicit, in medio duorum animalium cognoscantur elementa pendere ?

X. Item Amalarius in libro primo capitulo duodecimo : Si se exinanivit, juxta Apostolum, postquam formam servi accepit, quantum magis cum factus est Patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis ?]

Dicendum est Amalario, non sic dicere Apostolum ut ille ait ; id est, Postquam formam servi accepit, seipsum exinanivit ; sed, *semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* id est, in ipsa acceptione formæ servilis, & non postea, factus est obediens usque ad mortem.

Philip. 4.

XI. Dicit item Amalarius in libro tertio capitulo vicesimo tertio : Nunc de *Te igitur* dicendum est : Ab initio orationis usque ad locum ubi dicitur, Et in electorum tuorum jubeas grege numerari, celebratur sacrificium electorum qui non habent in carne quod eis repugnet, neque in conscientia quod conturber. Sicut enim duo altaria erant in tabernaculo Moysi, sive in templo Salomonis ; unum thymiamatis, alterum holocausti ; ita sunt duo sacrificia sanctæ Ecclesiæ.]

Et post pauca, iterum capitulo vicesimo quarto subinfert, dicens : Immolato priore sacrificio quod constat orationibus perfectorum, & est conjunctum sacrificio angelorum, descenditur ad universale sacrificium, immolationem scilicet Christi, quod celebratur ante *Nobis quoque peccatoribus.*] Et post paulum subjungit : Quoniam una hostia Christus oblata est pro justis & injustis.]

XII. Contra hæc verba Amalarij confusa & turbulentos sensus respondendum est quòd nec Pelagius nec Celestius ausi sunt tam irreverenter suam hæresim prædicare. Nam illi possibilitatem tantùm astruebant, dicendo posse esse hominem sine peccato si velit: non tamen audebant dicere, se sine peccato esse. Amalarius autem multò pejus dicere audet, qui asserit plures esse qui nec in corpore habent quod repugnet, nec in conscientia quod conturbet. Et licèt pejus iste quàm illi, tamen in commune contradicunt A postolo Iohanni, dicenti: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos decipimus, & veritas in nobis non est.* Et Apostolo Paulo, qui ait: *Video aliam legem in membris meis; repugnantem legi mentis meae, & captivum me ducentem in legem peccati, quae est in membris meis.* Vbi & turbatus subjungit, dicens: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Psalmista quoque ex voce perfectorum, qui dicere possunt, *Sicut cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus,* subjungens ait: *Ad me ipsum anima mea conturbata est.* Et iterum: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?*

XIII. Dicit adhuc idem Amalaritis: *Sicut enim duo altaria erant in tabernaculo Moysi, sive in templo Salomonis; unum thymiamatis, alterum holocausti: ita sunt duo sacrificia sanctae Ecclesiae.* Ad quæ respondendum est illi. Ecclesia Catholica sicut non habet duas fides, aut duo baptismata; sic non habet duo altaria, aut duo sacrificia. Ita namque & beatus Hieronymus in expositione Isaiaë Prophetæ, ubi dici-

1. Ioan. 1.

Rom. 7.

Psal. 41.

tur, *In die illo erit altare Domini in medio terre Egypti*, docet dicens: *Ita autem unum altare dicitur quomodo una fides, & unum baptisma, & una Ecclesia*. Et iterum: *Vnum autem altare Egypti, id est, mundi istius, dicitur; ut cuncta altaria, quæ contra Ecclesiæ eriguntur altare, sciamus non esse Domini*. Audiat etiam hoc Amalarius, quia sicut unum altare Ecclesiæ, ita unus panis corporis Christi, & unus calix sanguinis ejus. Sic enim Apostolus accepit à Domino, & tradidit Ecclesiæ. Quoniam Dominus noster Iesus Christus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine*. Hoc facite quotiescunque sumitis in meam commemorationem.] Unde & Ecclesia ex traditione Apostolorum his verbis consecrans mysterium sacri corporis & sanguinis Domini, designanter dicit Dominum dixisse Apostolis: *Accipite & manducate ex hoc omnes. Hoc est enim corpus meum*. Simili modo & postea quàm cœnatum est, accipiens & hunc præclarum calicem. Attendat fidelis quisque quid est quòd dicit hunc: Videlicet quia calix quem sacerdos sacrificat, non est alius nisi ipse quem Dominus Apostolis tradidit. Sicut ergo de sanguine, sic quoque de corpore sentiendum est.

XIV. Deinde subjungit Amalarius, dicens: *Immolato priore sacrificio, quod constat orationibus sanctorum, & est conjunctum sacrifici-*

» cio angelorum, descenditur ad universale sa-
 » crificium.] Hæc verba Amalarij non conso-
 nant sinceritati catholicæ. Cùm enim dicit *prio-*
re sacrificio, ostendit se aliud sacrificium sapere,
 quod sit posterius. Cùm verò subjungit, *quod*
constat orationibus perfectorum, & est conjunctum
sacrificio angelorum; mirum si vel ipse intelli-
 git quid loquatur. Nam quomodo constat sacri-
 ficium orationibus perfectorum? Numquid
 aliud constat orationibus peccatorum? Et si sa-
 crificium quod constat orationibus perfecto-
 rum, conjunctum est sacrificio angelorum;
 quod constat orationibus peccatorum, num-
 quid conjungitur sacrificio dæmoniorum?
 Deinde infert dicens: *Descenditur ad univer-*
sale sacrificium, immolationem scilicet Christi.
 Quid est quod loquitur? Vnde descenditur? &
 quò descenditur? Apertè dicit: *Descenditur ad*
universale sacrificium. Si descenditur ad univer-
 sale, id est, catholicum, (quod enim Latinè di-
 citur universale, hoc Græcè catholicum) des-
 cenditur ergo de non catholico ad catholicum,
 immolationem scilicet Christi. Si posterius sa-
 crificium, ipsum est universale, & immolatio
 Christi. Ergo prius sacrificium, nec universale
 est, nec immolatio Christi. Et quomodo con-
 stabit orationibus perfectorum, & erit con-
 junctum sacrificio angelorum, si non est uni-
 versale & immolatio Christi? Dic, rogo, quale
 sacrificium est melius, utrum illud prius, con-
 stans orationibus perfectorum, quod tamen
 non est universale, nec immolatio Christi? an
 posterius, quod constat orationibus peccato-
 rum, nec est conjunctum sacrificio angelorum,

& tamen est universale & immolatio. **U. III.**
 Quis audivit unquam tale? aut quæ unquam
 hæresis in tam irrationabilem se demersit con-
 fusionem?

XV. Subjungit autem adhuc his verbis, di-
 cens: *Quoniam una hostia Christus oblata est
 pro justis & injustis.* Non ita dicunt primi Apo-
 stoli, Petrus & Paulus. quorum prior: *Chri-* 1. Pet. 3.
stus, ait, semel pro peccatis nostris mortuus est,
justus pro injustis. Alter verò: *Vt quid enim* Rom. 5.
Christus, cum adhuc infirmi essemus, secundum
tempus pro impiis mortuus est. Et post pauca:
Quoniam si cum adhuc peccatores essemus, Chri-
stus pro nobis mortuus est; multò igitur magis ju-
stificati nunc in sanguine ipsius, salvi erimus ab
ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, recon-
ciliati sumus Deo per mortem filij eius, multò magis
reconciliati salvi erimus in vita ipsius. Et Domi- Matth. 9.
nus in Evangelio: Non veni vocare justos, sed
peccatores in pœnitentiam. Nam et si ante pas-
 sionem Domini fuerunt multi justis; illa fide
 salvati sunt, qua crediderunt Christum moritu-
 rum pro injustis & impiis, & ipsa fides libera-
 vit eos ab injustitia & impietate.

XVI. Dicit iterum Amalarius in quarto li-
 bro capitulo quarto: Est sacerdos in terra,, cui
 cotidie necesse est pro se & pro populo Dei
 intercedere. Est sacerdos in cælo, cui non est
 necesse intercedere, sed tamen vult, & inter-
 pellat cotidie pro nobis. Sacerdos qui est in
 terra, non vult neque potest dicere quòd abs-
 que peccato sit, dicente Iohanne: *Si dixerim* 1. Joan. 1.
us quoniam peccatum non habemus, nos ipsos
seducimus, & veritas in nobis non est. Qui ta-

S. A. S. *ut peccator, non debet à conscientia sua morderi ut tantum sit peccator, quantum multos cognoscit esse in populo terræ.]*

XVII. In his verbis Amalarij vagis & furibundis, & omni despectione dignis, illa pessima sunt quibus ait: *Qui tamen, (id est, sacerdos) quamvis sit peccator, non debet à conscientia sua morderi, ut tantum sit peccator, quantum multos cognoscit esse in populo terra.* Hæc verba non tantum inutilia sunt; sed multum noxia, & veritati contraria. Catholica namque fides sic se habet, ut nullius credat acceptari à Deo sacrificium vel orationem, nisi ejus qui cognoverit iniquitatem suam; sicut manifestè demonstrat David in oratione pœnitentiæ suæ, dicens: *Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Ac si diceret. Ideo merear indulgentiam tuam, quia cognovi iniquitatem meam. Nam si ego non agnovero, tu non ignoscas. Sic & Dominus per Moysen præcipit, dicens: *Si peccaverit Princeps, & fecerit unum è pluribus per ignorantiam quod Domini lege prohibetur, & postea intellexerit peccatum suum; offerat hostiam Domino. Et post pauca: Rogabitque pro eo sacerdos, & pro peccato ejus, ac dimittetur ei. Et iterum: Anima si peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his quæ Domini lege prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem suam, offerat arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, juxta mensuram estimationemque peccati. qui orabit pro eo quòd nesciens fecerit; & dimittetur ei qui per errorem deliquit in Domino.* Salomon quoque

Ps. l. 50.

Levit. 4.

in dedicatione templi, orans dicit: *Si quis cognoverit plagam cordis sui, & expanderet manus suas in domo hac, tu exaudies in loco habitationis tue, & repropitiaberis.* Perpendat prudens fidelis, quàm contrarium sit veritati divinæ consilium Amalarij, & quantum congruat suafioni diaboli.

XVIII. In libro quarto capitulo ultimo dicit Amalarius: Nuperrimè monstratum est mihi, ut puto, ab eo qui quod aperit, nemo claudit, quid rationabiliter possit dici de corpore Domini posito in altari, & de calice ex latere ejus, salvo magisterio eorum qui aliàs & meliùs mihi volunt aperire, quomodo & quare aliter panis ponendus sit in altari, & calix juxta eum. Altare, crux Christi est, ab eo loco ubi scriptum est in Canone, *Vnde & memores sumus, usque dum involvitur calix de sudario Diaconi, vice Ioseph, qui involvit corpus Domini sudone, & sudario.*] Et post pauca: Panis extensus super altare, corpus Domini monstrat extensum in cruce, quod nos manducamus. Vinum & aqua in calice, monstrat sacramenta, quæ de latere Christi in cruce fluxerunt, id est, sanguinem & aquam, quibus nos potat Dominus noster.]

XXI. Ad hæc verba Amalarij respondendum est: Si putat ab eo sibi demonstratum qui aperit & nemo claudit, cur subjungit, dicens: *Salvo magisterio eorum qui aliàs & meliùs mihi volunt aperire.* Vbi iterum putat invenire qui meliùs illi possit aperire quàm Dominus, qui aperit, & nemo claudit? Quare non est recordatus evangelicæ sententiæ, quæ dicit: *Ne vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus* &

EPITAPHIVM
 KAROLI MAGNI
 IMPERATORIS.

AVREA cælorum postquam de Virgine
 Christus
 Sumpserat apta sibi mundi pro crimine membra,
 Iam decimus quartus post centies octo volabat
 Annus, fluctivagi meruit quo fervida cæli
 Ætherei Karolus, Francorum gloria gentis,
 Equora transire, & placidū comprehendere portū.
 Qui deciesque quater per sex feliciter annos
 Sceptra tenens regni, & regno Rex regna rejunget,
 Febru migravit quinto arij ex orbe Kalendas,
 Septuaginta senex vita qui terminat annos.
 Quapropter flagito, precibus si flecteris ullis,
 Quique hujus relegis versus epigrammata lector,
 Astriferam Karoli teneat, dic, spiritus arcem.

DE TRANSLATIONE
 reliquiarum sanctorum martyrum
 Cypriani, Sperati, & Pantaleonis ad
 urbem Lugdunensem.

RECTOR magnificus piusque Princeps,
 Augusto Karolus decore fultus,
 Sceptrum nobile Francicum regebat,
 Subjectos populos piè gubernans,

Lectos aequora jusserat secare ,
Ac jam propitio sibi Tonante ,
Post multos nimiae via labores ,
Ingressu reduci salum petentes ,
Intrarunt Libycos repente fines :
Qua Carthago gravi jacens ruina
Deflet prae terita decus juventa.
Hic dum Basilicas Deo dicatas ,
Et Christi subeunt verenda templa ,
Cernunt ut tua , Cypriane martyr ,
Servaret loculus neglectus ossa.
Tum vero nimio dolore moti ,
Et magno gemitu polum intuentes ,
Poscunt auxilium Dei perennis ,
Pro quo sancte tibi caput recisum est.
Et mox poplitibus precando flexis ,
Pandunt sarcophagum , studentque sacros
Artus stringere linteis paratis ,
Committuntque sacro corpus locello.
Sperati quoque martyris beati ,
Necnon Pantaleonis ossa raptim
Tollunt cuncta simul , ligantque pannis.
Conscendunt celeres ratem paratam ,
Nec savi metuunt pericla Ponti.
Egressis Arelas opima portu
Occurrit placido , sinuque lato
Fessos excipit , ac fovet benignè.
Hac mox cum audit optimus sacerdos ,
Lucduni placidam tenens cathedram ,
Sanctorum eximio calore flagrans ,
Intendensque sacris ubique rebus ,
Ledradus specimen decusque Cleri ,
Orat , postulat , impetratque raptim ,
Ut sanctissima martyram piorum

Nostris mœnibus ossa conderentur,
 Lucduni, ad placidam Iohannis aram,
 Qui Christum vitrea rigavit unda.
 Illic cum sociis honore claro
 Florens, inclyte Cypriane, dormis.
 Sed quaeso vigiles, vigilque nostris
 Intendas precibus; fiasque nobis
 Clemens & validus Dei patronus;
 Solvas crimina, conferasque vota.
 Sit, quaeso, memor illa lingua nostri,
 Quae confessa Dei perenne verbum,
 Cervicem gladio dedit secandam;
 Sed Christum cecinit, silere nescit.
 Hanc Christus jugiter benignus audit,
 Ve sacros populos stilo excitantem,
 Haresesve pravas, deosve falsos,
 Verbi fulmine funditus cremantem.
 Hanc & pro populo & patrono nostro
 Semper quasumus audiat rogantem;
 Pastorem foveat, gregem propaget;
 Det munus fidei, decus salutis.
 O Doctor sacer, ô beate martyr,
 Serva Pontificem pius Agobardum,
 Qui nomen, meritum, tuumque festina
 Dictis extulit, & honore compsit.
 O triplex honor, ô triforme culmen!
 O tres magnifici piique testes!
 Sit nobis triplici ô favens precatu
 Pollens unica trinitas per ævum.



EPISTOLÆ
LEIDRADI
ARCHIEPISCOPI
LVGDVNENSIS.





EPISTOLÆ
LEIDRADI
ARCHIEPISCOPI
LVGDVNENSIS.

AD KAROLVM MAGNVM
Imperatorem.

E P I S T. I.



VMMO Karolo Imperatori Leidradus Episcopus Lugdunensis salutem. Domine noster, constans & facer Imperator, supplico clementiæ celsitudinis vestræ, ut hanc brevem suggestiunculam meam vultu serenissimo audiatis: quatinus quæ hîc inserta sunt, piissimæ prudentiæ vestræ nota fieri queant, & intentio meæ postulationis ab ingenua clementia vestra reminiscatur. Olim me exiguissimum famulorum vestrorum ad regimen Ecclesiæ Lugdunensis destinare voluistis, cùm ego huic officio impar existerem, & indignus. Sed vos, qui non at-

tenditis hominum merita, sed vestram solitam clementiam, egistis de me sicut ineffabili pietati vestræ placuit, nullo existente merito meo; meque admonere dignati estis, ut ego sollicitudinis curam gererem, & ut negligentia, quæ in prædicta Ecclesia perpetrata noscebantur, emendarentur, & perpetranda vitarentur. Erat enim dicta Ecclesia multis in rebus destituta interius exteriusque, tam in officiis, quam in ædificiis, & ceteris ecclesiasticis ministeriis. Ego humillimus servulus vester, postquam ibidem perveni, quæ cum Dei adjutorio & vestro peregi audite. Quoniam, ut inspector conscientiarum Dominus omnipotens mihi testis est, non tali intentione ea vobis patefacio quæ dicturus sum, ut propterea in rebus augeri merear; neque aliud tale in cogitatione mea composui, ut acquisitionis mihi occasio sit, nec suggero; quoniam quotidie exitum à rebus humanis suspicor, propter infirmitatem meam, & incessanter de morte suspectus sum. Et ideo hæc suggero, ut cum benignissimis auribus vestris præsentata fuerint, & clementer inspecta, si qua bene & secundum voluntatem vestram gessi, post meum discessum non deficient, aut pereant. Denique postquam, secundum jussionem vestram, sæpèdictam Ecclesiam suscepi, juxta vires parvitatæ meæ omni industria egi, ut Clericos officiales potuissem sicut jam Deo favente ex magna parte mihi habere videor. Et ideo officio vestræ pietatis placuit ut ad petitionem meam mihi concederetis redditus qui ab antiquo fuerant de Lucdunensi Ecclesia: per quam, Deo juvante, & mercede ve-

stra annuente, in Lucdunensi Ecclesia est ordo pfallendi instauratus, ut juxta vires nostras secundum ritum sacri Palatij omni ex parte agi videatur quicquid ad divinum persolvendum officium ordo exposcit. Nam habeo scholas Cantorum; ex quibus plerique ita sunt eruditi, ut alios etiam erudire possint. Præter hæc verò habeo scholas Lectorum, non solum qui officiorum lectionibus exercentur, sed etiam in divinatorum librorum meditatione spiritalis intelligentiæ fructus consequuntur; ex quibus nonnulli de Libro Evangeliorum sensum spiritalem eam ex parte adipisci possunt. Plerique verò librum Prophetarum secundum spiritalem intelligentiam adepti sunt. Similiter libros Salomonis, vel libros Psalmorum, atque etiam Iob. In libris quoque conscribendis, in eadem Ecclesia, in quantum potui, elaboravi. Similiter vestimenta sacerdotum vel ministeria procuravi. De restauratione etiam Ecclesiarum, in quantum valui, non cessavi; ita ut ejusdem civitatis maximam Ecclesiam, quæ est in honorem sancti Iohannis Baptistæ, à novo operuerim, & macerias ex parte erexerim. Similiter Ecclesiæ sancti Stephani tegumentum de novo instauravi. Ecclesiam quoque sancti Nicetij de novo etiam reædificavi. Similiter Ecclesiam sanctæ Mariæ. Præter monasteriorum restorationes, domus quoque episcopales, inter quas unam restauravi, quæ jam penè destructa erat, quam operui. Aliam quoque domum cum solarario ædificavi, & duplicavi; & hanc propter vos paravi; ut si in illis partibus vester esset adventus, in ea suscipi possentis. Claustrum quo-

328 LEIDRADI ARCHIEPISCOPI
que Clericorum construxi, in quo omnes
nunc sub uno conclavi manere noscuntur.
In eadem civitate alias restauravi Ecclesias:
unam quidem in honorem sanctæ Eulaliæ, ubi
fuit monasterium puellarum, in honorem san-
cti Georgij, quam de novo operui, & ex parte
macerias ejus à fundamentis erexi. Alia quo-
que domus in honorem sancti Pauli de novo
operta est. Monasterium quoque puellarum in
honorem sancti Petri dedicatum, ubi corpus
sancti Annemundi martyr is humanum est, quod
ipse sanctus martyr & Episcopus instituit, ego
à fundamentis tam Ecclesiam quam domum re-
stauravi, ubi nunc sanctimoniales numero tri-
ginta duæ, secundum institutionem regularem
videntes, habitare videntur. Et monasterium
regale Insulæ Barbaræ, [situm in medio Ara-
ris fluvij, quod antiquitus est dedicatum in ho-
norem sancti Andreae Apostoli, & omnium A-
postolorum, nunc autem in honorem sancti
Martini recens videtur esse fundatum jussu
Domni Karoli Imperatoris, qui ibidem præfe-
cit Dominum Benedictum Abbatem, cum quo
simul direxit ibi suos codices] ita restauravi,
ut tecta de novo fuerint, & aliqua de maceris
à fundamentis erecta; ubi nunc monachi secun-
dum regularem disciplinam numero nonaginta
habitare videntur. Cui etiam Abbati tradidi-
mus potestatem ligandi & solvendi uti habue-
runt prædecessores sui, scilicet Ambrosius, Ma-
ximinus, Licinius, clarissimi viri, qui ipsum lo-
cum rexerunt: quos Eucherius, Lupus, atque
Genesis, ceterique Episcopi Lucdunenses, ubi
ipsi deerant, aut non poterant adesse, mittebant

Vide Notas.

cognituros utrum catholica fides rectè crederetur, ne fraus hæretica pullularet. Quibus illis in tantum erat commissa cura, ut si Ecclesia Lucdunensis viduaretur proprio patrono, ipsi in cunctis adessent rectores, & consolatores, quousque Ecclesia à Domino dignissimo illustraretur pastore. Nos similiter posteris illorum hanc potestatem tradidimus. Insuper jussimus fieri decreta priscorum Regum Franciæ, ut quemadmodum ipsi statuerunt monimenta emendi & augendi locum in omnibus rebus, quas ad præsens habere videntur, vel in futuro, Deo auxiliante, acquirere poterunt, sine ulla querimonia per secula possideant.

A D S O R O R E M.

E P I S T. II.

CARISSIMÆ ac suspicientissimæ in Christo sanctæ sorori Leidradus licet indignus Lucdunensis Ecclesiæ Episcopus in Domino Iesu Christo sempiternam salutem. Cognoscere dignetur prudentia almitatis tuæ nos juxta donum donantis Dei viribus corporis aliquantisper prævalere; & secundum quod, si incerta salus propter suspectos casus vitæ hujus habet, de salute nostra gratias Deo debere. Deinde secundum vires animi memores nos esse in orationibus nostris pro salute vestra temporali & æterna. Vos quoque, si bene valetis, & in orationibus vestris, juxta quod de vobis confidimus, memores nostri estis, immensas Deo re-

120 LEIDRADI ARCHIEPISCOPI
ferimus gratias ; eò quòd secundùm quod de-
sideramus esse vos constat. Novi autem ani-
mum vestrum nuper vehementi dolore percul-
sum , post mortem filij , postea fratris. Et uti-
que tanti solatij privatio nullo modo nos potest
sine gravi dolore affici ; quoniam de quorum vi-
ta gaudemus , consequenter de eorum morte
dolemus ; & tantò majore tristitia eor nostrum
premit cujuscunque mors , quanto majore læ-
titia sublevabat vita. Neque enim jura naturæ
penitùs extinguere possumus , ne doleamus ; sed
forsitan consilio meliore lenire , ut toleremus ;
ne fortè contingat ut dum amoris sequax ani-
mus pro proximo dolet , ut blandus judicii di-
vinis efficiatur infensus. Multa enim discretio-
ne opus est , ut in hujusmodi damnis inter Deum
judicantem & proximum morientem æquitatis
tenorem non relinquamus ; quatenus & justissi-
mo judici ingrati non existamus , & mortuo
proximo compassionis dolorem juxta mensuram
exhibeamus. Audiendum omnino est consilium
beati Pauli Apostoli dicentis : *Nolo autem vos
fratres contristari de dormientibus* , id est , mo-
rientibus , *sicut & ceteri qui spem non habent re-
surrectionis*. Aliud est enim infidelem infideli-
ter flere mortuum , quasi ex toto perditum ,
quem non speret esse victurum ; aliud est fidelem
fideliter mortuum interim condolere , quem non
dubitat esse resurrecturum. Et quanquam , ut su-
perius dictum est , fieri non possit ut ejus nobis
non sit mors amara , cujus dulcis est vita , & hinc
sit luctus humani & affectuosi cordis , quasi
vulnus , aut ulcus ; rectè tamen huic sanando
adhibentur officiosæ consolationes , est enim

quod sanetur. & quanto est animorum melior, tanto in eo citius faciliusque sanetur. Cum igitur de carissimorum mortibus, maximè quorum sunt humanæ societati officia necessaria, nunc mitius, nunc asperius affligatur vita mortalium; tamè eis quos diligimus iustius congratulamur, cum moriuntur, quàm toleramus, cum à fide vel bonis moribus labuntur. *Quia tentatio est vita humana super terram.* Et: *Va mundo ab scandalis.* Iob. 7.
Math. 23. Et cum mors eorum nos contristat, ipsa iterum consoletur; quia caruerunt malis, quibus in hac vita boni homines vel conteruntur, vel depravantur, vel in utroque periclitantur. Crede quia, ut mihi videtur, ex altera parte omni morienti congratulandum est; ne fortè si vixisset, pejor obiisset. Sed quia id hominibus suaderi non potest, illud subtiliter considerandum est, quòd cum omnes mortales & morituri nascamur, alij moriuntur in uteris matrum, alij mox in hanc lucem effusi; & deinceps non invenitur qui numeretur dies aut annus, in quo non mors occurrens intercipiat vitam ejus qui adhuc vivere vellet, seque vivere putaret. Cum hæc igitur ita sint, diligenti consideratione mutatur, quotidianas Deo debemus grates exsolvere, quia dedit quòd viximus, quandiu viximus, non dolere de hoc quòd morimur, ultra quòd nunquam accepimus ut viveremus. *Quis, rogo, non moritur? Si Salvator, dator salutis & vitæ, mortuus est; quis tam stultus est ut semper velit vivere, dum novit pro nobis mortem gustasse? Vita nascimur æquales, coæqualiter morimur omnes. Diversa est merces post mortem, mors tamen omnibus una.* Ploramus & gemi-

mus, sed prodesse ad invicem non valemus. Luctus adest oculis, & nullus fructus operis: quia non revelatur, cum plangimus. Surda & dura est mors. nec audit, nec condolet. Nulla potestas auxiliari sibi potest. Figulus ille qui omnes de una terra plasmavit, novit quale & quando vas frangat. Nullum tamen illi perit: quia qui fecit de pulvere, de pulvere reficiet. Ad jussionem omnipotentis nemo potest esse rebellis. Qui adhuc vivit, consideret unde possit prodesse mortuo. Quia & qui mortuus est, non eget infructuoso luctu, sed fructuoso suffragio. Iam sufficiat præterita damna plorasse. Demus operam, futuram nobis mortem levigare. Quod vitari non potest, non valde timendum est. Ea verò timenda sunt mala, quæ & viventes vitare possumus, & post mortem sunt mala. Nam mors, quæ in se mala est, malis propterea mala est, quia per eam ad pejora transeunt: bonis verò bona est, quia per eam ad meliora transeunt. Nemo sibi vivit, & nemo sibi moritur. Si vivimus, Domino vivimus: si morimur, Domino morimur. Christus mortuus est, & resurrexit, ut & mortuorum & vivorum dominetur. Ergo cogitatione, locutione, operatione ea studeamus, per quæ illi placeamus, cujus potestas est malè viventes damnare, & bene morientes glorificare; quique tribuit malè viventibus, per emendationem bene mori; nunquam tribuit bene morientibus, malè vivere.



AMVLONIS

ARCHIEPISCOPI

LVGDVNENSIS

EPISTOLÆ ET OPVSCVLA.





EPISTOLÆ
 AMVLONIS
 ARCHIEPISCOPI
 LVGDVNENSIS.

AD THEODOLDVM
Episcopum Lingonensem.

EPIST. I.



EVERENTISSIMO & puro dilectionis affectu excolendo Theodoldo Ecclesiæ Lingonicæ Episcopo, Amolo humilis ecclesiæ Lucdunensis Episcopus in Domino Iesu Christo sempiternam salutem. Mandastis nobis per dilectum fratrem Chorepiscopum vestrum, nuper in castro Divionensi, apud Ecclesiam beati Benigni martyris, cœpisse quædam fieri in his qui orationis & venerationis causa ex quibuscunque locis confluere videntur, & maxime, immo, ut nonnulli affirmant, tantumme-

do in feminis ; unde animus vester quadam ambiguitate turbaretur , & necessarium iudicaretis nostrum , id est , fraternum , expetendum esse consilium. Dixit enim quòd anno transacto duo quidam , qui se monachos esse dicerent , detulerint usque ad præfatam sancti martyris Basilicam quædam velut cuiusdam sancti ossa , quæ se vel ex urbe Roma , vel ex nescio quibus Italiæ partibus , sustulisse affirmabant : cuius tamen sancti nomen se oblitos esse mira impudentia dixerunt. Quasi aut eum in tantum diligere & venerari potuerint , si verè sanctum esse cognoverant , ut tanto terrarum spatio tam studiosè deferre satagerent , nisi ejus nomen in locis illis , unde assumptus dicitur , usitatum esset atque vulgatum , & istis ita insinuatam & cognitum , ut desiderarent illum & exposcerent , vel etiam furto auferrent in suæ regionis finibus collocandum , ac venerationi fidelium commendandum. Aut certè quem tanta veneratione dignum agnovissent , quem tanto amore transferendum exoptassent , quem tam longo itinere ipsi assiduè pertulissent ; ejus nomen saltem una hora oblivisci potuerint ; ut non illum , quem tantopere diligebant & venerabantur , continuo desiderio atque oratione ad præsidium salutis suæ & ad propitiandam divinam clementiam pia & indefinente memoria sibi adesse precarentur ; aut omnino tantæ ignaviæ ac stoliditatis extiterint , ut nomen ejus ad commotionem sui nec litteris saltem signare studuissent. Vnde , sicut prædictus frater noster retulit , prudenter & religiosè fecistis ut istiusmodi reliquias , quarum nulla extaret auctori-

tas, & ipsum quoque vocabulum esset ignotum, nec ullo modo recipiendas judicaretis, nec penitus contemnendas; si tamen illi qui detulerant possent, sicut promittebant, hujus rei certitudinem ex eisdem partibus delatam sub diligenti examinatione evidentè ostendere. Dixit itaque nobis quòd unus ex præfatis monachis, qui apud Divionem remanserat, jam mortuus sit; alter verò, qui ad perquirendum & renuntiandum perrexit, nequaquam ulterius sit reversus. Attamen dum illa ossa, à tam vilibus personis delata, & nulla veritatis assertione declarata, & tam insulsa relatione Ecclesiæ inlata, velut causa honoris juxta sepulchrum præfati gloriosi martyris reverenter locata conservantur, cœpisse in eadem Basilica velut quædam miracula fieri, non sanitatum & curationum, quibus ulla indicia divinæ miserationis & propitiationis ostenderentur, sed percussionum & elisionum, quibus miseræ mulierculæ subito in ipsa orationis domo cadere, & conlidi, & quasi vexari videntur; cùm tamen in nulla parte corporis læsæ appareant, aut ulla plagæ alicujus vestigia monstrare videantur. Qua ex causa tanta illuc velut admirantium & stupentium turba concurrat, sicut non solum ab illo fratre nostro, quem misistis, sed etiam à nonnullis alijs didicimus, ut jam trecentæ sive quadringentæ aut eo amplius personæ esse referantur, quæ jam dicto modo corruentes atque elisæ & perpaululum velut recepto sensu sanatæ, nullatenus à loco discedere posse firmantur; quia videlicet si ad domos suas redire temptaverint, statim nova nescio qua

138 AMVLONIS ARCHIEPISCOPI
plaga percussæ, ad Ecclesiam de qua exierant
redire compellantur. In quibus esse dicuntur,
non solùm puellæ, sed etiam conjugatæ iuue-
niores, & maturiores ætate, honestiores, at-
que viliores. Hæc autem non solùm in Ecclesia
sancti Benigni, sed etiam in altera Ecclesia in-
tra ipsum castellum & in aliis nonnullis per par-
rochias vestras similiter jam fieri cœpisse signi-
ficastis. Nam & in Augustodunensi territorio
quod Sedelocus vocatur, apud Ecclesiam in qua
sancti martyres Andochius, Thyrsus, & Felix
conditi sunt, similia fieri vel potiùs simulari cer-
ta relatione comperimus. Expectavimus autem
aliquot diebus ut sicut per præfatum Chorepis-
copum vestrum rogavimus, diligentius & mo-
dum & ordinem hujus rei vestris nobis litteris
intimaretis; ut quantò subtilius & evidentiùs
instructi, tantò adspirante Dei gratia ad res-
pondendum inveniremur parati. Sed quia ni-
hil postea rescripsistis, melius nobis visum est
ut juxta quod ex eius relatione agnoscere vel
perpendere potuimus, dilectioni vestræ debi-
tum responsionis officium solvere non differa-
mus. Igitur ut ad hæc omnia, prout Christus
donare dignatur, breviter respondeamus, &
causæ ambiguum cum vestra pariter dilectio-
ne refecemus; videtur nobis inprimis ut ossa
illa, quæ nulla ratione, nulla auctoritate, nes-
cio cujus sancti esse dicuntur, unde primùm
prurigo hujus curiositatis exorta esse videtur,
omnino de sacris adytis & de loco celebri tol-
lantur, & nequaquam intra Ecclesiam, sed
foris in atrio, aut certè sub pariete, vel cir-
ca ipsam, vel, quod utilius existimamus, circa

aliam secretò in loco apto & mundo sub paucorum conscientia sepeliantur ; ut quoniam & sancta esse dicuntur , aliquid eis reverentiæ deferatur , & quia esse penitus nesciuntur , nequaquam rudibus populis occasio erroris & superstitionis existant. Nec metuere debemus ne fortè ex hac diligentia aliquam offensionem incurramus. Vult enim omnipotens Deus nos in rebus suis cautos esse atque discretos , juxta præceptum Apostoli dicentis : *Omnia autem probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mala abstinete vos.* Et iterum : *Nam & ipse Satanans transfiguratur se in angelum lucis.* Vnde & Dominus monet dicens : *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columba.* Habemus in hac re magnum & reverendum pietatis exemplum in gestis beati Martini , ut nequaquam temerè adhibeamus incertis fidem. Qui beatus & gloriosus Christi Confessor & Pontifex locum quendam à præcessoribus suis sub altaris titulo consecratum , & concurrentis populi frequentia celebratum , quia nec nomen sepulti illic , ut ferebatur , martyris , nec tempora passionis ejus reperit , omnino se ab illo loco abstinit , nec auctoritatem suam vulgi opinioni accommodare ullatenus voluit , donec rei veritate divinitus sibi patefacta , etiam populum superstitionis illius absolvit errore. Invenimus etiam in decretis beati Papæ Gelasij graviter notari Episcopos & penè alienos à Christianitatis affectu designari , qui in quocunque nomine defunctorum , & fortassis nec omnino fidelium , ædificatas sacris processionibus audacter instituere præsumunt Ecclesias. Sed &

1. Thess. 5.

1. Cor. 11.

Matth. 10.

Sulp. Severus
in lib. de vita
B. Martini
cap. 8.

Decreta Gelasij
cap. 23.

140 AMVLONIS ARCHIEPISCOPI
quorundam venerabilium valde sanctorum
corpora novimus, vel inter agrorum sepultura-
ras, vel in angulo Ecclesiæ annis plurimis ja-
cuisse, donec se dignis revelationibus manifesta-
rent. Quapropter juxta apostolicam atq; evan-
gelicam auctoritatem & venerabilia sanctorum
Patrum exempla atque instituta, removeatur
de medio, & congruenti modo habeatur unde
santa pullulavit occasio superstitionis, & nul-
la probatur existere utilitas salutis. Nam etsi
unum aut multum duo vel tria istis ipsis tem-
poribus, quibus talia geruntur, sanitarum vel
curationum signa in eadem beati Benigni mar-
tyris Ecclesia veraciter & probabiliter celebra-
ta sunt, hæc profectò cum omni gaudio & ve-
neratione ac debita gratiarum actione ad Dei
gloriam & beatissimi atque gloriosissimi mar-
tyris merita referenda sunt. Nectamen ob hoc
cetera quæ sive in ejusdem martyris Ecclesia,
sive in plerisque aliis fieri dicuntur, approban-
da sunt. Quia, quantum ipsius rei gestæ ordo
ostendit, potuit fieri ut hæc primùm ex vana
opinionem, tanquam nuper allati sancti corpo-
ris locum inveniret occasio, dum in diebus qua-
dragesimalibus, confluentibus fortasse, ut in
multis locis consuetudo est, ad orationem po-
pularibus turbis ostenderetur, commendaretur,
& venerationi habendus, qui penitus
ignorabatur, supervacue inculcaretur; atque
ex hoc jam superveniente solemnitate Pascha-
li, quando talia inchoasse perhibentur, viles &
nequam homunculi, accepta occasione, sive
necessitate famis cogente, sive cupiditate lucri
instigante, istiusmodi velut percussiones, &

conlisiones & dementationes, ac rursus sanationes, fingere atque ostentare cœperint, sive sint viri, sive mulieres. Quod cum populus, supervacua opinione delusus, in admiratione vel terrore habere cœpisset, tanta illuc conferre & quasi malè habentibus velut ex misericordiæ compassione administrare cœperunt, ut omnino qui talia pati videbantur, non solùm à loco recedere nollent, sed tanquam nova plaga ac debilitate percussi, nullatenus se recedere posse simularent. Quando enim unquam in Ecclesiis Dei, in memoriis beatissimorum martyrum, talia signa increbuerunt, quibus nequam ægri sanarentur, sed sani percuterentur & dementarentur? Quando istiusmodi sanitates sanctorum oratio apud Dominum obtinuit, quibus simplices & innocentes puellæ in sanctuario Dei incolumes reddantur, sed si de salute sua gaudium parentibus facere voluerint, continuo iterum percussæ ad domos eorundem parentum suorum redire prohibeantur. Quando autem martyres sancti ita conjugatas quasque fideles in suis sanctuarijs sanitati restituerunt, ut eas à maritis sejungerent, & ne ad virorum suorum domos reverti possent, repentinæ cladis animadversione percuterent? Quis hæc non videat vel fallacijs hominum nequissimorum vel deceptionibus & ludibrijs dæmonum concinnata qui hebetes sensu, & inanes fide, & plenos curiositate, & attonitos vanitate, facillè opprimunt, vel etiam invadunt; ut in eis Deo justè permittente, & propria nequitia sæviente, talia etiam veraciter exercere sinantur? Atque ita velut ex uno loco per astutiam

hominum & nequitiam dæmonum pessimorum, qui humanæ saluti libenter inludunt; per alia atque alia loca se pestilentia ista superstitionis atque inlusionis diffudisse videtur, dum in sacris locis & sanctorum martyrum Basilicis sunt etiam quidam qui turpis lucri gratia non solùm ista non prohibent, nec errantem populum ad sinceram & puram religionis observantiam instituunt, sed etiam instigant ad talia sectanda, eosque tanquam religiosos prædicant, ac suis adulationibus supplantant, tantùm ut ex eorum votis atque donarijs vel marsupia sua repleant, vel epulis & potationibus vacent, de quibus rectè per Prophetam dicitur: *Peccata populi mei comedent; & ad iniquitatem eorum sublevabunt animus eorũ.* Hæc de fictione talium inlusionum & insana quorundam cupiditate nequaquam in hujus responsionis nostræ serie diceremus, nisi talia tempore pij patris & antecessoris nostri ita certissimè in quibusdam homunculis, tam viris, quàm feminis, intra parrocchiam nostram experti essemus, ut de his nullatenus dubitare permittamur. Vidimus namque aliquoties coram illo qui se dæmoniacos ad vexaticios esse simularent; sed cùm plurimis plagis atque verberibus distringerentur, confestim de miserissima simulatione confessi, & necessitates atque egestates suas, quibus supplendis talia ostentaverant, publicè exponentes, ab omni invasione dæmoniaca, sicuti & erant, inlæsi apparuerunt. Scimus etiam civitatem quandam haud longè à nostris finibus, quæ Vcetia nuncupatur, sita in provincia Narbonensi; ubi cùm ejusdem

piæ memoriæ præcessoris nostri tempore ad sepulcrum sancti Firmini Episcopi istiusmodi percussiones & elisiones fieri cœpissent, ita ut in membris cadentium reperirentur quædam stigmata ustionis, tanquam illic sulphur arsisset, & ex hoc territi atque obstupefacti vulgares, cum votis ac donis plurimis gregatim Ecclesiam frequentarent, accepto ab eodem patre nostro consilio prædicavit eis atque præcepit Narbonensis qui nunc superest Bartolomæus Episcopus, ut omnino locum illum, quem superstitiosè frequentare cœperant, nequaquam ampliùs ita frequentarent, & quæcunque illuc conferre consueverant, magis in usus indigentium & misericordiæ opera erogarent. Quod cum factum fuisset, statim & ibi & in aliis locis in quibus jam similiter fieri incipiebat, tota illa deceptio cessavit, & populus fidelis optata incolumitate ac tranquillitate respiravit. Vnde omnino videtur nobis, prout ratio ipsa dictat, & bonorum nos exempla informant, ut arripiatis pium studium & sacerdotalem sinceritatem ac severitatem; & ne domus Domini, quam oportet esse domum orationis, fiat domus negotiationis & spelunca latronum, eliminatis ex ea istiusmodi commentum & figmentum diabolicum, quo tanta infelicitum hominum & maximè mulierum multitudo nimis dolendè ac pudendè, velut captiva & mente capta, obligata tenetur; annuntiando omnibus fideliter, atque obtestando, ut intermissio huiusmodi vano & pernicioso concursu, unde nulla animæ salus, nulla corporis incolumitas,

nulla vitæ utilitas provenire cognoscitur, una-
 quæque plebs in paræchiis & Ecclesiis, qui-
 bus attributa est, quieta consistat, ubi sacrum
 baptisma accipit, ubi corpus & sanguinem Do-
 mini percipit, ubi Missarum sollempnia audire
 consuevit, ubi à sacerdote suo pœnitentiam de
 reatu, visitationem in infirmitate, sepulturam
 in morte consequitur, ubi etiam decimas &
 primitias suas offerre præcipitur, ubi filios suos
 baptismatis gratia initiari gratulatur, ubi ver-
 bum Dei assidue audit, & agenda ac non agen-
 da cognoscit, illuc, inquam, vota & oblationes
 suas alacriter perferat, ibi orationes & suppli-
 cationes suas Domino effundat, ibi suffragia
 omnium sanctorum quærat, qui, ut scriptum
 est, *sequuntur agnum quocumque vadit*, & id-
 circo fideliter invocantibus ubique præsto sunt,
 & per ipsos atque in ipsis omnipotens Deus,
 qui populo suo promittit dicens: *In omni loco
 in quo memoria fuerit nominis mei, veniam ad
 te, & benedicam tibi.* Ibi itaque unaquæque
 plebs pupillis & viduis, pauperibus & peregrin-
 nis, de facultatulis quas Deus tribuit eleemo-
 synarum largitionem exhibeat, hospitalitatis
 officia impendat, & quodcumque in comesta-
 tionibus & ebrietatibus & quæstu hominum
 vanorum consumere solebat, in istiusmodi suis
 & proximi salubribus utilitatibus expendat.
 Hæc est enim legitima & ecclesiastica religionis
 forma; hæc antiqua fidelium consuetudo, per
 quam & novitatum vanitas amputatur, & ve-
 tusta ac recta evangelicæ atque apostolicæ in-
 stitutionis semita custoditur. Si autem lan-
 guores aliqui ac debilitates accidunt, juxta
 evan-

Apx. 4.

Lxxd. 20.

evangelicum & apostolicum præceptum præsto
 habet unusquisque ut *inducat presbyteros Eccle-* *1ac. 3.*
sia, & orent super eum, ungentes eum oleo in no-
mine Domini; & oratio fidei salvabit infirmum.
 Cùm hæc largiente vobis Domino fideliter at-
 que instanter annuntiata fuerint & observata,
 confidimus in ipsius pietate quoniam cessante
 inani ac supervacua largitione munerum ac vo-
 torum, cessabit etiam multitudo illa simulan-
 tium & simulatio percussionum ac dementa-
 tionum, cùm unusquisque non vana & falsa
 ostentare, sed ad corpusculi sustentationem ne-
 cessaria quærere vel etiam mendicare cogatur;
 ita ut si fortè aliqui obstinatioribus in tali facto
 apparere voluerint, duris omnino verberibus
 coerciti, ad confessionem veritatis compellendi
 nobis esse videantur. Nam etsi illud verum es-
 set, ut discedere à locis illis temptantes confe-
 stim novo morbi genere corripere, quanto
 esset manifestius hoc ex diaboli impugnatione
 fieri, tanto confidentius Domino miserante ac
 protegente erat discedendum, & contemptis
 fideliter inimici terroribus, in locis legitimis
 more ecclesiastico illius misericordiæ supplican-
 dum. Neque enim inter sanctos martyres &
 spiritus atque animas justorum cum Domino
 jam regnantium, illic invidia suspicanda est,
 sed plena caritatis unitas, & pietatis societas;
 & ideo simul sibi oblatos ægròs, si vitandæ
 temptationis gratia fideliter ad aliorum sancto-
 rum limina deducantur, nequaquam indignari,
 sed potius favere & congaudere atque congra-
 tulari credendi sunt. Quorum unus præcipuè,
 magnus videlicet Apostolus Paulus, propter


1. Cor. 12.

hanc unitatem spiritus ceteris sanctis dicit: *Si cui autem aliquid donatis, & ego: Nam & ego si quid donavi, propter vos in persona Christi.* Quòd si votum & desiderium est populorum fidelium, diversorum martyrum & ceterorum sanctorum limina suppliciter frequentare, sunt dies certi & legitimi, quibus id juxta antiquam Ecclesiæ observantiam devotè exercere conveniat; tempore videlicet generalium rogationum, & pro diversis tribulationibus ac necessitatibus indictarum litaniarum, seu quadragesimalium jejuniorum, sive etiam in vigiliis & natalitiis martyrum. Quæ omnia & ex universalis Ecclesiæ lege descendunt, & sacerdotum prædicatione ac denuntiatione commendantur, & omnium fidelium obedientia & pietate attentius observanda sunt. Quanquam & ceteris diebus cum silentio & puritate devotionis, non in ostentatione & tumultu, sacra loca probabiliter visitentur. Nunc verò quanta absurditas est hæc tam legitima, & tam assiduè annuntiata ac jussa, à plerisque popularibus aut negligenter omitti, aut vix & coactè observari, & ad illa esse promptissimos quæ nullo prædicante ac docente, inmo etiam obsistente, tantùm animi sui supervacuitate sequuntur; quibus sæpe B. Pauli Apostoli voce inculcandum est: *Fratres, nolite pueri effici sensibus; sed malitia parvuli estote, ut sensibus perfecti sitis.* Et illud B. Iacobi dicentis: *Religio munda & immaculata apud Dominum & patrem hæc est; Visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo.* quatinus hæc atque hujusmodi apostolica hortamenta atten-

1. Cor. 14.

Iac. 1.

dentes tam Presbyteri, quàm populi, atque in
 locis suis devotè, instanter, ac fideliter Domi-
 no servientes, sinceritati mentis & fructibus
 misericordiæ potiùs studeant quàm vanitati vel
 ostentationi. Nam etsi quidam illorum fallaci-
 um atque fallentium, verè energumeni & ar-
 reptitij essent, more ecclesiastico vel in locis
 suis à sacerdotibus suis, vel in quibusque mar-
 tyrum sanctuariis à propinquis & amicis tran-
 quillè debuerant tractari, atque opitulante
 Dei gratia purgari, non populorum turbis ac
 tumultibus inaniter prosequi. Hæc, prout Do-
 minus dedit, juxta auctoritatem divinam & in-
 stitutionem paternam ad interrogationem ve-
 stram sedulò respondere curavi. Vos & ista li-
 benter accipite; & si qua meliora Deus inspira-
 verit, prompta intentione & vigilantia cura
 peragite; quatinus grex dominicus vestræ gu-
 bernationi commissus, eodem Domino auxi-
 liante & erroris effugiat offendiculum, & reli-
 gionis ac sinceritatis consequatur augmentum.
 Misimus vobis etiam exemplar epistolæ præfati
 pij patris & nutritoris nostri ad jam dictum
 Narbonensem Episcopum; ut si quis de hujus-
 modi causis subtiliùs & pleniùs nosse voluerit,
 illius lectione uberiùs ac profundiùs instruat.
 Deus omnipotens reverendam dilectionem ve-
 stram ad ædificationem Ecclesiæ suæ jugiter
 protegere & custodire dignetur.



ERVDITISSIMI VIRI
IACOBI SIRMONDI *Præfatio*
de sequenti AMOLONIS epistola, &
duobus illi subnexis opusculis.

GOTHESCALCI renovataque ab illo hæresis castigatores duos antehac produximus, doctrina insignes, & illustrium Ecclesiarum Antistites, Hincmarum Remensis, & Rabanum Moguntina. Tertius pro voto nunc obtigit. nec honore illis, nec ceteris ornamentis inferior, AMOLO Episcopus Lugdunensis. Pro voto, inquam, ac desiderio nostro. Quid enim accidere poterat optatius, quàm ut qua ex urbe Gothescalco falsa præsidia quærebantur, ex eadem nos certum tantique nominis suffragatorem haberemus? Itaque de te, LECTOR, tuisque similibus, qui veri studio ducuntur, dubitare non licet, quin hanc ejus epistolam valde probaturi sint, eique, cujus ad nos beneficio ex S. Maximini Trevirensis Bibliotheca pervenit, justam gratiam habituri. Reputent qui Gothescalci morbo laborant, quanti eandem & ipsi facere meritò debeant; quando hujus unius ope convalescere possunt, si velint, hoc est, si oblatum remedium non respiciant, ac sibi quoque dicta intelligant qua ab Amolone scripta Gothescalco. Amolonis porò epistola opuscula duo subjecimus, qua in veteri codice, ex quo deprompta est, illi adnexa videbamus. Qua cum ejusdem sint argumenti, & à genio Amolonis non abhorreant, non abs te, ut spero, hic etiam à nobis conjuncta judicabis.



AD GOTHESCALCVM.

EPIST. II.

AMORO humilis Ecclesiæ Lugdunensis
 Episcopus dilectissimo fratri Gothescalco
 salutem. Quod te in hujus sermonis exordia
 fratrem nomino, quem fraternæ unitati con-
 trarium non ignoro, eâ in quantum Deus lar-
 gitur facio caritate, quam Scriptura nobis præ-
 cepit dicens: *Dicite his qui oderunt vos, fra-* 1/a. 66.
tres nostri estis. Quia etsi ex illorum parte qui
 ejusmodi sunt fraternitas deperit, non idcirco
 etiam in nobis frigescere aut perire debet ip-
 sius fraternitatis affectus. Quod autem non
 solum fratrem, sed etiam dilectissimum dico,
 Dominus novit quia te fideliter diligo, hoc ti-
 bi cupiens quod & mihi. Vnde & salutem tibi
 veraciter opto, præsentem pariter & futuram,
 per eam divini cultus pietatem, quæ, sicut Apo-
 stolus testatur, *ad omnia utilis est, promissionem* 1 Tim. 4.
habens vite quæ nunc est, & future. Audiens san-
 nè & agnoscens quæ in scriptis tuis misisti, &
 per quendam fratrem nostrum mihi innotef-
 cenda vehementissimè flagitasti, diù hæsitavi
 utrum tibi respondere deberem, homini de no-
 vis contra Ecclesiam præsumptionibus, & non
 parvis erroribus jamdudum accusato, & pro-
 pter contumaciam, ut audio, Episcopalis Con-
 cilij auctoritate damnato. Importunum nam-
 que & impudens videri posse existimabam, si
 de causa, quæ prudentium & reverendorum

fratrum nostrorum inquisitione, cognitione,
 & sententia definita est, aliquid vltro dicere
 vel respondere aggredere: & rursus, tan-
 tam deprecationem & supplicationem tuam
 contemnere & præterire silentia, non videba-
 tur Christianæ esse pietatis & caritatis, per
 quam præcipuè lex Christi adimpleretur in no-
 bis, testante & commendante Apostolo: *Al-
 ter alterius onera portate, & sic adimplebitis le-
 gem Christi.* Vnde & cum de seipso dixisset,
*Factus sum infirmis infirmus, ut infirmos lucra-
 rer: omnibus omnia factus sum, ut omnes face-
 rem salvos.* Et post aliqua, *Non quarens quod
 mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant.*
 continuo, ut nos ad exemplum sui, & per hoc
 ad exemplum Christi, instrueret & informaret,
 adjunxit, *Imitatores mei estote, sicut & ego (Chri-
 sti.* Ipse est enim verus & pius ille Samaritanus,
 qui descendente ab Hierusalem in Hiericho,
 & à latronibus in itinere spoliatum, & vulne-
 ratum, ac semivivum derelictum, clementer
 miseratus est, alligans vulnera ejus, & vini at-
 que olei infusione curans. tantæque misericor-
 diæ & pietatis suæ nos imitatores esse deside-
 rans, in fine hujus parabolæ unicuique nostrum
 dicit, *Vade & tu fac similiter.* manifestè osten-
 dens, illum verè esse proximum fratri, illum
 verè imitorem sui, qui fraternis necessitati-
 bus atque infirmitatibus prompta pietate &
 compassione succurreret. Istiusmodi igitur con-
 sideratione provocatus, & de venerabilium
 fratrum atque confacerdotum nostrorum sin-
 cerissima caritate confisus, (per quam in Domi-
 no unum sumus, & invicem commissi nobis

Gal. 6.

1. Cor. 9.

Cor. 10.

Cor. 11.

Luc. 10.

LVGDVNENSIS EPISTOLÆ, ISI
 ministerij onera & officia communicare debe-
 mus, quatenus & illorum bona per unanimi-
 tatis spiritum nostra, & nostra, si qua divina
 misericordia esse possunt, illorum (sint) melius
 & salubrius existimavi aliquid tuæ fraternita-
 ti rescribere, quàm inutili taciturnitate, & de
 illis viderer diffidere, & tibi tam angustiato,
 tam afflicto, tam anxio & conturbato, nihil
 consulere. Quapropter omnipotentis Domini
 & Salvatoris largissimam & indeficientem oro
 gratiam, ut nobis tribuere dignetur utilem &
 veracem tuam consolationem & instructionem
 sermonem, & animum tuum præparet ac tran-
 quillet, ut quæ dicturi sumus, pia mansuetu-
 dine & humilitate suscipias, ac seposita ani-
 mositate, & studio contentionis, libenter quæ
 vera sunt audias, & non nostra, sed Dei & san-
 ctorum Patrum dicta obedienter suscipias, eis-
 que animum tuum & sensum sincera pietate
 summittas. quia ut verax veraciter Scriptura di-
 xit, *Sunt via quæ videntur homini rectæ, & no-*
vissimum eorum ducit ad mortem, & qui confi-
dit cogitationibus suis impiè agit. Vnde & alibi
 eadem Scripturâ admonet, dicens, *& ne inni-*
taris prudentiæ tuæ. Hoc namque malum quan-
 tum cavendum sit homini, etiam B. Ephrem
 admirandæ sanctitatis & inlustriissimæ doctri-
 næ pater ostendit, cùm in hora exitus sui, ad-
 stanti sibi uni ex discipulis, magni & acuti &
 nimis curiosi ingenij, sollicitè admonens dixit:
 Cave, Pauline, ne unquam te summittas cogi-
 tationibus tuis. Quantum verò bonum sit obe-
 dientiæ, & quantum malum contentionis &
 contumaciæ, docet nos iterum sermo divinus,

PROV. 16.

TRUV. 12.

PROV. 3.

1. Reg. 13.

ubi per Samuelem Prophetam dicit : *Melior est obedientia, quàm victima, & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum. quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, quasi scelus idololatria nolle adquiescere.* Itaque & tu, si bonus, & utilis, & pacificus Ecclesiæ filius esse desideras, noli te sensui tuo committere, sed majorum iudiciis atque sententiæ, immo divinis & ecclesiasticis auctoritatibus facile cede, libenter adquiesce, & obedienter subdere, ut possit in te Dei spiritus habitare, dicente Domino per Prophetam : *Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem & quietum, & trementem verba mea?* Videmus certè tempora novissima & periculosissima, ab Apostolo olim prædicta, plena ignorantia & infirmitatis animorum, in quibus illud Domini terribile dictum semper est reminiscendum, atque tremendum : *Qui scandalizaverit unum de pusillis his qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* & iterum : *Va mundo ab scandalis. necesse est ut veniant scandala. veruntamen va homini illi, per quem scandalum venit.* Sed & aures & linguas prurientes cavere debemus, ne vel ad audiendas vel ad loquendas novitates prompti & faciles simus. Quia & prurientes auribus, & profanas vocum novitates pariter Apostolus condemnat, & oppositiones falsi nominis scientiæ admonens devitandas, continuò de eadem falsi nominis scientiæ subjungit, dicens : *Quàm quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* Cum adhuc esset in partibus regni Germaniæ, audivimus in pri-

Isa. 66.

Matth. 18.

Ibid. 7.

1. Tim. 6.

mis super nomine tuo famam dolendam. quòd videlicet novitates sereres, & stultas ac sine disciplina quæstiones ventilares. Deinde perlata est etiam ad nos studio ecclesiasticorum virorum quædam scriptura tua, in qua apertissimè, & prolixo sermone, atq; ut tibi visum est, etiam testimoniis Scripturarum, sive sanctorum Patrum, quid sentiret sive doceret multipliciter exsecutus es. Nunc quoq; accepimus & alia scripta tua non parva, quæ ad Episcopos, vel contra Episcopos, qui in Concilio damnationis tuæ affuerunt, scripsisse vel protulisse videris. In quibus quanta potuisti intentione, de una tantum quæstione, id est, de prædestinatione divina, quid teneas, diligenter explicare curasti. Ita factum est, ut ex utraque scriptura tua, sive quam per alios, sive quam te mittente accepimus, plenissimè nobis cognoscere videamur, in quibus quæstionum periculis fluctuet, vel, quod nimis dolendum est, naufragetur sensus tuus. Quapropter compendiosè nobis & utiliter fieri posse videtur, ut ex illa tota serie scriptorum tuorum, ea quæ nobis fidei catholicæ maximè contraria esse videntur, brevibus & distinctis capitulis ordinemus; adjunctes, sive subjungentes per singula, quid è contrario Scriptura sancta doceat, & Ecclesia Dei firmissimè teneat, & ubique fideliter ac fabriciter doceat. Cujus doctrinæ & sensibus te, quasi devotum & pium filium, inrefragabiliter temperare oportet, si cupis in ejus corporis vitate viuum & sanum membrum inveniri, non cum putribus & emortuis justæ severitatis judicio abscissionem mereri. Hunc autem

154 AMVLONIS ARCHIEPISCOPI
sermonis nostri tenorem, seruato in omnibus legitimo ordine, ac ecclesiastica auctoritate, non tibi, qui infelici & miserabili lapsu excommunicationem ab Ecclesia excepisti, sed principaliter reverentissimo & carissimo nostro, Metropolitano Antistiti direximus tuo, confidentes in Domini pietate, quia cum hæc legerit, & nostræ erga te compassionis affectum cognouerit, non indignatione aliqua aduersum te, sed boni patris, & pij pastoris visceribus commovebitur, ut his congruenter perlectis, & tranquillè apud te tractatis, si divina gratia adspirante adquiescere volueris veritati, nequaquam diutiùs aberres à caulis, sed boni & summi pastoris humeris reportatus, unitati inventæ ac redemptæ ovis, cum gaudio cœlestium & terrestrium, feliciter restituaris. Hæc sunt igitur quæ in scriptis tuis meritò reprehendenda, & reprehensa, tanquam veræ fidei catholicæ inimica, notauimus, & qualiter ad regulam veritatis sint corrigenda perstrinximus.

IN PRIMIS displicet nobis valde, quod dicis & asseris, neminem perire posse Christi sanguine redemptum. Hoc enim dictum dupliciter fidei catholicæ aduersatur. Si aut neminem ex numero Christianorum, postquam semel in Christo baptizatus, & particeps redemptionis Christi effectus est, perire posse confirmas, contra Apostolum apertissimè prædicantem & contestantem, *quoniam iniqui regnum Dei non possidebunt, & quoniam qui illa vel illa crimina admiserint, regnum Dei non consequentur, & non habent hereditatem in regno Christi Dei, inter quos etiam illi sunt negato-*

res Christi, de quibus ipse terribiliter testatur:

Quicumque negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui est in cælis. Math. 10.

& illi infructuosæ fidei, de quibus ait, *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Math. 7.

sed & illæ fatuæ virgines, quæ non sumpserunt oleum in vasis suis cum lampadibus, quibus clausa janua regni dicturus est, *Amen dico vobis, nescio vos.* Math. 25.

Aut si non credis, omnes, qui vera fide & devotione per baptismi gratiam regenerantur, Christi esse sanguine redemptos, immo in Christi morte & sanguine baptizatos, licet postea plurimi ex eis, vel per hæreses, vel per alia diversa crimina pereant, manifestissimè contrarium est

beato Paulo Apostolo dicenti: *Quicumque baptizati sumus in Christo IESU, in morte ipsius baptizati sumus.* Et B. Ioanni similiter de eodem Domino contestanti: *Qui dilexit nos,* Rom. 6.

inquit, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Et beato Petro etiam de pessimis hæreticis,

qui post baptismum redemptionis Christi de Ecclesia recesserunt, ita dicenti: *Et eum qui* 1. Pet. 2.

emit eos Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem. Et ipsi Domino de eisdem hæreticis per Prophetam dicenti: *Et ego redemi* Ose. 7.

eos, & contra me locuti sunt mendacia. Itaque

juxta fidem catholicam & apostolicam, propheticam & evangelicam, omnes isti, fideliter ad baptismum Christi accedentes, non utique alio pretio, sed Christi sanguine redempti sunt.

Sed cum plurimi ex eis eandem gratiam in se irritam fecerint, & idcirco in æternum peccant; qua ratione verum est neminem perire

posse sanguine Christi redemptum?

SECUNDO loco displicet nobis valde, quia verissima & sacratissima Ecclesiæ sacramenta, videlicet exorcismi, & baptismi, chrismatis, & Eucharistiæ, ac manus impositionis, perfunctoriè & frustratoriè omnibus, qui post perceptionem eorum pereant, dari confirmas, dum eos sanguine Christi, sine quo ipsa mysteria, jam non mysteria, sed quædam velut vacua & inania ludibria sunt habenda, redemptos negas, cum è contrario Apostolus, & veritatem redemptionis Christi, & verum divinatorum mysteriorum effectum, etiam in eis qui irreparabiliter pereunt doceat esse conlata, cum ait:

Hebr. 6. *Impossibile enim est eos qui semel sunt inluminati, gustaverunt etiam donum cœlestis, & participes sunt facti Spiritus sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt, renovari rursus ad pœnitentiam, rursus crucifigentes sibi metipsis filium Dei, &c. & iterum: Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratia contumeliam fecerit? & alio loco: Et peribit, inquit, infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est? Ita veritas mysteriorum peragit virtutem suam, cum fideliter accipitur, etiam in illis qui non permanent in veritate eorundem mysteriorum. Sed & in illa regula intelligendarum scripturarum de corpore Christi vero atque simulato, unde tu hunc errorem velut confirmare niteris, veraciter nosse debes, simulationem denotari vitæ & mo-*

Hebr. 6.

Hebr. 10.

1. Cor. 8.

rum, non, quod absit, divinorum mysteriorum & sacramentorum.

TERTIO loco displicet nobis valde, quia & divinarum Scripturarum testimoniis, & sincerissimis sanctorum Patrum dictis, tam perverse abuteris, ut hæc omnia quæ manifestissime adversus divinam veritatem & paternam fidem disputas, ex illis non rectè intellectis multipliciter adfirmare contendas. In tantum ut illos qui ex numero fidelium pereunt, nec tunc, quando in primis ad percipienda mysteria regenerationis, & dominicæ oblationis, vel in parvula ætate ab aliis oblatis sunt, vel ipsi in majori fideliter accesserunt, affirmes Christo & Ecclesiæ non incorporatos, nec membra illius quæsitæ & salvatæ ovis effectos, ac per hoc nec unquam fuisse Christianos. Nam quomodo est Christianus, qui non pertinet ad corpus Christi, qui non est membrum Christi? Cùm è contrario Apostolus etiam illos, qui graviter peccare, & in eodem gravi peccato perire possunt, membra Christi & templum Spiritus sancti esse dicat, quandiu fideliter & innocenter agunt.

Nescitis, inquit, quia corpora vestra membra Christi sunt? Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? absit. & iterum: *Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus sanctus habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus, &c.*

1. Cor. 6.

1. Cor. 3.

QUARTO loco displicet nobis valde, quia tam durè & indisciplinatè & immaniter de divina prædestinatione sentis & loqueris in damnatione reproborum, ut omnes illos qui ad sinistram ponendi sunt in die iudicij, & cum dia-

diabolo atque angelis ejus pro malis meritis suis æterno igne damnandi, ita sint divinitus ad interitum prædestinati, ut eorum prorsus nullus aliquando potuerit, nullus possit salvus esse.

Quod sentire & dicere quid est aliud, quàm in Deum graviter & horribiliter blasphemare, si illis ejus prædestinatio hanc necessitatem irrevocabiliter imposuit, ut omnino quod ad salutem suam proficeret operari non possint? Sed absit à nobis hoc recipere, ne meritum damnationis illorum Dei culpa sit, qui eos tales esse constituit, non illorum, qui aliud esse non potuerunt. Huic errori, vel potiùs immanissimæ impietati, resistit Scriptura dicens de illo:

Ecli. 15.

Nemini mandavit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi. Et ipse judex vivorum & mortuorum destruit istud insanum mendacium,

Matth. 25.

qui se in illo die judicij ita illis qui ad sinistram stabunt dicturum esse prædixit: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.* Ut cur à se inseparabiliter discedere sint digni, cur maledicti, cur diabolo & angelis ejus in æterna pœna sociati, videlicet non ex præjudicio prædestinationis suæ, sed ex merito iniquitatis eorum, statim clarissimè subjungat & ostendat dicens: *Quia esurivi, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi bibere, &c.* Vbi evidenter ostenditur,

Psal. 61.

quòd non propterea damnantur, quia opera salutis suæ facere non potuerunt, sed quia facere noluerunt. Vnde & Psalmista de eodem justo & æterno judice dicit: *Quia tu reddes unicuique secundùm opera sua.* Non ait, secundùm præjudicia sua, sicut ista insana & furibunda

doctrina asserere conatur, ad nihil aliud, nisi ad subversionem audientium. Cùm è contrario fides catholica firmissimè teneat, nec ipsum diabolum, & angelos ejus, ad hoc unquam prædestinatos ut tales essent: sed quia tales suo vitio esse voluerunt, idcirco eis æterni ignis supplicia præparata. Omnipotens enim Deus non est auctor malorum meritorum, nec malorum hominum, nec malorum angelorum: sed ipsi sibi sunt auctores mali, quod propria voluntate gesserunt, Deus autem justus ultor & judex in his quæ ejus æquitate passuri sunt. Præscivit ergo æternaliter futura mala merita ipsorum, sed præscientia ejus non eis intulit necessitatem, ut aliud esse non possent, sed tantùm prævidit quòd aliud esse nollent. Prædestinavit eisdem malignis angelis, & reprobis hominibus, perpetuas pœnas: non quia malignos & reprobos ipse eos facit, sed quia malignos & reprobos suo vitio futuros illos prævidit. & quos tales proprio vitio futuros prævidit, quid mirum si eos justo judicio suo æternis pœnis & incendiis prædestinavit, ut qui volentes peccaverunt, nolentes puniantur? Non itaque in illis prædestinavit omnipotens Deus quæ sibi erant facturi iniqua voluntate sua, sed quæ ipse de eis erat ordinaturus æquissimo judicio suo. Nulla enim prædestinavit injusta, sed tantùm justa: injusta verò præscivit ut Deus futura, prædestinavit ut judex justus damnanda. Nec præscientia tamen, nec prædestinatione sua, cuiquam malorum hominum, vel angelorum, necessitatem imposuit malè agendi, sed tantummodo pro malis gestis æternas pœnas luendi. Vnde

Deut. 13.

Eccli. 23.

Eccli. 33.

verissimè ad eum Scriptura dicit: *Deus aeternè, qui occultorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant. & iterum de illo: Domino enim Deo antequam crearentur omnia fuerunt cognita: similiter & post perfectum respicit omnia. & alio loco, A seculo enim, inquit, usque in seculum respicit, & nihil est novum in conspectu ejus.* Sunt quidem in malis & damnandis aliqui reputati, qui aliud esse non potuerunt: sicut illi parvuli recens nati, sub reatu originalis peccati defuncti, quibus per baptismum Christi non potuit subveniri: sicut etiam illi ignorantes Deum, qui non potuerunt invocare in quem non crediderunt, nec credere ei quem non audierunt, nec audire sine prædicante, nec prædicatorem habere, quia nullum ad se mitti meruerunt. Sed & in his non est iniquitas apud Deum, quia & illos traxit ad mortem originale peccatum, & istos & originale pariter & actuale. Ipso tamen ubique justo iudice, qui de tota humani generis massa, ob primæ prævaricationis meritum justè damnatos, alios facit vasa misericordiae gratuita gratia, alios permisit esse vasa iræ justo iudicio. Sin autem hoc quæritur, ubi in Scripturis prædestinatio in malam partem dicatur, ipsum quidem propriè verbum tali sensu positum forsitan non facilè invenitur: sensus tamen verbi manifestè in pluribus locis apparet. Sicut in primis de angelis refugis B. Iudas Apostolus dicit: *Angelos verò, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, carceribus caliginis damnatos tradidit in iudicium cruciandos reservari.* & de Antichristo Paulus Apostolus dicit: *Et*

revela-

Iuda 4.

2. Thess. 2.

revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur & extollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. & post pauca: *Quem Dominus interficiet spiritu oris sui, & destruet in illustratione advenus sui.* De Iuda quoque proditore ipse Dominus, cum pro Apostolis oraret, *Et nemo ex eis perit, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur.* De quo etiam Apostoli, orantes pro electione successoris ejus Mathiæ, ad Dominum dicunt: *Ostende quem ex his duobus elegeris accipere locum ministerij hujus, & apostolatum, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum.* Tale est & illud, quod per Solomonem dicitur: *Vniversa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* & quod in libro Iob scriptum est: *Quia in diem perditionis servatur malus, & ad diem furoris ducitur.* & in libro Sapientiæ de Ægyptiis: *Ducebat enim eos ad hunc finem digna necessitas.* & apud Hieremiam de quibusdam: *Congrega eos quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in diem occisionis.* Talibus etiam Amos Propheta dicit: *Qui separati estis ad diem malum, & adpropinquatis solio iniquitatis.* Item de filiis Heli scelestis & sacrilegis dicitur: *Qui non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.* & ad Amasiam prævaricatorem & impium regem Propheta loquitur: *Scio, inquit, quod cogitaveris Deus occidere te, quia fecisti hoc malum, & insuper quod non adquievisti consilio meo.* Sed hæc omnia ita fideliter pensanda sunt, ut in eis & malorum, sive angelorum, sive hominum, iniquitas, & Dei vindicantis incontaminabilis justitia.

Ioan. 17.

Act. 1.

Prov. 16.

Iob. 21.

Sap. 19.

Hier. 12.

Amos 6.

1. Reg. 21.

2. Par. 25.

tia cognoscatur. Præordinavit atque tradidit angelos malignos in iudicium cruciandos reservari: sed exigente eorum impietate, quia non servaverunt ordinem & honorem suum, quem sub Deo & cum Deo habere potuerunt. Et Iudas præcognitus & prædictus est filius perditionis, sed meritò impiæ prodicionis. abiit in locum suum, id est, sibi in pœnis destinatum & præparatum: sed quia prævaricatus est de loco ministerij & apostolatus. Ita non est mirum, si Antichristus, quia præscitus est homo peccati, præcognitus etiam & prædictus est filius perditionis. Et malus atque impius præparatur ad diem malum, servatur in diem perditionis & furoris: sed quia ipse sua sponte & malus & impius existet. Ducebat & Ægyptios divini iudicij necessitas ad exitium & interitum præparatum: sed digna, quia pro impietatibus & contumacia eorum iusta. Sic & illi, qui velut pecora æternæ morti devoti esse voluerunt, siquidem impij manibus & verbis accersierunt illam, congregantur quasi grex perditionis, & sanctificantur, id est, quodammodo separantur, ad diem malum, & ad diem occisionis. Sed & impij filij Heli, & impius rex ille Amasias, indigni habiti sunt iudicio Dei, qui consilium salutis suæ susciperent, & Deus illos occisioni & perditioni præparavit. Sed justè utique ob merita impietatum quæ de illis priùs Scriptura commemorat, & excæcari & interire meruerunt. Ait etiam Scriptura: *Et qui transgreditur à justitia ad peccatum, Deus præparavit illum ad romphæam.* Paravit ergo & præordinavit istiusmodi transgressorem ad romphæam, id est,

ad mortem & interitum: sed justè, quia ipse ultro transgressus est à justitia ad peccatum. Iuxta hunc igitur divinæ auctoritatis sensum, omnipotens Deus justo judicio suo prædestinat pœnas malis, prædestinat malos pœnis, nullum tamen prædestinat ut sit malus: quia non malorum sed bonorum auctor est bonus, & malorum gestor ultor est justus, & si mala gerentes ad eum convertantur, indultor pius. Sciendum tamen, quòd prædestinationis verbum in malam partem, sicut in Scripturis minùs est usitatum, ita & à Doctoribus rariùs est usurpatum. & ob hoc nequaquam magnopere de eo certandum.

QVINTO loco non minùs detestamur & horremus, quòd ita exarsisti adversùs eos qui æterno interitu sùnt digni, ut dixeris eos tam irrevocabiliter & incommutabiliter perditioni esse prædestinatos, sicut Deus ipse incommutabilis & inconvertibilis est: & Episcopos, ad quos scribis, quasi misericorditer adhortaris, ut hoc prædicent populis, ut quia jam præfinitam damnationem evadere non possunt, saltim aliquantulum Deo supplicent & humilientur, ut statutas eis vel modicùm mitiget & leviget pœnas. Obsecro, ubi hæc unquam in Scripturis sacris legisti? ubi in sanctis & catholicis Ecclesiæ doctoribus invenisti? Cur non similiter diabolium & angelos ejus exhortaris, ut quia statutam damnationem evadere non potuerunt, jam nunc interim orent & deprecentur Dominum, ut eis mitiores & tolerabiliores fiant æternæ pœnæ? aut quid amplius istis relinquis, quos similiter irrevocabili sententia damnatos asseris? Huic tam atroci impietati contradicit

Ecclesia fides, quæ diabolum cum angelis suis credit inremediabiliter corruisse: hominibus verò, etiam impiis, si recognoscant peccata sua, si defleant, si confiteantur, si divinam misericordiam implorent, indubitanter januam indulgentiæ aperiri. Sic enim Propheta docet & exhortatur dicens: *Quarite Dominum, dum inveniri potest; invocate eum, dum propè est. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* & iterum: *Quis ambulabit in tenebris, & non est lumen ei? speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum.* Et ipse Dominus per se: *Convertimini ad me, & convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.* & alio loco: *Revertimini filij revertentes, & sanabo aversiones vestras.* & iterum: *Impietas impij non nocebit ei, in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua.* Ista est fides & pietas Ecclesiæ. quia diabolus novit in malis suis sine pœnitentia permansurum, nec ullam indulgentiam accepturum: & hominibus ad Deum conversis per ineffabilem ejus bonitatem, & pœnitentiæ remedium concedi, & salutis aditum non negari. Oro, quid tibi peccavit humanum genus? quid tibi peccavit Ecclesia? quid in ipsa Ecclesia tot proximi & fratres tui, ut eis tam magnam, tam patentem januam pietatis Dei obstruere & obserare coneris? Quis unquam fidelis ecclesiasticus vir ita prædicavit, ut hæc tam attentè & obstinatè inculcare & confirmare non erubescas? Verè non est Christiana, sed pagana, immò diabolica ista duritia: quam si

Ez. 33.

Ez. 50.

Mal. 3.

Hier. 3.
&c. 33.

bene cogitare & recognoscere posses, profecto
 signares cor tuum, & manum tuam poneres
 super os tuum. Legimus quidem in Evange-
 lio, beatum Ioannem Evangelistam de Iudæis
 dixisse: *Propterea non poterant credere, quia* Ioan. 39.
dixit Esaias, Excæcavit oculos eorum, & in-
duravit cor eorum. Sed sicut B. Augustinus in
 quinquagesimo ejusdem Evangelistæ tractatu
 fideliter & catholicè exponit, Sic dictum est,
non poterant, ubi intelligendum est quòd no-
 lebant, quemadmodum dictum est de Domi-
 no Deo nostro, *Si non credimus, ille fidelis per-*
manet, negare seipsum non potest. De omnipo-
 tente dictum est, *non potest.* Sicut ergo quod
 Dominus negare seipsum non potest, laus est
 voluntatis divinæ: ita quòd illi non poterant
 credere, culpa est voluntatis humanæ. Non quia
 mutari homines in melius non possunt, sed quã-
 diu superba sapiunt, non possunt credere. Hoc de
 Iudæis, qui excæcati & indurati sunt, Deus præ-
 scivit, atque in ejus spiritu Propheta dixit. Non
 ergo poterant credere, juxta sensum fidelissimi
 Doctoris, quia hanc eorum futuram impossibi-
 litatem, id est, superbam impietatem, per quam
 Domini humilitatem contempserunt, & Deus
 verè prævidit, & per Dei spiritum Propheta
 verè prædixit. Claudamus itaque aures adver-
 sùs hanc inauditam duritiam, & verba præci-
 pitationis, & audiamus præfatum Doctorem
 dulciter orantem, & dulciter disputantem ad-
 versùs prophanæ inaniloquia vanitatis. Quo-
 dam, inquit, nimia suæ voluntatis fiducia ex-
 tulit in superbiam, & quosdam nimia suæ vo-
 luntatis diffidentia dejecit in negligentiam. Il-

« li dicunt, Vt quid rogamus Deum ne vinca-
 « mur tentatione, quod in nostra est potestate?
 « Isti dicunt, Vt quid conamur bene vivere,
 « quod in Dei est potestate? O Domine, ô pa-
 « ter qui es in cœlis, ne nos inferas in quamlibet
 « istarum tentationum, sed libera nos à malo.
 Luc. 32. « Audiamus Dominum dicentem, *Rogavi pro te,*
 « *Petre, ut non deficiat fides tua: ne sic existime-*
 « *mus fidem nostram esse in libero arbitrio, ut*
 « *divino non egeat adiutorio. Audiamus & Evā-*
 Joan. 12. « *gelistam dicentem, Dedit eis potestatem filios*
 « *Dei fieri: ne omnino existimemus in nostra*
 « *potestate non esse quod credimus. Verunta-*
 « *men in utroque illius beneficia cognoscamus,*
 « *Nam & agenda sunt gratiæ, quia data est po-*
 « *testas, & orandum, ne succumbat infirmitas.*

SEXTO loco similiter detestati sumus, quòd
 Deum, & sanctos ejus, in perditione eorum,
 quos æternæ damnationi prædestinatos adsi-
 duè repetis, dicis exultaturos & gavisuros: cùm
 è contrario apertissimè Scriptura dicat: *Deus*
 Sap. 1. *mortem non fecit, nec latatur in perditione vivo-*
 Ezach. 18. *rum. & alio loco: Vivo ego dicit Dominus Deus,*
 Ezach. 33. *quia nolo mortem impij, sed ut convertatur & vi-*
vat. & iterum: Numquid voluntatis mea est mors
impij, dicit Dominus Deus, & non magis ut con-
vertatur à via sua mala, & vivat? Quomodo er-
go latatur in morte & in dānatione impij, cùm
ipse jurat non esse voluntatis suæ? aut quomodo
gaudet ad ruinam cujusquam, qui ut nullius
bono, ita etiam nullius malo indiget, ut quasi po-
tentior vel beator fiat? Protulisti quidem, ve-
lut ad muniendum sensum tuum, testimōnia
de Scripturis, sed incongruenter, & non eo sen-

fu quo ibi posita sunt. Velut est illud; *Ego quod* Prov. 1.
que in interitu vestro ridebo, & subsannabo. &
 illud, quod non de generali perditione impio-
 rum, ut tu posuisti, sed propriè de miseria &
 calamitate infidelium Iudæorum in Deutero-
 nomio dicitur: *Et sicut lætatus est Dominus su-* Deut. 28.
per vos, benefaciens vobis, vósque multiplicans,
sic lætabitur disperdens vos, atque subvertens.
 Sed grandi & pia consideratione indiget, ut
 qualitercunque cogitetur risus & subsannatio
 Dei in interitu perditorum, & lætitia sive exul-
 tatio, non solum in profectu rectorum, sed
 etiam in subversione pravorum, qui, ut supra
 ostensum est, in nullius morte, in nullius per-
 ditione lætatur, nec aliquem perire velle se ju-
 rat: quia nullius interitum velut inimicus crea-
 turæ suæ desiderat, sed in eis qui pereunt, tan-
 tummodo finem malitiæ, & ordinem ac retri-
 butionem justitiæ diligit. Sic itaque in interitu
 impiorum & iniquorum ridebit & subsannabit,
 cum eorum superbiam & contemptum digna
 punitione humilians atque condemnans, om-
 nem creaturæ vanitatem, & elationem adver-
 sus creatorem, inrisione & subsannatione di-
 gnam esse monstrabit. Vnde & divina eadem
 verba posita sunt, ut non diceret, de interitu
 vestro: scilicet non pro illo, sed in illo; id est,
 non pro illis qui sua culpa perierunt, sed quia
 in eorum justa perditione, in contemplatione
 rationalis & beatæ creaturæ, laus accrescet &
 gloria creatoris, exultante omni electa creatu-
 ra, non in tormentis miserorum, sed in æquita-
 te & veritate judiciorum divinatorum. Quod
 etiam in præsentī seculo animabus sanctorum

Psalm. 98.

conceditur, dicente Psalmista: *Exultaverunt filie Iuda propter iudicia tua Domine.* Non ergo propter perditionem cuiusquam, sed propter divinæ æquitatis iustitiam. Hoc sensu accipi potest & illud: *Lætabitur iustus cum viderit vindictam.* & illud in Salomone: *Et in perditione impiorum erit laudatio.* Lætatur autem omnipotens Deus, vel benefaciens iustis, vel mala retribuens pravis. Non quòd ipse diversa affectatione mutetur, atque varietur, cuius gaudere, sicut & esse, æternum atque incommutabile est, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Sed sicut spiritus patris dicitur loqui in eis quos loquentes facit, quos ad testificationem veritatis instruit & informat: qui etiam postulare pro sanctis, & gemere ac desiderare dicitur, quia eis quos repleverit affectum postulandi & gemendi & desiderandi inspirat. Ita & ipse lætatur in sanctis in quibus habitare dignatur, quia eos proculdubio lætantes facit, sive in donis gratiæ quæ largitur piis, sive in iudiciis & æquitatibus, quibus impios punit. Pro quibus etsi humano affectu, sicut Apostolus dicit de se, tanquam homines contristantur: tamen divino spiritu regente atque inlustrante, iusta Dei iudicia laudare & glorificare non cessant. Cùm igitur tam magna & ineffabiliter majori cautela, ut aliquatenus intelligi possint, divina verba indigeant, non facile à quoquam proferenda sunt velut pro se, ne forsitan bene tractata inveniantur contra se,

Psalm. 57.

Prov. 11.


SEPTIMO loco, duo prorsus gravia mala in tuis nobis moribus plurimùm displicuerunt. Vnum, quòd sacerdotes Dei, & rectores Ec-

clesiarum, tantis injuriis & convitiis & maledictis laceras, tanto dispectu & contumacia conculcas, utique spiritu erroris & superbie miserabiliter deceptus, ut omnino nihil Christiane patientie, nihil Christiane reverentie habere videaris. Nam inter cetera, omnes qui insanie sensuum tuorum zelo fidei resistunt, hereticos appellare non metuis, eosque a bono & erudito viro atque catholico Episcopo Rhabanicos nuncupare presumis. Nec times Deum, quod in tales & tantos diaboli laqueos, per vanam instabilitatem mentis & corporis, & vaniorem curiositatem atque arrogantiam incidisti. Nec erubescis, quod in tot erroribus & mendaciis ab omnibus ubique deprehenderis & confutaris. Nec doles, quod ecce tot annis a corpore Ecclesie iuste severitatis damnatione precisus, atque omni bonorum contubernio ac solatio defraudatus, remansisti velut stirps inutilis, & palmes aridus igni destinatus. Sed adhuc insuper os tuum maledictione & amaritudine plenum est. & conversus in arcum pravum, non pro Domino, ut putas, sed Ecclesiam matrem tuam, ejusque Presules patres tuos, sacrilega audacia contemnens, adversus Dominum jacularis. Alterum vero malum est in moribus tuis, quod in omnibus quae dicis & sentis, sicut scriptura tua declarat, nullum omnino, hominum more bonorum, pie & humiliter deprecaris, nullius te sensui & auctoritati summittis, nec dicis, quod saepe solet & debet pietas dicere, Obsecro bone vir, aut bone frater, si in his quae dico aliquatenus erro, ferto infirmitatem meam, instruito ignorantiam meam,

170 AMVLONIS ARCHIEPISCOPI
& probabis obedientiam meam, quia paratus
ero libenter suscipere quicquid veritas digna-
bitur declarare. Sed ita te sensui tuo credis, &
in ipsa veritate speculari & contemplari gloria-
ris, ut in scriptis tuis nec Deo ipsi supplices,
ut tibi quod melius est revelet. Quapropter
multum fraternitatem tuam exhortor & mo-
neo, & paterna pietate ac fraterna caritate per-
suadeo, ut revertaris in te ipsum, conver-
taris ad cor tuum, & excutias procul à te istum
errorem vanum, & laborem infructuosum ac
perniciosum, restituasque te sanctæ matri Ec-
clesiæ, restituas te obedientiæ Domini sacerdo-
tum & patrum tuorum, restituas te fraternæ
omnium caritati. Ut qui modò jaces tanquam
vas perditum, cooperante Dei gratia, effici-
aris in domo ejus vas utile, ad omne opus bo-
num paratum. Nec terrearis consideratione,
vel erroris quem incurristi, vel injuriarum,
quas in Dei sacerdotes intulisti, ne ex hoc ve-
lut implacabiles patiaris. Omnes deprecabi-
mur pro te, & ipsi ultro propter amorem Chri-
sti obliviscentur se, eruntque apud omnes &
præterita errata in oblivionem, & præsens
conversionis tuæ bonum in gaudium & exulta-
tionem. Tantum ne dubites, nec remoreris,
sed eruere quasi damula de manu, & quasi avis
de insidiis aucupis, ne in tali damnatione re-
pentina morte præventus, Ecclesiæ matri, cui
nunc mœrorem facis assiduum, luctum, quod
absit, derelinquas perpetuum. Crede indubitan-
ter, quia hæc ex vera & sincera erga te caritate
& solo amore salutis tuæ loquor. Nec omnino
æstimes, quod quædam superiùs, velut duriùs

& austerius profecutus sum, ad confusionem vel condemnationem tuam prolata. Sed scito certissimè, quia ad hoc tantùm dicta sunt, ut ea coram oculis ponerem tanquam in speculo veraciter dijudicanda, & adjuvante Dei gratia, quantocius & studiosius emendanda. Siquidem, ut bene ipse nosti, meliora sunt vulnera amici, quàm fraudulenta oscula inimici. Ad extremum, breviter tuæ intimo caritati, gestum esse intra Gallias, temporibus penè beati Papæ Leonis, sive Agapiti, Concilium venerabile, & Ecclesiæ Dei valde utile, à pluribus Episcopis, quibus præfuit admirandæ sanctitatis, & virtutum ac miraculorum, beatus Cæsarius Arelatensis Episcopus. ubi diligenter de gratia Dei & libero hominis arbitrio, de præscientia & prædestinatione divina constat esse definitum, qualiter moderatissima & perpensissima ratione sentiendum, tenendum, & docendum sit. Vnde hîc ad commonitionem prudentiæ tuæ paucissima verba subnecto, quibus aiunt: Hoc etiam secundùm fidem catholicam credimus, quòd post acceptam baptismi gratiam, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, ad salutem animæ pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos verò ad malum divina potestate prædestinatos non solùm non credimus, sed etiam, si sint qui tantum mali credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.





OPVSCVLA DVO

EIVSDEM ARGVMENTI,

AMOLONIS AD GOTHESCALCVM

Epistolæ adjuncta in Codice
Trevirensi.

OPVSCVLVM PRIMVM.

*Responsio ad interrogationem cuiusdam de
Præscientia vel Prædestinatione
divina, & de Libero arbitrio.*



OMNIPOTENS Deus, quia verissimè verus & solus Deus est, omnino in sua æterna & incommutabili scientia præscivit omnia antequam fierent, sicut Scriptura testatur, dicens: *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant.* Præscivit ergo sine dubio, & bona quæ boni erant facturi, & mala quæ mali erant gesturi. Sed in bonis ipse fecit sua gratia ut boni essent: in malis verò, non ipse fecit ut essent mali, quod absit: sed tantùm præscivit eos proprio vitio tales

futuros. Neque enim præscientia Dei imposuit eis necessitatem, ut aliud esse non possent, sed tantum quod illi futuri erant ex propria voluntate, ille ut Deus prævidit ex sua omnipotenti majestate. Vnde Scriptura, incontaminabilem justitiam ejus nobis insinuans, ait de illo: *Nemini mandavit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi.* Quòd ergo impiè agunt impij & iniqui, & spatium temporis vitæ hujus, quod eis dedit Deus ab bene agendum, ipsi è contrario convertunt ad malum exercendum, non Dei sed ipsorum est culpa, & ideo rectè damnantur ipsius justitia. Præscivit autem idem omnipotens Deus etiam æternam illorum damnationem, sed ex merito ipsorum, quos in propria malitia perseveraturos prævidit, non ex sua, quod absit, iniquitate, qui nihil injustè constituit, & qui reddit unicuique secundum opera sua, id est, & bene agentibus bona æterna, & malè agentibus mala perpetua. Ergo bonos præscivit omnino, & per gratiam suam bonos futuros, & per eandem gratiam æterna præmia accepturos, id est, & in præsentī seculo bene victuros, & in futuro feliciter remunerandos. Vtrumque tamen ex dono misericordiæ Dei. Vnde Apostolus vasa misericordiæ eos appellat dicens: *Ut ostenderet divitias gratiæ suæ in vasa misericordiæ, quæ preparavit in gloriam.* E contrario autem malos, & præscivit per propriam malitiam malos futuros, & præscivit per suam justitiam æterna ultione damnandos. Sicut præsciebat de Iuda proditore quòd eum esset traditurus, sicut Evangelium dicit: *Cùm esses unus de duodecim.* Præsciebat etiam æter-

Ecol. 15.

Rom. 9.

Ioan. 6.

Matth. 26.

nam ejus damnationem, cùm diceret: *Va homini illi per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Sic & de impiis Iudæis, præsciebat sine dubio eorum impietatem futuram, de qua prædixit in psalmo:

Psal. 68.

Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto. Præsciebat & subsequentem ipsorum damnationem, de qua in eodem psalmo subjunxit: *Deleantur de libro viventium, & cum iustis non scribantur.* Sed in his, & in omnibus iniquis, illud prius ex propria est pravitate, istud sequens ex divina æquitate. Hoc modo & de prædestinatione Dei omnino sentiendum est. quia in bonis prædestinavit, & ipsam eorum bonitatem futuram ex dono gratiæ suæ, & pro eadem bonitate æternam ipsorum remunerationem, ut ipsius dono fierent boni, ipsius dono essent remunerati. Vnde ait Apostolus:

1. Cor. 2.

Rom. 8.

Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum. & alio loco: *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui.* Prædestinavit utique electos suos, ut & nunc assumerentur in adoptionem filiorum Dei per gratiam baptismi, & in futuro efficiantur conformes imaginis filij Dei, per eandem Dei gratiam secundum imaginem ejus renovati & glorificati. Prædestinavit omnino, ut & hi essent boni, non ex se, sed ex illo, & illi beati, non per se, sed per illum. In utroque ergo bona sua in eis & de eis futura præscivit & prædestinavit. In malis verò & impiis, non prædestinavit omnipotens Deus malitiam & impietatem, id est, ut mali & impij essent, & aliud esse non possent: sed quos præscivit & prævidit

malos atque impios futuros proprio vitio, ipse eos prædestinavit ad æternam damnationem justo judicio. Non quia aliud esse non potuerunt, sed quia aliud esse noluerunt. Ipsi igitur sibi metipsis extiterunt causa perditionis: Deus autem justus judex & ordinator justus ipsius damnationis. Non enim prædestinavit injusta, sed justa. Prædestinat tamen & coronas justis, & pœnas injustis, quia utrumque est justum. Quam justitiam ejus commendans nobis Apostolus, ait: *Numquid iniquus Deus, qui infert iram? absit.* Rom. 1. Et quia modò omnibus prærogat patientiam, ut convertantur ad pœnitentiam, & qui pereunt, suo contemptu & duritia pereunt, quia tantam Dei patientiam contempserunt, iterum alio loco dicit: *An divitias bonitatis & patientiæ & longanimitatis ejus contempnis, ignorans quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Rom. 2. Secundùm duritiam autem suam, & cor impœnitens, thesaurizat sibi iram in die iræ & revelationis justi judicij Dei, qui reddet unicuique secundùm opera sua. Hinc etiam alia Scriptura testatur, dicens: *Deus mortem non fecit, nec latatur in perditione vivorum: impij autem manibus & verbis accerserunt illam, & estimantes amicam deflexerunt & sponsiones posuerunt ad illam, quoniam digni sunt qui sint ex parte illius.* Sap. 1. Non ergo omnipotens Deus ulli hominum causa mortis vel perditionis existit; sed ipsam mortem & perditionem manibus & verbis ipsi impij sibi accersunt, dum nequiter operando, & nequiùs aliis suadendo, & sibi & illis damnationem adducunt; dum viam iniquitatis & perditionis amantes, à recto itinere de-

flectunt, & ad perpetuam damnationem, tanquam datis inter se dextris, pari consensu nequitiae, quasi ex voto & sponfione festinant. Fœderati mortis, & vitæ æternæ inimici: ipsi secundum duritiam suam, & cor impœnitens, thesaurizant sibi iram in die iræ. In qua die iusti iudicij Dei, quia unusquisque secundum opera sua recipit, nemo ex Dei præiudicio, sed ex merito propriæ iniquitatis, condemnatur. Non enim ille aliquem prædestinavit ut malus esset, sed verè omnem malum prædestinavit ut impunitus non esset. Quia & unaquæque lex iusta crimen non iubet, ne sit iniusta, & tamen criminofum punit, ut verè sit iusta. Qui ergo dicit, quòd hi qui pereunt prædestinati sunt ad perditionem, & ideo aliter evenire non potest; similiter quoque & de iustis, tanquam & ipsi ideo salventur, quia prædestinati ad salutem aliud esse non potuerunt. Qui ergo hæc tam confusè & insulsè, & illis tollit meritum damnationis, & istis meritum salutis. ac per hoc quid aliud agit, nisi ut & pereuntibus secundum illum sit imposita necessitas perditionis, & his qui salvantur, sit imposita necessitas salutis? atque ideo nec illi justè damnentur, qui iusti esse non potuerunt, nec isti justè remunerentur, qui aliud quàm iusti esse nequiverunt, ut in utraque parte & perditio & salus non sit ex iudicio propriæ actionis, sed ex præiudicio divinæ præordinationis? Et ubi erit illud: *Qui reddet unicuique secundum opera sua?* & iterum: *Numquid iniquus Deus qui infert iram?* absit. Apertè namque causa perditionis illorum qui pereunt in Deum refertur, si ipse eos ita ad interitum præde-

Rem. 1.

Rem. 3.

præde-

prædestinavit, ut aliud esse non possent. Quod sentire vel dicere horribilis blasphemia est. Sed Ecclesiæ Catholicæ fides, cujus filij & sectatores esse debemus, ita nobis firmissimè tenendum insinuat, ut superiùs juxta Scripturæ sanctæ auctoritatem breviter designavimus. Videlicet omnipotentem Deum, in malis ipsorum malitiam præscisse, quia ex ipsis est, non prædestinasse, quia ex illo non est: pœnam verò illorum & præscisse, quia Deus est, & prædestinasse quia justus est. ut & in illis sit meritum suæ damnationis, & in illo potestas & judicium justæ damnationis. Non enim prædestinat Deus, nisi quæ ipse facturus est: præscit verò multa quæ ipse facturus non est, sicut omnia mala, quæ utique mali faciunt, non ille. Ipsos quoque malos non ideò perire, quia boni esse non potuerunt: sed quia boni esse noluerunt, & suo vitio vasa iræ apta in interitum perseveraverunt, & in massa damnationis, vel originali, vel actuali meritò permanserunt. In bonis autem, omnipotens Deus, sicut suprà satis ostensum est, utrumque præscivit & prædestinavit, ut & in præsentis vita per suam gratiam existerent boni, & in futura etiam beati. Vtriusque enim boni eorum, id est, præsentis & futuri, ipse est auctor, & idcirco sine dubio utriusque præcognitor & prædestinator. Quare & ipsi ex seipsis non solùm aliud esse potuerunt, sed etiam aliud fuerunt, antequam per eum, qui justificat impium, ex impiis justis efficerentur. Sive autem in illis qui salvantur, sive in illis qui pereunt, voluntas propria remuneratur, voluntas propria damnatur. Sed in illis, quia per gratiam Domi-

ni Salvatoris est sanata, ut ex mala & prava fieret bona & recta, est proculdubio dignissimè coronata: in istis autem, quia non acquiescit per Salvatorem recipere sanitatem, justissimè per eundem iudicem sentiet perpetuam damnationem. Et hoc est breviter totum, quod de libero arbitrio juxta veritatem catholicæ fidei est tenendum. Quòd scilicet omnem hominem liberi arbitrij condiderit Deus. Sed quia per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt: ita istud liberum arbitrium, in universo genere humano, illius prævaricationis merito, vitiatum & corruptum, ita obcæcatum est & infirmatum, ut sufficiat homini ad malè agendum, id est, ad ruinam iniquitatis, & ad hoc solùm possit esse liberum: ad bene verò agendum, id est, ad exercitium virtutis, & fructum boni operis, nullo modo assurgat & convalescat, nisi per fidem unius mediatoris Dei & hominum hominis Christi IESU, & donum Spiritus sancti, instauretur, inluminetur, atque sanetur. sicut ipse Salvator in Evangelio promittit, dicens: *Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* & Apostolus ait: *Vbi spiritus Domini, ibi libertas.* Ut per hanc gratiam Christi, & spiritus Christi, humanum liberum arbitrium, inluminatum, atque sanatum, dicat gratulans illud Psalmistæ: *Dominus inluminatio mea & salus mea, quem timebo?* Qui igitur hanc gratiam libertatis accipere desiderat, ut ad benè & piè vivendum veraciter liber fiat, non de suis viribus præsumat, sed illi se fideliter sanandum corroboran-

Joan. 8.

1. Cor. 3.

Psal. 16.

dúmque committit, de quo idem Psalmista dicit: *Apud Dominum gressus hominis dirigentur*, *Psal. 35.*
 & *viam ejus volet*: illumque oret, atque supplicet dicens: *Gressus meos dirigè secundùm elo-* *Psal. 118.*
quium tuum, & non dominetur mei omnis inju-
stitia. & iterum: *Deduc me Domine in via tua*, *Psal. 85.*
 & *ingrediar in veritate tua.* & cetera similia.

OPVSCVLVM SECVNDVM.

De gratia & præscientia Dei, déque prædestinatione & libero arbitrio, de spe item ac fiducia salutis, & de sententia sancti Augustini.

*Opusculum hoc in veteri codice Amolonis
 Epistolam subsequitur, sine titulo,
 & ut apparet, sine principio.*

GRATIAM itaque Dei credere debemus; qua humanum genus, nullis suis bonis meritis præcedentibus, sola Dei gratuita bonitate & misericordia salvatur per unum mediatorem Dei & hominum **I E S V M** Christum. Quam gratiam commendat ipse Dominus in Evangelio dicens: *Venit enim filius hominis* *Luc. 19.*
querere & salvum facere quod perierat. Hanc & Apostolus prædicat dicens: *Vt gratia Dei pro* *Hebr. 2.*
omnibus gustaret mortem. & alibi: *Deus autem,* *Ephes. 2.*
qui dives est in misericordia, propter nimiam

caritatem suam, qua dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo. Hanc significat gratiam, ubi dicit fidelibus: *Gratia salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum est.* Id est, utrumque, & quòd salvi facti estis, & quòd per fidem salvati. & salus vestra, & fides vestra. Per hanc gratiam, id est, gratuitum donum suum, trahit Deus pater quos vult ad filium suum. Trahit autem, non necessitate, sed delectabili voluntate & amore. sicut ipse filius dixit: *Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum.* Trahit eosdem & ipse filius ad se, sicut ipse dicit: *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* Hanc accipiunt in baptismo regenerati parvuli & majores, & quotidie fideles in omni cogitatu, & opere, & sermone bono. Exhortatur videlicet, quod bonum est inspirando: confirmat verò, quod inspiraverit conservando. Nullum est enim hominis bonum, quod non sit Dei donum. Per hanc gratiam nobis etiam quotidiana peccata humiliter confitentibus & supplicantibus remittuntur, testante beato Ioanne Apostolo, & dicente: *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquitate.*

PRÆSCIENTIAM quoque Dei credere debemus, qua omnia in æterna scientia sua præscivit, & præcognita ei sunt quæcunque futura sunt. non solùm bona, quæ ipse facit & remunerat in suis, sed etiam mala quæ ipse non facit, sed tantùm iudicat & damnat in alienis. Vnde & Scriptura dicit: *Qui nosti omnia ante-*

Ephes. 2.

Ioan. 6.

Ioan. 12.

1. Ioan. 1.

Dan. 13.

quam fiant. Ita namque in illa æterna præscientia, ei æternaliter & incommutabiliter omnia præcognita sunt, sicut omnino futura sunt. Et quia verissimè & certissimè præscivit, omnino ita erunt, sicut ea præscivit. De qua præscientia ejus Apostolus dicit: *Nam quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui.* Præscivit credituros & non credituros: præscivit in fide perseveraturos, & non perseveraturos: præscivit in vita æterna futuros, & in igne æterno arsuos. Præscivit ergo & certum numerum sanctorum suorum. Vnde mysticè in psalmo canitur: *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* & Apostolus: *Novit Dominus qui sunt ejus.*

Rom. 8.

Psalm. 146.

DEBEMVS etiam credere prædestinationem & electionem sanctorum. quia eos, quos præscivit sua gratia salvandos & liberandos, prædestinavit, id est, præordinavit, & elegit, id est, à massa perditionis & societate reproborum discrevit, ut ejus gratia fierent vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Non itaque idcirco eos prædestinavit & elegit, quia præscivit eos ex semetipsis justos futuros: sed potiùs ad hoc eos præscivit & prædestinavit, ut eos gratis sua gratia iustificaret. Quod totum ita Apostolus testatur dicens: *Nam quos*

Rom. 8,

Rom. 8.

Dei appellatur nonnunquam propositum Dei, sicut ait Apostolus: *Scimus enim, quoniam diligentes Deum omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti.* De hoc proposito & gratia, ante mundi constitutionem, ante tempora æterna sanctis promissa & donata, iterum dicit: *In spem vitæ æternæ, quam promisit qui non mentitur Deus ante tempora secularia, manifestavit autem temporibus suis verbum suum.* & alibi: *Secundum virtutem Dei, qui nos liberavit, & vocavit vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, que data est nobis in Christo IESU, ante tempora secularia, manifestata est autem nunc, per illuminationem Salvatoris nostri IESU Christi.* De qua vocatione dictum est, *Sine pœnitentia enim sunt, id est, sine mutatione, dona & vocatio Dei.* Oportet itaque ut credamus, ipsum bonum perseverantię sanctorum, non solum donum, sed etiam magnum & præcipuè necessarium Dei donum. Quid enim prodest in his bonis esse cœpisse, & ea ante finem vitę vel in fine perdidisse?

Tim. i.

2. Tim. 1.

Rom. 11.

Ecd. 7.

O P O R T E T etiam ut credamus, liberum & rectum voluntatis arbitrium, ab initio homini à Deo naturaliter insitum, ita primę prævaricationis merito esse viciatum, infirmatum, & depravatum, ut ad amorem veritatis & iustitię assurgere non possit, nisi per donum Christi fuerit excitatum, sanatum, ac vegetatum, & à suę pravitatis vitio liberatum. Hinc enina Scriptura dicit: *Creavit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuit questionibus.* Et post

hunc humane depravationis lapsum quid sub-
 jectum sit, eadem Scriptura sic dicit: *Sensus* Gen. 2.
enim & cogitatio humani cordis prona est ad ma-
lum. Hunc itaque liberi arbitrij languorem,
 quo sensus hominis & cogitatio, ex vitio dam-
 natę originis, prona & intenta est ad malum,
 & ipsum liberum arbitrium tenetur captivum,
 solus ille sanat medicus, solus ille liberat, &
 reddit liberum liberator, qui de seipso ait:
Non est opus sanis medicus, sed male habentibus. Math. 9.
 & iterum: *Si vos filius liberaverit, tunc verę li-* Joan. 8.
beri eritis. Ipse liberum arbitrium reddit sua
 gratia liberatum: ut sicut erat pronum & prom-
 ptum ad malum, multo attentius & delectabi-
 lius efficiatur pronum & promptum ad bonum.
 De qua libertate Apostolus ait: *Vbi autem spi-* 1. Cor. 2.
ritus Domini, ibi libertas.

HÆC igitur gratia, & præscientia, & præde-
 stinatio, & electio, & vocatio, sed & liberi ar-
 bitrij dejectio & instauratio, tam clarę adnun-
 tiata in Scripturis, fidelissimę & firmissimę
 debent teneri à nobis. Quę non ad hoc adnun-
 tiantur, ut hominem fidelem ab spe & fiducia
 salutis dejiciant, aut frangant: sed ut humiliata
 omni humana superbia, & omni de suis viri-
 bus præsumptione deposita, subiciat se unus-
 quisque & commendet fideliter Deo regen-
 dum, & ejus virtute protegendum, ejus boni-
 tate juvandum, ejus gratia conservandum &
 perficiendum. quę nulla est alia, nisi misericor-
 dia & benignitas redemptoris, cujus morte vi-
 vificamur, cujus sanguine redimimur, cujus
 justitia absolvimur, cujus cruce salvamur, ut
 fiat in nobis, non ad desperationem, sed ad sa-

2. Cor. 1.

lutem, quod Apostolus ait dicens: *Sed ipsi in nobis ipsis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis, sed in Deo, qui vivificat mortuos.* & alio loco: *Ex ipso autem vos estis in*

1. Cor. 1.

Christo IESU, qui factus est sapientia nobis à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. Quatenus totum ipse nobis sit, & nos toti ejus simus, non ex parte de nobis, & ex parte de illo fidentes, & unusquisque nostrum dicat ei

Psal. 118.

fideliter cum Psalmista: Tuus sum ego, salvum me fac. Quid est enim, quòd ita se quodammodo familiarius Deo commendandum putavit, ut diceret, *Tuus sum ego?* nisi intelligi volens; quòd malo suo suus esse voluerit, quod est inobedientiæ primum & maximum malum. Ideo tanquam dicens, *Meus esse volui, & perditum me feci, Tuus sum,* inquit, *salvum me fac.* Constanter utique fidelis quisque Christo crede, eique te rotum committe, quantum potest. Noli velle esse quasi proprius, & in tua potestate, sed ejus clementissimi & utilissimi domini te servum esse profiteri. Ita enim te ad se sublevare non desinet, nihilque tibi evenire permittet, nisi quod tibi profit, etiamsi nescias. Ipsa est namque Dei sapientia, quæ loquitur & admonet dicens: *Ego mater pulchra dilectionis & timoris, & agnitionis & sancta spei, in me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hereditas mea super mel & farum. Qui audit me non confundetur, & qui operantur in me non peccabunt.* Pro hac vir sapiens orat dicens: *Mitte illam de*

Eccl. 24.

Sup. 9.

S. O. 2. S. O. 2.
2. O. 3. 2. O. 3.S. O. 2. S. O. 2.
2. O. 3. 2. O. 3.


LUGDVNENSIS OPVSCVLA. 185
*sanctis cælis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut
mecum sis, & mecum laboreet, & sciam quid ac-
ceptum sit apud te.*

NEQVE contrarium putari debet, quod in
dictis sancti Augustini, forsitan & aliorum ca-
tholicorum Doctorum, aliquotiens inveniri
solet, impios quoque ad æternam damnatio-
nem, sive ad æternum interitum prædestinatos,
Quia omnipotens Deus, quos in peccato suo,
sive originali, sive etiam actuali, atque in im-
pietate prævidit esse perituros, non eos sua di-
vina potestate, quasi præjudicando, prædesti-
navit ad malum, ut eos velut ipsa prædestina-
tione cogeret malos esse, atque ad æterna ma-
la toleranda pervenire: sed quos vel ex justè in
Adam damnata origine, vel etiam propria im-
pietate, perpetuæ damnationis reos futuros es-
se præscivit, justo eos judicio, tanquam om-
nium præscius, ad æternum interitum præordi-
navit, & præordinando utique prædestinavit.
Sed jam audiamus beatum Augustinum, quo-
modo & ipse, post Apostolum præcipuus præ-
destinationis & gratiæ prædicator, hortetur fi-
deles ad studia pietatis, & instantiam oratio-
nis, ut mereantur accipere præmium vocatio-
nis. O si cor esset, inquit qualitercunque sus-
pirans in illam ineffabilem gloriam! ô si pere-
grinationem nostram in gemitu sentiremus, &
seculum non amaremus, & ad eum qui nos vo-
cavit pia mente perpetuò pulsaremus! Desi-
derium sinus cordis est. capiemus, si deside-
rium quantum possumus extendamus. Hoc no-
biscum ait & scriptura divina, hoc congrega-
tio populorum, hoc celebratio sacramentorum,

cc Tract. 40.
cc in Joan. 18
cc sine.

cc
cc
cc
cc
cc
cc

« hoc baptifmus fanctus, hoc cantica laudis Dei,
 « hoc ifta noftra difputatio, ut hoc defiderium
 « non folùm feminetur & germinet, verùm
 « etiam in modum tantæ capacitatis augeatur,
 « ut idoneum fit fumere, quod oculus non vi-
 « dit, nec auris audivit, nec in cor hominis af-
 « cendit. Sed amate mecum. Non multùm amat
 « nummum, qui amat Deum. Et ego palpavi in-
 « firmitatem. Non fum aufus dicere, non amat
 « nummum, fed non multùm amat nummum :
 « quafi amandus fit nummus, fed non multùm.]
 « O fi Deum dignè amemus ! nummos omnino
 « non amabimus. Erit tibi nummus instrumen-
 « tum peregrinationis, non irritamentum cupi-
 « ditatis. quo utaris ad neceffitatem. non quo
 « fruaris ad delectationem. Deum ama, fi ali-
 « quid in te egit quod audis & laudas. Vtere
 « mundo, non te capiat mundus. Quod intrasti
 « iter agis. Exiturus venifti, non remanfurus. Iter
 « agis, ftabulum eft hæc vita. Vtere nummo, quo-
 « modo viator in ftabulo utitur menfa, calice, ur-
 « ceo, lectulo, dimiffurus, non permanfurus. Si
 « tales fueritis, erigite cor qui potestis, & audite
 « me. Si tales fueritis, ad ejus promiffa venietis.
 « Non enim multum eft ad vos, quia magna eft
 « manus ejus qui vos vocavit. Vocavit, invoce-
 « tur. Dicatur illi : Vocafti nos, invocamus te.
 « Ecce audivimus vocantem : audi invocantes.
 « Perduc quò promiffifti, perfice quod inchoafti.
 « Noli deferere munera tua, noli deferere agrum
 « tuum. Germina tua intrent in horreum. Abun-
 « dant tentationes in mundo, fed major eft qui
 « fecit mundum. Abundant tentationes, fed non
 « deficit, qui in illo fpem ponit. in quo defectus
 « nullus eft,



ERVDITISSIMI VIRI
IACOBI SIRMONDI

P R Æ F A T I O

DE SEQVENTI OPERE,
dèque ejus auctore.



ELOCEM hanc sententiarum idem nobis vetus codex protulit, qui Amolonius nuper epistolam ad Gothescalcum: ac nisi nos conjectura fallit, idem ipse Amolo, qui epistola est auctor, hujus quoque auctor est Collectionis. Cujus tu operis duplicem, LECTOR, pro solertia tua statim agnosces gratiam. Vnam, quod plurimis & maximis de rebus, qua in controversia nunc versantur, quid senserit & docuerit Augustinus, ipsius Augustini verbis, quod erat optandum, patefaciet, alteram, quod verborum Augustini, ne malos interpretes audiamus, veram utilèmq; intelligentiam depromet. Sunt enim vero, sicut olim fuerunt, qui sub Augustini titulo incautos circumveniunt. Neque enim caustior ille aut felicior esse potuit, quàm Propheta, quàm Apostoli & Evangelista, quorum verbis haeretici aliquando ad defendendos errores suos abusi sunt. Ceterùm liceat quibus hos sequi libet, vel Augustinum cum Adrumetinis monachis non intelligere, vel falsa illi affingere cum Praedestinatistis. Nos Amolone duce Augustini sententias in eam partem accipiemus, qua Ecclesia placitis maximè congruat, qua fidem, fiduciàmque nostram adificet qua nos Deo divinaque providentia totos dedat, explosis iis qui cum ab Augustino procul absint, Augustini tamen nomine gloriari, suumque illum dicere cum Gothescalco non erubescunt.

EIVSDEM SIRMONDI P R Æ F A T I O

DE SENTENTIIS S. AVGVSTINI
quanti meritò faciendæ sint.

ET SI de sancti Augustini sententiis nulli dubium esse potest, quin magno in pretio & honore habendæ sint, tanquam admirabilis doctrina, sapientissimique, ut Facundus ait, atque clarissimi Ecclesiarum Christi magistri, cautio in his tamen, ne fraus incurrat, duplex adhibenda est. una, ne malè forsan exposita nobis illudant: altera, ut in laudando earum auctore modum teneamus. Malè olim Augustini epistolam ad Xystum intellexerant monachi Adrumetini, eoque ferebantur, ut liberum hominis arbitrium ab eo negari crederent, nisi erroris illos admo-
vuisset, suamque illis mentem aperuisset in libro de gratia & libero arbitrio. Prædestinatos rursus ad interitum quosdam cum scripsisset Augustinus, atque hoc nonnulli, quasi prædestinatos ad peccatum diceret, interpretarentur, Fulgentius contra, libro primo ad Monimum, prædestinationem non ad iniquitatem, sed ad supplicium intelligendam docuit. Prima itaque in verbis Augustini cura sit oportet, ut quo sensu accipi debeant exploremus; præxima, ut de auctoritate cum agitur, Augustinum sic amemus, ut eos non audiamus, qui illum supra quàm par est extollere student. Quod dum faciunt, non animadvertunt se illum ipsum, cujus laudibus indulgent, minimè faventem, sed adversarium habituros. Quippe qui ad S. Hieronymum scribens epistola xix. solis canonicorum librorum scriptoribus honorem hunc deferre norit, ut nusquam errasse illos credat. De se autem tantum abest ut idem sibi arroget, ut horum similes quosdam amatores suos, qui de ipso aliter sentiebant, graviter hoc nomine reprehendat in epistola vii. ad Marcellinum. Vos autem, inquit, qui me multum diligitis, si talem me asseritis adversus eos quorum malitia, vel ignorantia vel intelligentia reprehendor, ut me nusquam scriptorum meorum errasse dicatis, frustra laboratis, non bonam causam suscepistis, facile in ea me iudice superamini. quoniam non mihi placet, cum à carissimis meis talis esse existimor qualis non sum.



SANCTI
 AVGVSTINI
 SENTENTIÆ,

De Prædestinatione, & Gratia Dei,
 & de libero hominis Arbitrio.

PRÆFATIO OPVSCVLI
 SEQVENTIS.



*I*N nomine Domini nostri IESV
 Christi. Legat fidelis quisque fideli-
 ter subnexas beati Augustini sen-
 tentias, quas ex libris eius studiosè
 collectas, & eodem Domino adju-
 vante salubriter ordinatas, in hoc libello avidè
 carpendas ac dulciter proponimus ruminandas,
 ut devotus & simplex lector, ne magnis & multi-
 plicibus prædicti Patris disputationibus fatigetur,
 vel etiam profunditate ac perplexitate tantarum
 questionum deterreatur aut perturbetur, brevi
 compendio discat unde fidem suam fideliter adi-
 fices, & actionem salubriter informes. Sumat ita-

que hac velut alimenta salutis, & utatur velut unguentis suavitatis; quatenus ipso usu pietatis & devota supplicationis magis magisque quotidie experiatur quàm veraciter omnibus Deum fideliter quærentibus & invocantibus Scriptura dicat: *Quærite Deum, & vivet anima vestra.*

Et iterum: Quærite bonum, & non malum, ut vivatis; & erit Dominus exercituum vobiscum, sicut dixistis. Et alio loco: Lætetur cor quærentium Dominum: Quærite Dominum, & confirmamini: quærite faciem ejus semper.

Itémque alibi ipse Dominus: Et ibitis, inquit, & orabiris me, & exaudiam vos. Quæretis me, & invenietis, cum quæsieritis me in toto corde vestro, & inveniar à vobis, dicit Dominus. Quoniam, ut Psalmista ait, Propè est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. Absit enim ut doctus pietatis ideò aliquem ad hæsitacionem vel diffidentiam impellere videatur, quia juxta Scripturam sanctam fidem omnes docet, omnes hortatur, non in seipsis sed in Deo spem ponere, cum scriptum sit: Maledictus homo qui spem suam ponit in homine. & post pauca: Erit quasi myricæ in deserto, & non videbit cum venerit bonum. E contrario autem: Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus. Et erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas, &c. Unde & in Psalmo canitur: Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam: Audiamus itaque fideliter, & diligentissimè discamus in his brevissimis & suavissimis bea-

Psal. 68.

Amos 5.

1. Par. 16.

Psal. 104.

Hier. 29.

Psal. 144.

Hier. 17.

Hier. 17.

Psal. 71.

rissimi patris dictis , videlicet quid sentiendum
 & tenendum sit , juxta certissimam fidei catho-
 lica regulam , de originali delicto ex Adam in
 omne humanum genus transfuso , de libero arbi-
 trio in Adam vitiato & per Christum sanan-
 do , de gratia Dei qua genus salvatur huma-
 num , de modo justitiae fidelium in hac vita ,
 de utilitate correptionis & exhortationis , de pre-
 destinatione , electione , & vocatione sanctorum ,
 de dono perseverantiae usque in finem , quo per-
 venit ad bonum quod non habet finem .
 Quantum etiam inter hac adjuvetur apud
 Deum , & proficiat atque firmetur vita fide-
 lium orationibus , eleemosynis , & ceteris stu-
 diis pietatis , ut alleventur prostrati , curentur
 saucij , erigantur elisi ; ut petendo acci-
 piatur , quarendo inveniatur , pulsando intretur ,
 atque ita cooperante Dei gratia bonum
 certamen certetur , cursus consummetur , fides
 fervetur , adventus Domini diligatur , & qui
 legitime certaverit coronetur . Sic itaque in his ,
 & ex his , quae tantus pater de tantis rebus ne-
 cessario & fideliter docet , proficiat edificatio fi-
 dei nostrae , ut concalescat & accendatur fidu-
 cia spei nostrae , excitetur devotio orationis no-
 strae , informetur studium actionis nostrae . quia
 apud omnipotentem Dominum , veritatis & pie-
 tatis auctorem , nequaquam fides impedit de-
 votionem , sed devotio dirigitur & adifica-
 tur ex fide , ut quanto quis fidelius de illo sen-
 tit , & sentiendo veneratur , tanto promptius
 & efficacius ejus gratiam assequatur , Scriptu-
 ra sancta dicente : Sentite de Domino in bo- Sap. 1:

nitate , & in simplicitate cordis quærite illum : quoniam invenitur ab his qui non tentant illum , apparet eis qui fiduciam habent in illum.





SENTENTIÆ

B. AVGVSTINI,

EX LIBRIS QVOS DE PRÆFATIS
rebus condidit sumptæ, & in unam
seriem distinctis Capitulis ordinatæ.

CAPVT PRIMVM.

*Ex libro de perfectione justitiæ hominis, ad
Eutropium & Paulum Episcopos.*

SENTENTIA I.



PE salvi facti sumus. Spes autem
quæ videtur non est spes. Quod
enim videt quis, quid sperat? Si au-
tem quod non videmus speramus,
per patientiam expectamus. Tunc ergo erit
plena justitia, quando plena sanitas; tunc
plena sanitas, quando plena caritas. plenitudo
enim legis est caritas. Tunc autem plena cari-
tas, quando videbimus eum sicuti est. Neque
enim erit quod addatur ad dilectionem, cum fi-
des pervenerit ad visionem.

CAP. III.
Rom. 8.

II. Per arbitrij libertatem factum est ut ef-
set homo cum peccato: sed jam pœnalis viciosi-

CAP. IV.

tas subsecuta, ex libertate fecit necessitatem. Unde ad Deum fidelis clamat: *De necessitatibus meis educ me.* Sub quibus positi, vel non possumus quod volumus intelligere; vel quod intellexerimus, nolumus nec valemus implere. Nam & ipsa libertas credentibus à liberatore promittitur: *Si vos, inquit, filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.* Victa enim vitio in quod cecidit voluntate, caruit libertate natura. Hinc alia Scriptura dicit: *A quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est.* Sicut ergo non est opus sanis medicus, sed malè habentibus; ita non est opus liberis liberator, sed servus, ut ei dicat gratulatio libertatis, *Salvam fecisti de necessitatibus animam meam.* Ipsa enim sanitas est vera libertas; quæ non perisset, si bona permansisset voluntas. Quia verò peccavit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas, donec tota sanetur infirmitas, & accipiatur tota libertas; in qua sicut necesse est permaneat beatè vivendi voluntas, ita sit etiam bene vivendi, & nunquam peccandi, voluntaria felixque necessitas.

CAP. V.

III. Dominus, qui verbum consummans & brevians fecit super terram, in duobus præceptis dixit Legem Prophetasque pendere, ut intelligeremus quicquid aliud divinitus præceptum est, in his duobus habere finem, & ad hæc duo esse referendum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua. & diliges proximum tuum sicut teipsum.* In his, inquit, duobus præceptis tota lex pendet & propheta. Quicquid ergo Dei lege prohibemur, & quicquid jubemur facere, ad

Psal. 24.

Joan. 8.

2. Pet. 2.

Matth. 22.

hoc prohibemur & jubemur ut duo ista compleamus. Et fortè generalis prohibitio est, *Non concupisces*; & generalis jussio, *Diliges*. Vnde breviter & Apostolus Paulus quodam loco utrumque complexus est. Prohibitio est enim, *Nolite conformari huic seculo*; jussio autem, *sed reformamini in novitate mentis vestre*. Rom. 12. Illud pertinet ad non concupiscere, hoc ad diligere: illud ad continentiam, hoc ad justitiam: illud ad declinandum à malo, hoc ad faciendum bonum. Non concupiscendo enim vetustate exspoliatur, & novitate induimur diligendo. Sed nec quisquam potest esse continens; nisi Deus det: & caritas Dei diffunditur in cordibus nostris, non per nos ipsos, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Hoc autem fit de die in diem in his qui volendo, & credendo, & invocando proficiunt, & præterita obliviscentes in ea quæ antè sunt extenduntur. Ad hoc enim lex ista præcipit, ut cùm in his implendis homo defecerit, non se extollat superbia tumidus, sed ad gratiam confugiat fatigatus; ac sic eum lex terrendo ad Christum diligendum pædagogi perducatur officio.

IV. Sic curramus ut comprehendamus. CAP. VIII. Omnes enim qui rectè currunt comprehendent. non sicut in agone theatro, omnes quidem currunt, sed unus accipit palmam. Curramus credendo, sperando, desiderando. Curramus corpus castigando, & eleemosynas in bonis dandis, malisque ignoscendis, hilariter & ex corde faciendo, & currentium vires ut adjuventur orando. Et sic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem caritatis.

V. Quis nesciat, cum præceptum generale sit caritas, quia finis præcepti est caritas, & plenitudo legis est caritas, grave non esse quod diligendo fit, non timendo? Laborant autem in Dei præceptis, qui ea timendo conantur implere, sed perfecta caritas foras mittit timorem, & facit præcepti sarcinam levem; non solum non prementem onere ponderum, verum etiam sublevantem vice pennarum. Quæ tamen caritas ut habeatur, etiam tanta, quanta in corpore mortis hujus haberi potest, parum est nostræ voluntatis arbitrium, nisi adjuvet gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Diffunditur quippe in cordibus nostris, quod sæpe dicendum est, non per nos ipsos, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Nec aliam ob causam Scriptura commemorat non esse gravia præcepta divina, nisi ut anima, quæ illa gravia sentit, intelligat nondum se accepisse vires, quibus talia sint præcepta Domini, qualia commendantur; levia scilicet atque suavia, & oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facilitatis. Qui enim dicit, *Fiat cor meum immaculatum*, & *Itinera mea dirige secundum verbum tuum*, ne dominetur mihi omnis iniquitas. & *Fiat voluntas tua sicut in calo ita & in terra*. & *Ne nos inferas in tentationem*, & cetera hujusmodi, quæ commemorare longum est, hoc utique orat, ut præcepta Dei faciat. Quæ ut fierent nec juberetur, si nihil ibi nostra voluntas ageret, nec oraretur, si sola sufficeret. Commendantur ergo non esse gravia, ut cui gravia sunt, intelligat nondum se accepisse donum, quo gravia non sint; nec arbitretur ea se

Psal. 119.

Matth. 6.

perficere, quoniam ita facit ut gravia sint. Hilarem enim datorem diligit Deus. Nec tamen cum ea gravia sentit, desperando frangatur, sed ad quærendum, petendum, pulsandumque cogatur.

VI. Aliud est esse sine peccato, quod de solo in hac vita Vnigenito dictum est; aliud esse sine querela, quod de multis justis etiam in hac vita dici potuit. Quoniam est quidam modus bonæ vitæ, de quo etiam in ista humana cōversatione iusta querela esse non possit. Quis enim justè queritur de homine, qui nemini male vult, & quibus potest fideliter consulit, nec contra cujusquam injurias tenet libidinem vindicandi, ut veraciter dicat, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*? Et tamen eo ipso quòd verum dicit, *Dimitte sicut & nos dimittimus*, sine peccato se non esse declarat.

VII. Custodivit vias Dei, qui non sic exorbitat, ut eas relinquat; sed in eis currendo proficit, etsi aliquando ut infirmus offendit aut titubat. Proficit autem minuendo peccata, donec perveniat ubi sine peccato sit. Non enim aliter potest eo modo proficere, nisi custodiendo vias ejus. Declinat autem à mandatis Domini atq; discedit apostata, non ille, qui etiam si habet peccatum, configendi tamen cum eo perseverantiam non relinquit, donec eò perveniat ubi nulla cum morte contentio remanebit.

VIII. Abstinet se ab omni re mala, qui peccato, sine quo non est, vel nunquam omnino consentit, vel si aliquando premitur, non opprimitur, sicut luctator fortior, etsi aliquan-

do tenetur, non ideo perdit quo superior invenitur. Legitur sanè homo sine crimine, legitur sine querela, & non legitur sine peccato, nisi filius hominis, unus idémque Dei filius unicus.

CAP. XIII.

IX. Verissimè tunc erunt homini multa bona, cùm recesserit ab omni peccato. Tunc enim nulla erunt mala, ut non opus habeat dicere, *Libera nos à malo*. Quamvis & nunc omnis qui proficit recta intentione proficiens, recedit ab omni peccato, & tantò inde longinquior, quanto plenitudini justitiæ perfectionique fit propinquior. quia & ipsa concupiscentia, quod est peccatum habitans in carne nostra, etsi manet adhuc in membris mortalibus, minui tamen non desinit in proficientibus. Aliud est ergo recedere ab omni peccato, quod nunc in opere est, aliud recessisse ab omni peccato, quod in illa perfectione tunc erit.

Tit.

T/salm. 13.

X. Quomodo dictum est, *Non est qui faciat bonum non est usque ad unum*, nisi quia populum quendam psalmus ille culpat, in quo nec unus erat qui faceret bonum, dum volunt remanere filij hominis, & non esse filij Dei, cujus gratia homo fit bonus ut faciat bonum? De illo enim bono dictum hîc debemus accipere, quod ibi ait, *Deus de cælo respexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum*. Hoc ergo bonum, quod est requirere Deum, non erat qui faceret, non erat usque ad unum, sed in eo genere hominum, quod prædestinatum est ad interitum. Super hos enim respexit Dei præscientia, protulitque sententiam.

CAP. XIV.

XI. *Nemo bonus, nisi unus Deus*. Sive quia

omnia quæ creata sunt, quamvis ea Deus fecerit bona valde, creatori tamen comparata, nec bona sunt, cui comparata nec sunt. Altissimo quippe & proprio modo quodam de se ipso dixit, *Ego sum qui sum*, Sic dictum est, *Nemo bonus nisi unus Deus*, quemadmodum de Ioanne dictum est, *Non erat ille lumen*, cùm Dominus eum dicat esse lucernam, sicut discipulos quibus dixit: *Vos estis lumen mundi*. Sed in comparatione luminis illius, quod est lumen verum inluminans omnem hominem venientem in hunc mundum, non erat ille lumen. Sive quia etiam ipsi filij Dei, comparati sibi ipsis, quales in illa perfectione æterna futuri sunt, ita boni sunt, ut adhuc & mali sint, quod de illis dicere non auderem, Quis enim audeat dicere malos esse quorum pater est Deus, nisi ipse Dominus diceret, *Si ergo vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis*, & reliqua. Cùm autem utique pater vester, filios Dei jam esse monstravit, quos tamen adhuc malos esse non tacuit. Vnde est ille admonitus, qui interrogaverat quid boni faceret, ut illum quæreret, cuius gratia bonus esset, cui bonum esse hoc est ipsum esse, qui incommutabiliter bonus, non potest omnino malus esse.

XII. Si cor nostrum nos non reprehendat, fiduciam habemus ad Deum, & quæcunque petierimus accipiemus ab eo. Hoc enim agitur voluntate, credendo, sperando, diligendo, corpus castigando, eleemosynas faciendo, iniurias ignoscendo, instantè orando, & proficiendâ vires præcando, veraciterque dicendo: *Di-*

mitte nobis, sicut & nos dimittimus. & : Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo. Hoc prorsus agitur, ut cor mundetur, & peccatum omne tollatur, & quod iudex justus, cum in throno sederit, occultum invenerit, minusque mundatum, ejus misericordia remittatur, ut Deo vivendo totum sanum mundumque reddatur. Iudicium enim sine misericordia, sed illi qui non fecit misericordiam. Superexaltat autem misericordia iudicio. Quod si non esset, quæ spes esset? Quandoquidem cum Rex justus sederit in throno, quis gloriabitur se castum habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse à peccato? Tunc ergo per ejus misericordiam justus, plenè perfectèque mundati, fulgebunt in regno patris sui sicut sol.

Ibidem.

XIII. Mundat Christus Ecclesiam nunc lavacro aquæ in verbo, abluens peccata præterita, & pellens ab ea dominationem malorum angelorum. Deinde perficiens ejus sanitates, facit eam occurrere in illam gloriosam, non habentem maculam, neque rugam. Quos enim prædestinavit, illos & vocavit; & quos vocavit, ipsos & justificavit. quos autem justificavit, illos & glorificavit. In hoc mysterio dictum arbitror: *Ecce ejicio demonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor*, id est, perficior. Dixit enim hoc ex persona corporis sui, quod est Ecclesia. disponens pro distinctis ordinatisque temporibus, quod in sua resurrectione significavit in triduo.

Luc. 13.

Ibidem.

XIV. Avertat se homo à delicto, cum proficiendo inde discedit, & renovatur de die in

diem, & dirigat in opus misericordiæ, & ab omni delicto mundet cor suum: misereatur, ut quod restat per veniam dimittatur. Hoc enim salubriter, & sine vana inanique jactantia, bene intelligitur in eo quod dixit S. Ioannes: *Si cor nostrum nos non reprehendat, fiduciam habemus ad Dominum, & quacunque petierimus accipiemus ab eo.* Hoc enim videtur isto loco admonuisse, ne cor nostrum nos in ipsa oratione & petitione reprehendat. hoc est, ne fortè cùm cœperimus dicere, *Dimitte nobis sicut & nos dimittimus*, compungamur non facere quod dicimus, aut etiam non audeamus dicere quod non facimus, & fiduciam petendi amittamus.

1. Ioan. 2.

XV. Quomodo verum est, *Omnis qui peccat non vidit eum, neque cognovit eum*, cùm secundùm visionem & cognitionem quæ erit in specie, nemo eum in hac vita videat atque cognoscat; secundùm visionem autem & cognitionem, quæ est in fide, multi sunt qui peccent, certè ipsi apostatæ, qui tamen in eum aliquando crediderunt, ut de nullo eorum dici possit, secundùm visionem & cognitionem quæ adhuc in fide est, *non vidit eum, neque cognovit eum*. Sed intelligendum arbitror, quia renovatio perficienda videt & cognoscit; infirmitas verò absumenda, nec videt, nec cognoscit eum. In cuius quantiscunque reliquiis interiùs constitutis si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.

CAP. XV. III

1. Ioan. 1.

XVI. Cùm per gratiam renovationis filij Dei sumus, tamen propter reliquias infirmitatis nondum apparuit quod erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quo-

Ibidem.

niam videbimus cum sicuti est. Tunc peccatum nullum erit, quia infirmitas nec interior nec exterior ulla remanebit, & omnis qui habet hanc spem in eum, sanctificat se sicut & ipse sanctus est. Sanctificat enim se, non per seipsum, sed credendo in illum, & invocando illum, qui sanctificat sanctos suos. Cujus sanctificationis perfectio, quæ nunc proficit, & crescit de die in diem, omnes infirmitatis reliquias ablatura est.

CAP. XIX. XVII. Dei gratiam vel misericordiam volumus impetrare, cum dicimus: *Fiat voluntas tua sicut in cælo, ita & in terra: vel Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo.* Ut quid enim ista orando tanto gemitu petimus, si volentis hominis & currentis, non miserantis est Dei? Non quia hoc sine voluntate nostra agitur, sed quia voluntas non implet quod agit, nisi divinitus adjuvetur. Hæc est fidei sanitas, quæ nos facit orare, quærere ut inveniamus, petere ut accipiamus, pulsare ut aperiatur nobis. Contra istam qui disputat, contra seipsum claudit ostium misericordiæ Dei. Nolo plura dicere de re tanta: quia meliùs eam committo fidelium gemitibus, quàm meis sermonibus.

Ibidem.

Deut. 30.

XVIII. Voluntarium nostrum bonum est, cum Deus operatur in nobis & velle & operari pro bona voluntate. In Deuteronomio scriptum est: *Vitam & mortem dedit ante faciem hominis, bonum & malum, & admonuit ut eligeret vitam.* Sed & ipsa admonitio de misericordia venit, nec aliquid prodesset eligere vitam, nisi Deus eligendi caritatem inspiraret, & electam habere præstaret. De eo dictum est: *Quo-*

Psalm. 29.

niam ira in indignatione eius, & vita in voluntate ejus. Item dictum est: *Si velis præcepta, servabunt te.* Sed debet Deo agere gratias, quia præcepta voluit, qui desertus omni lumine veritatis hæc velle non posset. Positis ante hominem igne & aqua, quò vult quidem porrigit manum; sed altior est qui vocat altiùs, quàm omnis humana cogitatio.

XIX. Lex prævaricationis gratia posita est, donec veniret semen cui promissum est. Unde subintravit ut abundaret delictum, & ubi abundavit delictum, superabundavit gratia. Id est, ut acciperet homo præcepta, superbè de suis viribus fidens, in quibus deficiens, & factus etiam prævaricator, liberatorem salvatorèmq; requireret; atque ita eum timor legis humilem factum, tanquam pædagogus ad fidem gratiàmque perduceret. Ita multiplicatis infirmitatibus postea acceleraverunt, quibus sanandis opportunè Christus advenit. In cujus gratiam etiam justi antiqui crediderunt, eadem ipsa gratia ejus adjuti, ut gaudentes eum prænoscerent, & quidam etiam prænuntiarent esse venturum, vel in illo populo Israël, sicut Moyses, & Iesu Nave, & Samuel, & ceteri tales, vel extra ipsum populum, sicut Iob, vel ante ipsum populum, sicut Abraham, sicut Noë, & quicumque alij sunt, quos commemorat vel tacet divina Scriptura. Vnus enim Deus, & unus mediator Dei & hominum homo Christus IESVS, sine cujus gratia nemo à condemnatione liberatur, sive quam traxit ex illo in quo omnes peccaverunt, sive quam postea suis iniquitatibus addidit.

XX. Dicitur, *Adjutor meus esto, ne derelinquas me.* non utique ad corporalia bona capessenda, & mala cavenda; sed ad gerendam perficiendamque justitiam. Propter quod dicimus: *Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo.* Nec adjuvatur, nisi qui & ipse aliquid agit. adjuvatur autem, si invocat, si credit, si secundùm propositum vocatus est. Quomodo quos antè præscivit & prædestinavit conformes imaginis filij sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædestinavit, illos & vocavit. quos vocavit, illos & justificavit. quos autem justificavit, illos & glorificavit. Currimus ergo cùm proficimus, dum sanitas nostra in proficientibus currit: sicut etiam cicatrix currere dicitur, quando bene vulnus diligentèrque curatur, ut omni ex parte perfecti, sine ulla simus omnino infirmitate peccati. quod non solùm vult Deus, verùm etiam ut impleatur facit atque adjuvat. Et hoc nobiscum agit gratia Dei per Christum Iesum Dominum nostrum; non solùm præceptis, sacramentis, exemplis; sed etiam Spiritu sancto per quem latenter diffunditur caritas in cordibus nostris. qui interpellat gemitibus inenarrabilibus, donec in nobis sanitas perficiatur, & Deus sicuti est, videndus in æterna veritate monstretur.

XXI. Quisquis fuisse vel esse in hac vita aliquem hominem, vel aliquos homines putat, excepto uno mediatore Dei & hominum, quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum, contrarius est divinæ scripturæ, ubi Apostolus

dicit : *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors. & ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Rom. 5.
 Et necesse est, ut impia contentione asserat, esse posse homines, qui sine mediatore Christo, liberante atque salvante, sint liberi, salvique à peccato; cùm ille dixerit : *Non est opus sanis medicus, sed malè habentibus. Non veni vocare justos, sed peccatores.* Matth. 9. Luc. 1.

XXII. Quisquis autem dicit, post acceptam remissionem peccatorum, ita quemquam hominem justè vixisse in hac carne, vel vivere, ut nullum habeat omnino peccatum, contradicit Apostolo Ioanni, qui ait : *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Ibid. Non enim ait *habuimus*, sed *habemus*. Quod si quisquam asserit de illo peccato dictum, quod habitat in carne nostra mortali, secundùm vitium quod peccantis primi hominis voluntate contractum est, cujus peccati desiderii ne obediamus, Paulus Apostolus præcipit : non autem peccare, qui eidem peccato, quamvis in carne habitanti, ad nullum opus malum omnino consentit, vel facti, vel dicti, vel cogitati. quamvis ipsa concupiscentia moveatur, quæ alio modo peccati nomen accepit, quòd ei consentire peccare sit, nobisque moveatur invitis ; subtiliter quidem ista discernit, sed videat quid agatur de dominica oratione, ubi dicimus, *Dimitte nobis debita nostra.* Quod, nisi fallor, non opus esset dicere, si nunquam, vel in lapsu linguæ, vel in oblectanda cogitatione, ejusdem peccati desiderii aliquantulum consentiremus. Sed tantummodo dicendum es-

14. 3.

set : *Ne nos inferas in tentationem , sed libera nos à malo.* Nec Iacobus Apostolus diceret : *In multis offendimus omnes.* Non enim offendit, nisi cui mala concupiscentia contra iustitiæ rationem , appetendo seu vitando , faciendum vel dicendum vel cogitandum aliquid , quod non debuit , sive fallens , sive prævalens persuadet : Sed planè quisquis negat nos orare debere , ne intremus in tentationem , (negat autem hoc , qui contendit ad non peccandum gratiæ Dei adiutorium non esse homini necessarium , sed sola lege accepta humanam sufficere voluntatem) ab auribus omnium removendum , & ore omnium anathemandum esse non dubito.

CAPVT II.

*Ex libro de Natura & Gratia , ad
Timasium & Iacobum.*

SENTENTIA I.

CAP. I.

IUSTITIAM Dei , non in præcepto legis ; qua timor incutitur , sed in adiutorio gratiæ Christi , ad quam solam utiliter legis , velut prædagogi , timor ducit , constitutam esse qui intelligit , ipse intelligit quare sit Christianus. Nam si per legem iustitia , ergo Christus gratis mortuus est. Si autem non gratis mortuus est , in illo solo justificatur impius , cui credendi in eum qui justificat impium , deputatur fides ad iustitiam. Omnes enim peccaverunt , & egent gloria Dei , justificati gratis per sanguinem ipsius.

II. Natura hominis primitus inculcata, & sine ullo vitio creata est. Natura verò ista hominis, qua unusquisque ex Adam nascitur, jam medico indiget, quia sana non est. Omnia quidem bona, quæ habet in formatione, vita, sensibus, mente, à summo Deo habet creatore & artifice suo. Vitium verò, quod ista naturalia bona contenebrat & infirmat, ut inluminatio-
ne & curatione opus habeat, non ab inculpabili artifice contractum est, sed ex originali peccato, quod commissum est libero arbitrio; ac per hoc natura pœnalis ad vindictam justissimam pertinet.

III. Si enim jam sumus in Christo nova creatura, tamen eramus natura filij iræ, sicut & ceteri. Deus autem, qui dives est in misericordia, propter multam dilectionem, qua nos dilexit, & cum essemus mortui delictis, convi-
vificavit nos Christo, cujus gratia sumus salvi facti. Hæc igitur Christi gratia, sine qua nec infantes, nec ætate grandes, salvi fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur, propter quod gratia nominatur. *Iustificati*, inquit, *gratis per sanguinem ipsius*. Vnde hi qui per illum non liberantur, sive quia audire nondum potuerunt, sive quia obedire noluerunt, sive etiam, cum per ætatem audire non possent, lavacrum regenerationis, quod accipere possent, per quod salvi fierent, non acceperunt, justè utique damnantur, quia sine peccato non sunt, vel quod originaliter traxerunt, vel quod malis moribus addiderunt. Omnes enim peccaverunt, sive in Adam, sive in seipsis, & egent gloria Dei. Univerfa igitur massa pœnas debet;

CAP. III.

Ibid.

CAP. IV;

Rom. 1.

CAP. V.

& si omnibus debitum damnationis supplicium redderetur, non injustè proculdubio redderetur. Qui ergo inde per gratiam liberantur, non vasa meritorum suorum, sed vasa misericordiæ nominantur. Cujus misericordiæ, nisi illius, qui Christum Iesum misit in hunc mundum, peccatores salvos facere, quos præscivit & prædestinavit, & vocavit, & justificavit, & glorificavit? Quis igitur usque adeo dementissimè insaniat, ut non agat ineffabiles gratias misericordiæ quos voluit liberantis, qui rectè nullo modo posset culpæ justitiam universos omnino damnantis?

CAP. VI.

IV. Si secundùm Scripturas sapiamus, non cogimur contra Christianam gratiam disputare, & ea dicere, quibus demonstrare conemur, naturam humanam, neque in parvulis medico indigere, quia sana est, & in majoribus sibi ipsam ad justitiam, si velit, posse sufficere. Acutè quippe videntur hæc dici. sed in sapientia verbi, qua evacuatur crux Christi. nec est ista sapientia desursum descendens.

CAP. XII.

V. In scripturis novi testamenti discimus hanc esse intentionem legis arguentis, ut propter illa quæ perperam fiunt, confugiatur ad gratiam Domini miserantis, velut pædagogus concludente in eadem fide, quæ postea revelata est, ubi & remittunt quæ malè fiunt, & eadem gratia juvante non fiunt.

CAP. XV.

VI. Quantum est in homine linguæ malum, ut a nullo homine domari possit, cum ab hominibus domentur & bestia? Neque hoc ideo dixit Apostolus, ut hujus in nos mali dominationem per negligentiam permanere patiamur; sed.

sed ut ad domandam linguam divinæ gratiæ poscamus auxilium. Non enim ait, *Linguam nullus domare potest*, sed *nullus hominum*; ut cum domatur Dei misericordia; Dei adjutorio; Dei gratia fieri fateamur. Conetur ergo anima domare linguam, & dum conatur petat auxilium, & oret lingua ut dometur lingua, donante illo qui dixit ad suos: *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis*. Itaque præcepto facere commonemur, quòd conantes, & nostris viribus non valentes, adjutorium divinum precemur.

VII. *Si quis autem vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Postulet in fide nihil hesitans*. Hæc est fides, ad quam præcepta compellunt, ut lex imperet, fides impetret.

VIII. Oratio Dominica utrumque petendum esse commemorat, & ut dimittantur nobis debita nostra, & ut non inducamur in tentationem. Illud, ut præterita expientur; hoc, ut futura vitentur. Quod licet non fiat, nisi voluntas adsit, tamen ut fiat voluntas sola non sufficit. Ideo pro hac re nec superflua nec impudens Domino immolatur oratio. Nam quid stultius, quàm orare ne facias quod in potestate habeas?

IX. Prævaricatorem legis dignè lux deserit veritatis. qua desertus utique cæcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatúsque non surgat. Ut ideo tantùm audiat vocem legis, quo admoneatur implorare gratiam Salvatoris.

X. Molestiis exercitata vita justorum, splen-

didiùs enituit; & eas per patientiam superando, majorem gloriam comparavit. sed adjuta gratia Dei, adjuta spiritu Dei, adjuta misericordia Dei. non superba voluntate se extollens, sed humili confessione fortitudinem promerens. Noverat enim Deo dicere: *Quoniam tu es patientia mea.*

Psal. 70.

CAP. XXV.

XI. Utinam non fuisset miseria, ne ista esset misericordia necessaria. Sed iniquitatem peccati, tantò graviolem, quantò faciliùs homo non peccaret, quem nulla adhuc tenebat infirmitas, pœna justissima subsecuta est, ut mercedem mutuam peccati sui in semetipso reciperet, amittens sub se positam sui corporis quodammodo obedientiam, quam præcipuam sub domino suo ipse contempserat. Et quòd nunc cum eadem lege peccati nascimur, quæ in membris nostris repugnat legi mentis, neque adversus Deum murmurare, neque contra rem manifestissimam disputare, sed pro pœna illius misericordiam quærere & orare debemus.

CAP. XXVI.

XII. Sicut vulnere, verbi gratia, claudicans ideo curatur, ut sanato malo præterito, futurus dirigatur incessus; sic mala nostra non solùm ad hoc supernus medicus sanat, ut illa jam non sint, sed ut de cetero rectè ambulare possimus. Quod quidem etiam sani non nisi illo adjuvante poterimus.

Ibidem.

XIII. Medicus homo cùm sanaverit hominem, jam de cetero sustentandum elementis & alimentis corporalibus, ut eadem sanitas apto subsidio convalescat, atque persistat, Deo dimittit, qui præbet ista in carne viventibus, cujus erant etiam illa, quæ dum curaret adhibe-

bat. Non enim quemquam medicus ex his rebus quas ipse creaverit sanat, sed ex illius opibus qui creat omnia necessaria sanis atque vitiosis. Ipse autem Deus, cum per mediatorem Dei & hominum hominem Iesum Christum spiritalem sanat ægrum, vel vivificat mortuum, id est, justificat impium, & eum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam iustitiamque perduxerit, non deserit, si non deseratur, ut pie semper iustèque vivatur. Sicut enim oculus corporis, etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere; sic homo etiã perfectissimè justificatus, nisi æterna luce divinitus adjuvetur, rectè non potest vivere.

XIV. Propter voluntatem nostram, sine qua bene non possumus operari, citò potest subrepere animo humano, ut quod bene operatur, suum tantummodo existimet, & dicat in abundantia sua: *Non movebor in æternum*. Ideo qui in voluntate sua præstiterat decori ejus virtutem, avertit faciem suam paululùm, ut qui hoc dixerat fieret conturbatus. quoniam ipse est ille tumor sanandus doloribus. Non itaque dicitur homini, necesse est peccare, ne pecces: sed dicitur homini, deserit aliquantum Deus, unde superbis, ut scias non tuum sed ejus esse, & discas superbus non esse.

CAP. XXVII.

Psal. 39.

C. XLVIII.

XV. Vitium quo peccatum committitur, nondum omni ex parte sanatum est. Quod quidem ut inolesceret, de non rectè usa sanitate descendit. Ex quo vitio jam malè valens, vel infirmitate, vel cœcitate plura committit. Pro quo supplicandum est ut sanetur, ut deinceps in perpetua sanitate vivatur; non superbi-

CAP. XXX.

dum, quasi homo eadem potestate sanetur, qua potestate vitiatus est.

CAP. XXXI.

XVI. Ipsam superbiam, quæ in rectè factis animo insidiatur humano, non citò Deus sanat. Pro qua sananda illi piæ animæ cum lacrymis & magnis gemitibus supplicat: ut ad eam superandam, & quodammodo calcandam, & obtarendam, dexteram conantibus porrigat, cum extrema ejus umbra illo meridie quantum arbitrator absorbebitur. Qui meridies Scriptura dicente promittitur: *Et educet quasi lumen justitiam tuam, & judicium tuum sicut meridiem*, si fiat quod suprâ scriptum est: *Revela Domino viam tuam, & spera in eum, & ipse faciet.*

Psal. 36.

Ibid.

Ibidem.

XVII. Operamur & nos, sed Deo operante cooperamur: quia misericordia ejus prævenit nos. Prævenit autem ut sanemur, quia & subsequetur ut etiam sanati vegetemur. Prævenit ut vocemur, subsequetur ut glorificemur. Prævenit ut piè vivamus, subsequetur ut cum illo semper vivamus; quia sine illo nihil facere possumus. Vtrumque enim scriptum est, & *Deus meus, misericordia ejus præveniet me. & Misericordia tua subsequetur me per omnes dies vite mee.*

Psal. 58.

Psal. 22.

Ibidem.

XVIII. Revelemus ad Dominum viam nostram confessione, non defensione laudemus. Si enim non est ipse via sed nostra, proculdubio non est recta. Revelemus eam confitendo, quia non eum latet, etiamsi operire conemur. Bonum est autem confiteri Domino. Ita enim quod ei placet dabit nobis, si quod ei displicet in nobis, displiceat & nobis. *Avertet*, sicut scriptum est, *semitas nostras à via sua, & no-*

C. XXXII.

fram faciet esse quæ sua est : quoniam ab ipso præbetur credentibus in eum , & sperantibus in eum , ut ipse faciat.

XIX. Non debemus sic laudare creatorem , ut cogamur dicere , immo verè convincamur dicere superfluum salvatorem. Naturam itaque hominis dignis laudibus honoremus , eaque laudes ad creatoris gloriam referamus. Sed quia nos creavit , ita simus grati , ut non simus quia sanat ingrati. Vicia sanè nostra quæ sanat , non divino operi , sed humanæ voluntati , justæque illius vindictæ tribuamus. Sed ut in nostra potestate fuisse ne accederent confitemur , ita ut sanentur in illius magis esse misericordia , quàm in nostra potestate fateamur.

XX. Quorundam exempla , quos peccasse legimus , non ideo scripta dicunt qui sanum sapient ut ad desperationem non peccandi valeant , & securitatem peccandi nobis quodammodo præbere videantur ; sed ut disceremus , vel pœnitendi humilitatem , vel etiam in talibus lapsibus non desperandam salutem. Quidam enim in peccata prolapsi desperatione plus pereunt , nec solùm pœnitendi negligunt medicinam , sed ad explenda inhonesta & nefaria desideria servi libidinum & sceleratarum cupiditatum fiunt. quasi perdant , si non fecerint quod instigat libido , cùm eos jam maneat certa damnatio. Adversus hunc morbum , nimium periculosum & exitiabilem , valet commemoratio peccatorum , etiam in quæ justis sanctisque prolapsi sunt.

XXI. Non frustra etiam justos in oratione dicere , *Dimitte nobis debita nostra , sicut & nos*

Math. 6.

dimittimus debitoribus nostris, Dominumque Christum, cum eandem orationem docendo explicuisset, veracissimè subdidisse, *Si enim dimiseritis hominibus peccata, dimittet vobis pater vester peccata vestra*. Per hoc enim quotidianum spiritale quodammodo incensum, quod ante Deum in altare cordis, quod sursum habere admonemur, infertur, etiamsi non hinc vivatur sine peccato, licet mori sine peccato, dum subinde venia deletur, quod subinde ignorantia vel infirmitate committitur.

CAP.
XLIII.

XXII. Deus tam bonus quàm justus, talem hominem fecit, qui peccato carere sufficeret, sed si voluisset. Quis enim eum nescit sanum & inculpabilem factum, & libero arbitrio, atque ad justè vivendum potestate libera constitutum? Sed nunc de illo agitur, quem semivivum latrones in via reliquerunt. Qui gravibus faucibus confossusque vulneribus, non ita potest ad justitiæ culmen ascendere, sicut potuit inde descendere. qui etiamsi jam in stabulo est, adhuc curatur. Non igitur Deus impossibilia jubet; sed jubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis.

CAP.
XLIV.

2. Cor. 4.

XXIII. Ea fides justos sanavit antiquos, quæ sanat & nos, id est, mediatoris Dei & hominum hominis Christi Iesu. Fides sanguinis ejus, fides mortis ejus, & resurrectionis ejus. *Habentes ergo eundem spiritum fidei & nos credimus, propter quod & loquimur.*

CAP. LV.

XXIV. Dimitte hominem, clamet quod clamabat. Non enim tantum desiderat, ut per indulgentiam sit de præteritis impunitus, sed

etiam ut sit de cetero ad non peccandum fortis & validus. Condelectatur enim legi Dei secundum interiorem hominem. Videt autem aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ. Videt esse, non recolit fuisse. præsentibus urgetur, non præterita reminiscitur. Nec tantum repugnantem videt, verum etiam captivantem se in lege peccati, quæ est in membris ejus, non quæ fuit. Hinc est quod clamat: *Rom. vi*
Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Sinatur orare, sinatur adjutorium medici potentissimi flagitare. quid contradicitur? quid obstrepitur? quid miser misericordiam Christi petere prohibetur?

XXV. Adjutorium postulamus dicentes: *CAB. LXVII.*
Ne nos inferas in tentationem. Quod adjutorium non posceremus, si resisti nullo modo posse crederemus. Potest peccatum caveri, sed opitulante illo qui non potest falli. Nam & hoc ipsum ad cavendum peccatum pertinet, si veraciter dicimus: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Duobus enim modis etiam in corpore cavetur morbi malum. ut non accidat, & ut si acciderit, citò sanetur. Ut non accidat caveamus dicendo, *Ne nos inferas in tentationem*: ut citò sanetur, caveamus dicendo, *Dimitte nobis debita nostra.*

XXVI. Rectè enim fortasse quererentur *Ibidem.*
 homines, si erroris & libidinis nullus hominum victor existeret. Cùm verò ubique sit præsens qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non

tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras; neque illud quòd vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis.

CAP.
LXIX.


v. Iuan. 5.

XXVII. Valde bona sunt præcepta, si legitime his utamur. Eo quippe ipso, quo firmissimè creditur, Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admone-mur, & in facilibus quid agamus, & in difficili-bus quid petamus. Omnia quippe fiunt facilia caritati, cui uni Christi sarcina levis est, aut ea una est sarcina ipsa quæ levis est. Secundum hoc dictum est, *Et præcepta eius gravia non sunt*; ut cui gravia sunt, consideret non potuisse di-vinitus dici, *gravia non sunt*, nisi quia potest esse cordis affectus cui gravia non sint, & petat quo destituitur, ut impleat quod jubetur.

I, idem:
Psal. 116.

CAP.
LXX.

XXVIII. Quomodo dicitur, *Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras*, nisi quia utrumque verum est? Duræ timori sunt, leves amori. Caritas ergo inchoata, inchoata justitia est; caritas provecta, provecta justitia est; caritas magna, magna justitia est; caritas perfecta, perfecta justitia est. Sed caritas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, quæ tunc maxima est in hac vita, quando pro illa ipsa contemnitur vita.



CAPVT III.

Ex epistolis & libro de Gratia & libero arbitrio, ad Valentinum monachum.

SENTENTIA I.

PRIMO Dominus IESVS, sicut scriptum EPIST. I.
 est in Evangelio Ioannis Apostoli, non ve-
 nit ut iudicaret mundum, sed ut saluaretur mun- Ioan. 3.
 dus per ipsum. Postea verò, sicut scribit Paulus
 Apostolus, iudicabit Deus mundum, quando 2i Tim. 4i
 venturus est, sicut tota Ecclesia in symbolo
 confitetur, iudicare vivos & mortuos. Si ergo
 Dei gratia non est, quomodo saluat mundum?
 & si non est liberum arbitrium, quomodo iudi-
 cat mundum?

II. Soli parvuli, qui nondum habent opera EPIST. II.
 propria, vel bona, vel mala, secundum solum
 originale peccatum damnabuntur, quibus per
 lavacrum regenerationis non subvenit gratia
 salvatoris. Ceteri autem omnes, qui jam uten-
 tes libero arbitrio, sua propria peccata origina-
 li peccato insuper addiderunt, si de potestate
 tenebrarum per gratiam Dei non eruuntur,
 nec transferuntur ad regnum Christi, non so-
 lum secundum originis, verum etiam secun-
 dum propriæ voluntatis merita, iudicium re-
 portabunt. Boni verò etiam ipsi quidem secun-
 dum bonæ voluntatis suæ merita præmium
 consequentur, sed etiam ipsam bonam volun-

Rom. 1. tatem per Dei gratiam consecuti sunt. Ac sic implebitur quod scriptum est: *ira & indignatio, tribulatio & angustia, in omnem animam hominis operantis malum, Iudaei primum & Græci.*

Ibidem.

III. Fides sanè catholica neque liberum arbitrium negat, sive in vitam malam, sive in bonam; neque tantum ei tribuit, ut sine Dei gratia valeat aliquid, sive ut ex malo convertatur in bonum, sive ut in bono perseveranter proficiat, sive ut ad bonum sempiternum perveniat, ubi jam non timeat ne deficiat.

Ibidem.

Hebr. 12.

IV. Sic intellige quod tibi præceptum est, *Rectos cursus fac pedibus tuis, & vias tuas dirige*, ut noveris, cum hoc facis, à Domino Deo tibi præstari ut hoc facias, & non declinabis ad dexteram, quamvis ambules in viis dextris, non confidens in virtute tua, & ipse erit virtus tua, qui rectos faciet cursus tuos, & itinera tua in pace producet. Quapropter quicumque dicit, *Voluntas mea mihi sufficit ad facienda opera bona*, declinat in dexteram. Sed rursus illi qui putant bonam vitam esse deserendam, quando audiunt sic Dei gratiam prædicari, ut credatur & intelligatur voluntates hominum ipsa ex malis bonas facere, ipsa etiam quas fecerit custodire, in sinistram declinant.

EX LIBRO DE GRATIA,

¶ Libero arbitrio.

CAP. II.

V. Solet dicere humana superbia, *Si scissem, fecissem. ideo non feci, quia nescivi. aut, Si scirem, facerem. ideo non facio, quia nescio.* Hæc

eis excusatio tollitur, quando præceptum datur, vel scientia non peccandi manifestatur, Sed sunt homines, qui etiam de ipso Deo se excusare conantur, Quibus dicit Apostolus Iacobus: *Nemo cum tentatur, dicat quoniam à Deo tentor. Deus enim intentator malorum est. Ipse autem neminem tentat. unusquisque verò tentatur à concupiscentia sua abstractus & intellectus. Dein concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem.* Item de ipso Deo se excusare volentibus respondit liber Proverbiorum Salomonis: *Insipientia viri violat vias ejus. Deum autem causatur in corde suo.* Et liber Ecclesiasticus dicit: *Ne dixeris quia propter Dominum recessi. quia enim odit ne facias, Ne dixeris quia ipse me induxit. Non enim opus habet viro peccatore. Omne execrumentum odit Dominus, & non est amabile timentibus illum. Ipse ab initio fecit illum, & relinquit illum in manu consilij sui. Si volueris, servabis mandata, & fidem bonam placiti.*

VI. Nemo Deum causetur in corde suo, sed sibi imputet quisque cum peccat, neque cum aliquid secundum Deum operatur, alienet hoc à propria voluntate, Quando enim volens facit, tunc dicendum est opus bonum, tunc speranda est boni operis merces ab eo, de quo dictum est, *Qui reddet unicuique juxta opera sua.*

VII. Gravius peccare hominem scientem, quam nescientem. Nec tamen ideo confugiendum est ad ignorantiam tenebras ut in eis quisque requirat excusationem. Aliud est enim ne-

Psal. 35.

scivisse, aliud scire noluisse. Voluntas quippe arguitur in eo de quo dicitur: *Noluit intelligere ut bene ageret.* Sed & illa ignorantia, quæ non est eorum qui scire nolunt, sed eorum qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino quid crederet, sed fortasse ut mitius ardeat. Non enim sine causa dictum est: *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt.* & illud quod ait Apostolus: *Cùm venerit in flamma ignis dare vindictam in eos qui ignorant Deum.*

Psal. 78.

2. Thess. 2.

CAP. IV.

VIII. Metuendum est ne divina testimonia in defensione liberi arbitrij sic intelligantur, ut ad vitam piam & bonam conversationem, cui merces æterna debetur, adjutorio & gratiæ Dei locus non relinquatur. ut audeat miser homo, quando bene vivit & bene operatur, vel potius bene vivere & bene operari sibi videtur, in seipso non in Domino gloriari, & spem rectè vendi in seipso ponere. ut sequatur eum maledictum Hieremiæ Prophetæ dicentis: *Maledictus homo qui spem habet in homine, & firmat carnem brachij sui, & à Domino discedit cor ejus.* Quia enim non dixit Propheta, *Maledictus homo qui spem habet in seipso*, posset alicui videri, ideo dictum esse, *Maledictus homo qui spem habet in homine*, ut nemo habeat spem in altero homine, sed in se. Ut ergo ostenderet, sic se admonuisse hominem, ut nec in seipso haberet spem, propterea cùm dixisset, *Maledictus homo qui spem habet in homine*, mox addidit, & *firmat carnem brachij sui.* Brachium pro potentia posuit operandi, in nomine autem carnis

Hier. 17.

intelligenda est humana fragilitas. Ac per hoc firmat carnem brachij sui, qui potentiam fragilem atque invalidam, id est, humanam, sufficere sibi ad bene operandum putat, nec adiutorium sperat à Domino. Propter hoc enim subjecit, & à Domino discedit cor ejus. Nos ergo ad bene operandum spem non habeamus in homine, firmantes carnem brachij nostri; nec à Domino discedat cor nostrum, sed ei dicat: *Adjutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.* Psal. 26.

IX. *Gratias autem Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum.* Ergo & victoria, qua peccatum vincitur, nihil est aliud quàm Dei donum, in isto certamine adjuvantis liberum arbitrium. Ibidem.
1. Cor. 15.

X. Dicit cœlestis magister: *Vigilate, & orate ne intretis in tentationem.* Ergo unusquisque contra suam concupiscentiam dimicans, oret ne intret in tentationem, id est, ne sit ab illa abstractus & inlectus. Non autem intrat in tentationem, si voluntate bona vincat concupiscentiam malam. Nec tamen sufficit arbitrium voluntatis humanæ, nisi à Domino victoria concedatur oranti ne intret in tentationem. Quid verò evidentiùs, quàm Dei ostenditur gratia, ubi quod oratur accipitur? Si enim dixisset salvator noster, *Vigilate ne intretis in tentationem*, admonuisse tantummodo videretur. Cùm verò addidit & *orate*, ostenditur Deum adjuvare ne intretur in tentationem. Ibidem:
Math. 24.

XI. Nisi Dei donum esset etiam ipsa ad Deum nostra conversio, non ei diceretur: *Deus virtutum converte nos. & Deus tu convergens vi-* CAP. V.
Psal. 79.
Psal. 84.

Psal. 84:

vificabis nos. & : *Converte nos Deus sanitatum nostrarum.* & hujusmodi alia, quæ commemorare longum est. Nam & venire ad Christum, quid est aliud, nisi ad eum credendo converti?

Iban. 6.

& tamen ait: *Nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit à Patre meo.*

CAP. VI.

XII. Probatur gratia Dei non secundùm merita nostra dari, quandoquidem non solùm nullis bonis, verùm etiam multis meritis malis præcedentibus videmus datam, & quotidie videmus dari. Sed planè cùm data fuerit, incipiunt esse etiam merita nostra bona. per illam tamen. Nam si se illa subtraxerit, cadit homo, non erectus, sed præcipitatus libero arbitrio. Quapropter nec quando cæperit homo habere merita bona, sibi debet tribuere illa, sed Deo, cui dicitur: *Adjutor meus esto, ne derelinquas me.*

Psal. 26.

Ibidem.

XIII. Necessarium est hominì, ut gratia Dei non solùm justificetur impius, id est, ex impio fiat justus, cùm redduntur ei bona pro malis; sed etiam, cùm fuerit jam justificatus ex fide, ambulet cum illo gratia, & incumbat super ipsam ne cadat. Propter hoc scriptum est in Cantico canticorum de ipsa Ecclesia: *Qua est ista qua ascendit dealbata, incumbens super fratruèlem suum?* Dealbata est enim, quæ per se ipsam alba esse non posset. Et à quo dealbata est, nisi ab illo qui per Prophetam dicit: *Si fuerint peccata vestra ut phanicium, sicut nivem dealbabo.* Quando ergo dealbata est, nihil boni merebatur. Iam verò alba facta, bene ambulat. sed si super eum, à quo dealbata est, perseveranter incumbat. Propter quod & ipse I E S V S,

Cant. 8.

Esa. 1.

super quem incumbit dealbata, dixit discipulis suis: *Sine me nihil potestis facere.*

Ioan. 15.

XIV. Dona sua coronat Deus, non merita tua, si tibi à teipso, non ab illo, sunt merita tua.

Ibidem.

Hæc enim si talia sunt, mala sunt, quæ non coronat Deus. si autem bona sunt, Dei dona sunt: quia sicut dicit Apostolus Iacobus: *Omne*

Iac. 1.

datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à patre luminum. Unde dicit & Ioannes præcursor Domini nostri: *Non*

Ioan. 3.

potest homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum de cælo. Vtique de cælo, unde etiam venit spiritus, quando Iesus ascendit in altum, captivavit captivitatem, dedit dona hominibus.

XV. Vita bona nostra nihil est aliud quam Dei gratia. Sine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est. Et ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illa cui datur. Sed illa cui datur, tantummodo gratia est. Hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium ejus est, gratia est pro gratia, tanquam merces pro justitia.

CAP. VIII.

XVI. Quando spiritu actiones carnis mortificatis ut vivatis, illum glorificate, illum laudate, illi gratias agite, cujus spiritu agimini, ut ista valeatis, & vos filios Dei esse monstretis. Quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filij sunt Dei. Quotquot ergo adjuncto solo adjutorio legis, sine adjutorio gratiæ, confidentes in virtute sua, suo spiritu aguntur, non sunt filij Dei.

CAP. XI.

XVII. Neque scientia divinæ legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum, est illa gratia quæ per Iesum Christum Dominum no-

CAP. XII.

XVIII. Neque scientia divinæ legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum, est illa gratia quæ per Iesum Christum Dominum no-

CAP. XIV.

strum datur : sed ipsa facit ut lex impleatur , & natura liberetur , ne peccatum dominetur.

Ibidem

XVIII. Quod lex jubet facere non valeamus , nisi per fidem rogando impetremus ut facere valeamus. Nam si fides liberi est tantummodo arbitrij , nec datur à Deo , propter quid pro eis qui nolunt credere , oramus ut credant ? Quod prorsùs faceremus inaniter , nisi rectissimè crederemus , etiam perverfas , & fidei contrarias voluntates , omnipotentem Deum ad credendum posse convertere.

CAP. XV.
Psal. 84.

Ezech. 18.

Ezech. 36.

XIX. Meminerimus Deum dicere : *Convertimini , & vivetis.* cui dicitur : *Converte nos Deus.* Meminerimus Deum dicere : *Projicite à vobis omnes impietates vestras ;* cùm ipse justificet impium. Meminerimus ipsum dicere : *Facite vobis cor novum & spiritum novum.* qui dicit : *Dabo vobis cor novum , & Spiritum novum dabo vobis.* Quomodo ergo quod dicit : *Facite vobis* , hoc dicit *Dabo vobis* ? Quare jubet , si ipse daturus est ? Quare dat , si homo facturus est ? nisi quia dat quod jubet , cùm adjuvat ut faciat cui jubet.

Ibidem.

XX. Semper est in nobis voluntas libera , sed non semper est bona. Aut enim à justitia libera est quando servit peccato , & tunc est mala : aut à peccato libera est quando servit justitiæ , & tunc est bona. Gratià verò Dei semper est bona , & per hanc fit ut sit homo voluntatis bonæ , qui priùs fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit , ut ipsa bona voluntas , quæ jam esse cœpit , augeatur , & tam magna fiat , ut possit implere divina mandata quæ voluerit , cùm valde perfectèque voluerit. Ad hoc enim valet quod

quod scriptum est : *Si volueris , conservabis* Eccli. 15.
mandata , ut homo qui voluerit & non potue-
 rit , nondum se planè velle cognoscat , & oret
 ut habeat tantam voluntatem , quanta sufficit
 ad implenda mandata. Sic quippe adjuvatur ,
 ut faciat quod jubetur.

XXI. Non juberet Deus quod sciret non CAP. XVI.
 posse ab homine fieri. quis hoc nesciat ? Sed
 ideo jubet aliqua quæ non possumus , ut nove-
 rimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa est
 enim fides , quæ orando impetrat quod lex im-
 perat.

XXII. Certum est nos mandata servare , si Ibidem.
 volumus. Sed quia præparatur voluntas à Do-
 mino , ab illo petendum est ut tantum velimus ,
 quantum sufficit ut volendo faciamus. Certum
 est nos velle cùm volumus. Sed ille facit ut ve-
 limus bonum , de quo dictum est quod paulò
 antè posui , quòd præparatur voluntas à Do-
 mino. de quo dictum est : *A Domino gressus* Psal. 36.
hominis dirigentur , & viam ejus volet. de quo di-
 ctum est : *Deus qui operatur in vobis & velle.* Psal. 2.
 Certum est nos facere cùm facimus. Sed ille
 facit ut faciamus , præbendo vires efficacissimas
 voluntati , qui dixit : *Faciam ut in justificationi-* Ezech. 36.
bus meis ambuletis , & judicia mea observetis &
faciatis. Cùm dicit , *Faciam ut faciatis* , quid
 aliud dicit , nisi , Auferam à vobis cor lapideum
 unde non faciebatis , & dabo cor carneum unde
 faciatis ? Et hoc quid est , nisi , Auferam cor du-
 rum unde non faciebatis , & dabo cor obediens
 unde faciatis ? Ille facit ut faciamus , cui dicit
 homo : *Pone Domine custodiam ori meo.* Hoc Psal. 142.
 est enim dicere , *Fac ut ponam custodiam ori*

meo. Quod beneficium Dei jam fuerat consecutus qui dixit: *Posui ori meo custodiam.*

Ps. lxxviii.

CAP. XVII.

XXIII. Omnipotens Deus cooperando perficit quod operando incipit. quoniam ipse ut velimus operatur incipiens, quo volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus: *Certus sum quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi* IESU. Ut ergo velimus, sine nobis operatur: cum autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur. Tamen sine illo, vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.

Philipp. i.

C. XVI.

i. Ioan. 4.

XXIV. Cur dictum est, *Diligamus invicem, quia dilectio ex Deo est*, nisi quia præcepto admonitum est liberum arbitrium ut quæreret Dei donum? Quod quidem sine suo fructu prorsus admoneretur, nisi prius acciperet aliquid dilectionis, ut addi sibi quæreret unde quod jubebatur impleret. cum dicitur, *Diligamus invicem*, lex est: cum dicitur, *quia dilectio ex Deo est*, gratia est. Sapientia quippe Dei legem & misericordiam in lingua portat. Vnde scriptum est in psalmo: *Etenim benedictionem dabit qui legem dedit.*

Ps. lxxviii.

CAP. XXI.

XXV. Quid est amentius, & ab ipsa sanctitate caritatis alienius, quam confiteri ex Deo esse scientiam, quæ sine caritate inflat, & ex nobis esse caritatem, quæ facit ut scientia inflare non possit? Item cum dicit Apostolus, *Supereminentem scientia caritatem Christi*, quid est insanius, quam putare ex Deo esse scientiam, quæ subdenda est caritati, & ex hominibus caritatem, quæ supereminet scientiæ? Fides au-

Ephes. i.

tem vera & doctrina sana, ambas esse dicit ex Deo. quia scriptum est: *A facie ejus scientia & intellectus procedit.* & scriptum est: *Caritas autem ex Deo est.* & legimus spiritum scientiæ & pietatis, legimus spiritum virtutis & caritatis, & continentię. Sed majus est donum caritatis, quàm scientiæ. Nam scientia quando est in homine, caritas est necessaria, ne inflatur. Caritas autem non æmulatur, non agit perperam; non inflatur.

XXVI. Gratia Dei voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam; & cùm bona fuerit, adjuvatur. CAP. XX.

XXVII. Fixum debet esse & immobile in corde vestro, quia non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc, quod legitis in litteris veritatis, à Deo seduci homines, aut obtundi, vel obdurari corda eorum, nolite dubitare, præcessisse mala merita eorum, ut justè ista paterentur: ne incurramus in illud proverbium Salomonis: *Insipientia viri violat vias ejus; Deum autem causatur in corde suo.* CAP. XXI.

XXVIII. Gratia non secundùm merita hominum datur. alioquin gratia jam non est gratia: quia ideo gratia vocatur, quia gratis datur. *Ibidem.*

XXIX. Lex autem subintravit, ut abundaret delictum. ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia. Sed utique gratia id agitur, ut jam fiant bona ab eis qui fecerant mala, non ut perseverent in malis, & reddi sibi existiment bona. Non itaque debent dicere: *Faciamus mala ut veniant bona;* sed: *Fecimus mala & venerunt bona: jam faciamus bona, ut in*

CAPVT IV.

*Ex Libro de Correptione & Gratia, ad
præfatum Valentinum.*

SENTENTIA I.

DOMINVS non solum ostendit nobis à CAS. I.
quo malo declinemus, & quod bonum
faciamus, quod solum potest legis littera; ve-
rùm etiam adjuvat nos, ut declinemus à ma-
lo, & faciamus bonum, quod nullus potest
sine spiritu gratiæ. Quæ si desit, ad hoc lex
adest, ut reos faciat, & occidat. Propter quod
dicit Apostolus: *Littera occidit spiritus autem
vivificat.* Qui ergo legitimè lege utitur, discit
in ea bonum & malum; & non confidens in
virtute sua, confugit ad Dei gratiam, qua præ-
stante declinet à malo, & faciat bonum. Quis
autem confugit ad gratiam, nisi cum à Domi-
no gressus hominis diriguntur, & viam ejus
volet? ac per hoc & desiderare auxilium gra-
tiæ, initium gratiæ est, de quo ait ille: *Et di-*
xi, nunc cœpi. hæc est mutatio dextera excelsi. Psal. 76.

II. Liberum arbitrium & ad malum & ad Ibidem.
bonum faciendum constitendum est nos habe-
re. Sed in malo faciendo liber est quisque ju-
stitiæ, servusque peccati; in bono autem liber
esse nullus potest, nisi fuerit liberatus ab eo qui
dixit: *Si vos filius liberaveris, tunc verè liberi*
eritis. Nec ita ut cum quisque fuerit à peccati Ioan. 7.

dominatione liberatus, jam non indigeat sui liberatoris auxilio; sed ita potiùs, ut ab illo audiens, *Sine me nihil potestis facere*, dicat ei & ipse, *Adjutor meus esto, ne derelinquas me, & cetera.*

Ioan. 15.

Psal. 16.

CAP. II.

III. Non se fallant qui dicunt, Vt quid nobis prædicatur atque præcipitur ut declinemus à malo & faciamus bonum, si hoc nos non agimus, sed id velle & operari Deus operatur in nobis? Sed potiùs intelligant, si filij Dei sunt, spiritu Dei se agi, ut quod agendum est agant; & cùm egerint, illi à quo aguntur gratias agant. Aguntur enim ut agant; non ut ipsi nihil agant. & ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, ut quando id agunt sicut agendum est, id est, cum dilectione & delectatione justitiæ; suavitatem quam dedit Dominus, ut terra ejus daret fructum suum, accepisse se gaudeant; quando autem non agunt, sive omnino non faciendo, sive non ex caritate faciendo, orent ut quod nondum habent accipiant. Quid enim habebunt quod non accepturi sunt, aut quid habent, quod non acceperunt?

CAP. III.

IV. Doctores Ecclesiarum Apostoli omnia faciebant & præcipiebant quæ fierent, & corripiebant si non fierent, & orabant ut fierent. Præcepit Apostolus dicens: *Omnia vestra in caritate fiant.* Corripit dicens: *Iam quidem omnino delictum est in vobis, quia iudicia habetis vobiscum. Quare enim non magis iniquitatem patimini? quare non potiùs fraudamini? Sed vos iniquitatem facitis, & fraudatis, & hoc fratres. An nescitis quia iniusti regnum Dei non possidebunt?* Audiamus & orantem; *Vos autem, in*

1. Cor. 16.

1. Cor. 6.

1. Theff. 1.

quit, *Dominus multiplicet, ut abundare faciat in caritate in invicem, & in omnes.* Præcipit ut habeatur caritas, corripit quia non habetur caritas, orat ut abundet caritas. O homo, in præceptione cognosce quid debeas habere. in correptione cognosce tuo te vitio non habere. in oratione cognosce unde accipias quod vis habere.

V. Quod vult pro se fieri qui corripitur non vult, & dicit, Ora potius pro me, ideo corripiendus est, ut faciat etiam ipse pro se. Dolor quippe ille, quo sibi displicet quando sentit correptionis aculeum, excitat eum in majoris orationis affectum, ut Deo miserante incremento caritatis adjutus, desinat agere pudencia & dolenda, & agat laudanda atque gratanda. CAP. V.

VI. Correptionis utilitas, quæ nunc major, *Ibidem.* tunc minor, pro peccatorum diversitate salubriter adhibetur, tunc est salubris, quando super-nus medicus respicit. Non enim aliquid proficit, nisi cum fecit ut peccati sui quemque pœniteat. Et quis hoc dat, nisi qui respexit Apostolum Petrum negantem, & fecit flentem?

VII. Potest Deus quem vult etiam nullo homine corripiente corrigere, & ad dolorem salubrem pœnitentiæ occultissima & potentissima medicinæ suæ potestate perducere. Et sicut non est ab oratione cessandum pro eis quos corrigi volumus, etiamsi nullo hominum orante pro Petro, Dominus respexit eum, & fecit eum suum flere peccatum; ita non est negligenda correptio, quamvis Deus quos voluerit, etiam non correptos, faciat esse correctos.

vocati sunt. Propositum autem, non suum, sed Dei, de quo alibi dicit: *Vt secundum electionem* Rom. 9.
propositum Dei maneret, non ex operibus sed ex
vocante dictum est ei, quia major serviet mino-
ri. & alibi: *Non secundum opera nostra, sed se-* 2. Tim. 1.
cundum propositum suum & gratiam.

XI. Multi vocati, pauci electi. Quicumque ibid.
 enim electi, sine dubio etiam vocati; non au-
 tem quicumque vocati, consequenter electi. Il-
 li ergo electi, ut sæpe dictum est, qui secun-
 dum propositum vocati, qui etiam sunt præde-
 stinati atque præsciti.

XII. Si nos de Scripturis sanctis nosse po- CAP. XII.
 tuimus sanctos angelos jam nullos esse casuros,
 quanto magis hoc ipsi revelata sibi sublimius
 veritate noverunt? Nobis quippe beata sine fi-
 ne vita promissa est, & æqualitas angelorum.
 Ex qua promissione certi sumus, cum ad illam
 vitam post judicium venerimus, non inde nos
 esse lapsuros. Quod si de seipsis angeli nesciunt,
 non æquales sed beatiores erimus. Veritas au-
 tem nobis eorum promisit æqualitatem. Cer-
 tum est igitur hoc eos nosse per speciem, quod
 nos per fidem, nullam scilicet ruinam cujus-
 quam sancti angeli jam futuram.

XIII. Dei unigenitus filius, æqualis patri CAP. XI.
 & coæternus, pro nobis homo factus, & sine
 ullo vel originali, vel proprio peccato, ab ho-
 minibus peccatoribus crucifixus. Qui quamvis
 die tertio resurrexit nunquam moriturus ulte-
 rius, pertulit tamen pro mortalibus mortem,
 qui mortuis præstitit vitam, ut redempti ejus
 sanguine, tanto ac tali pignore accepto dicerent:
Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui proprio si- Rom. 8.

lio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum; quomodo non & cum illo omnia nobis donavit?

Ibidem.

XIV. Deus naturam nostram, id est, animam rationalem, carnemque hominis Christus suscepit, susceptione singulariter mirabili, vel mirabiliter singulari, ut nullis justitiæ suæ præcedentibus meritis, filius Dei sic esset ab initio quo esse homo cœpisset, ut ipse & Verbum, quod sine initio est, una persona esset. Neque enim quisquam tanta rei hujus & fidei cœcus est ignorantia, ut audeat dicere, quamvis de Spiritu sancto & virgine Maria filium hominis natum, per liberum tamen arbitrium bene vivendo, & sine peccato bona opera faciendo meruisse ut esset Dei filius, resistente Evangelio atque dicente: *Verbum caro factum est.* Nam ubi hoc factum est, nisi in utero virginali, unde fuit initium hominis Christi? Itémque Virgini requirenti quomodo fieret quod ei per angelum annuntiabatur, angelus respondit: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Propterea quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.* Propterea, inquit, non propter opera, quæ nondum nati utique nulla sunt, sed propterea quia Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Ista nativitas profectò gratuita conjunxit in unitatem personæ hominem Deo, carnem Verbo. Istam nativitatem bona opera secuta sunt, non bona opera meruerunt. Neque enim metuendum erat, ne isto ineffabili modo in unitatem personæ à Verbo Deo natu-

Joan. 1.

Luc. 1.

ra humana suscepta , per liberum voluntatis peccaret arbitrium , cùm ipsa susceptio talis esset , ut natura hominis à Deo ita suscepti , nulum in se motum malæ voluntatis admitteret. Per hunc mediatorem Deus ostendit , eos quos ejus sanguine redimit facere se ex malis deinceps in æternum bonos. Quem sic suscepit , ut nunquam esset malus , nec ex malo factus semper esset bonus.

XV. Nec ipsum Deus esse voluit sine sua gratia , quem reliquit in ejus libero arbitrio. quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit , ad bonum autem parum est , nisi adjuvetur ab omnipotentì bono. Quod adjutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium , semper esset bonus. Hæc est prima gratia , quæ data est primo Adam : sed hac potentior est in secundo Adam. Prima est enim , qua fit ut habeat homo justitiam , si velit. Secunda ergo plus potest , qua etiam fit ut velit , & tantum velit , tantòque ardore diligat , ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat. Nec illa quidem parva erat , quæ demonstrata est etiam potentia liberi arbitrij. quoniam sic adjuvabatur , ut sine hoc adjutorio in bono non maneret , sed hoc adjutorium , si vellet , desereret. Hæc autem tantò major est , ut parum sit homini per illam reparare perditam libertatem , parum sit denique non posse sine illa vel apprehendere bonum , vel permanere in bono , si velit , nisi etiam efficiatur ut velit. Tunc ergo dederat Deus homini bonam voluntatem. in illa quippe eum fecerat qui fecerat rectum. dederat adjutorium , sine

quo in ea non posset permanere si vellet, ut autem vellet in ejus libero reliquit arbitrio. Sed quia noluit permanere, profectò ejus est culpa. Cujus meritum fuisset si permanere voluisset; sicut fecerunt angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & hujus mansionis debitam mercedem recipere meruerunt. tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit semper se in illa esse mansuros. Si autem hoc adjutorium vel angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent. Adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est: quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum. & tantò ampliùs datur per Iesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, ut non solùm adsit, sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus, verùm etiam tantum ac tale sit ut velimus. Fit quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo & perseveranter tenendo, non solùm posse quod volumus, verùm etiam velle quod possumus.

CAP. XII.

XVI. Prima libertas voluntatis erat, posse non peccare: novissima erit multò major, non posse peccare. Prima immortalitas erat, posse non mori: novissima erit multò major, non posse mori. Prima erat perseverantiæ potestas, bonum posse non deserere: novissima erit perseverantiæ felicitas, bonum non posse

deferere. Numquid quia erunt bona novissima potiora atque meliora, ideo fuerunt illa prima vel nulla vel parva?

XVII. Cùm homines per correptionem in CAP. XIV. viam iustitiæ seu veniunt, seu revertuntur, quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille qui quolibet plantante & rigante, & quolibet in agris vel arbusculis operante, dat incrementum Deus?

XVIII. Nec gratia prohibet correptionem, CAP. XVI. nec correptio negat gratiam. Et ideo sic est præcipienda iustitia, ut à Deo gratia, qua id quod præcipitur fiat, fideli oratione poscatur; & hoc utrumque ita faciendum est, ut neque iusta correptio negligatur. Omnia verò hæc cum caritate fiant, quoniam caritas nec facit peccatum, & cooperit multitudinem peccatorum.

XIX. Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum. Si quid autem habet homo veritatis atque iustitiæ, ab illo fonte est quem debemus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam inrorati non deficiamus in via.

CAPVT V.

*Ex sermone * LI. expositionis Evangelij * LIII.
secundùm Ioannem.*

SENTENTIA I.

DOMINVM præscium futurorum per CAP. B. Prophetam prædixisse infidelitatem Iudæorum; prædixisse tamen, non fecisse. Non

corditer facit; sive quando non aduvat, justè facit: quia omnia non temeritate, sed judicio facit.

III. Si iudicia sanctorum justa sunt, quanto magis justificantis & sanctificantis Dei? Iusta ergo sunt, sed occulta. Ideo cum quæstiones hujusmodi in medium venerint, quare alius sic, alius autem sic, quare ille Deo deserente excœctetur, ille Deo adjuvante illuminetur, non nobis iudicium de iudicio tanti iudicis usurpemus. sed contremiscentes exclamemus cum Apostolo: *O altitudo divitiarum sapientie & scientie Dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Unde dictum & in psalmo: *Iudicia tua sicut abyssus multa.* Rom. 11.
Psal. 35.

IV. Audiamus admonentem Scripturam atque dicentem: *Altiorate ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.* Non quia ista negata sunt nobis, cum Deus magister dicat, *Nihil est occultum quod non reveletur.* Sed si in quod pervenimus in eo ambulemus, sicut dicit Apostolus, non solum quod nescimus & scire debemus, sed etiam si quid aliter sapimus, id quoque nobis Deus revelavit. Pervenimus autem in viam fidei. hanc perseverantissimè teneamus. Ipsa perducit ad cubiculum Regis, in quo omnes sunt thesauri sapientie & scientie absconditi. Ambulandum est, proficiendum est, crescendo est, ut sint corda nostra capacia earum rerum quas capere modò non possumus. Quòd si nos ultimus dies proficientes invenerit, ibi discimus quod hîc non potuimus.

V. Ne audeat quisquam liberum arbitrium sic defendere, ut nobis orationem qua dicimus,

Ne nos inferas in tentationem, conetur auferre. Rursus ne quisquam neget voluntatis arbitrium, & audeat excusare peccatum. Sed audiamus Dominum, & præcipientem, & opitulantem, & jubentem quid facere debeamus, & adjuvantem ut implere possimus.

V I. Quosdam nimia suæ voluntatis fiducia extulit in superbiam, & quosdam nimia suæ voluntatis diffidentia dejecit in negligentiam. Illi dicunt, Vt quid rogamus Deum ne vincamur tentatione, quod in nostra est potestate? isti dicunt, Vt quid conamur bene vivere, quod in Dei est potestate? O Domine, ô pater qui es in cœlis, ne nos inferas in quamlibet istarum tentationum, sed libera nos à malo. Audiamus Dominum dicentem: *Rogavi pro te Petre, ne deficiat fides tua.* ne sic existimemus fidem nostram esse in libero arbitrio, ut divino non egeat adiutorio. Audiamus & Evangelistam dicentem: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* ne omnino existimemus in nostra potestate non esse quod credimus. Veruntamen in utroque illius beneficia cognoscamus. Nam & agendæ sunt gratiæ, quia data est potestas; & orandum, ne succumbat infirmitas. Ipsa est fides, quæ per dilectionem operatur, sicut ejus mensuram Dominus cuique partitus est, ut qui gloriatur, non in seipso, sed in Domino glorietur.

V II. Quotquot tam superbè sapiunt, ut suæ voluntatis viribus tantum existiment esse tribuendum, ut negent sibi necessarium divinum adiutorium ad bene vivendum, non possunt credere in Christum. Non enim aliquid profunt syllabæ nominis Christi, & sacramenta
Christi,

Luc. 22.

1040. 3.

Christi, ubi resistitur fidei Christi. Fides autem Christi est, credere in eum qui justificat impium, credere in mediatorem, sine quo interposito non reconciliamur Deo, credere in salvatorem, qui venit quod perierat quærere atque salvare, credere in eum qui dixit: *Sine me nihil potestis facere.* Qui ergo ignorans Dei justitiam, qua justificatur impius, suam vult constituere, qua vincatur superbus, in hanc non potest credere. non quia mutari homines in melius non possunt; sed quandiu talia sapiunt, non possunt credere. Hinc excœcantur & indurantur, quia negando divinum adjutorium non adjuvantur.

1. Ioan. 15.

CAPVT VI.

*Ex libro de Prædestinatione Sanctorum,
itemque de dono perseverantiæ, ad
Prosperum & Hilarium.*

SENTENTIA I.

INTER gratiam & prædestinationem hoc tantum interest, quod prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia verò jam ipsa donatio. Quod itaque ait Apostolus, *Non ex operibus,* ne forte quis extollatur, ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo IESV in operibus bonis, gratia est. Quod autem sequitur, *quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus,* prædestinatio est. quæ sine præscientia non potest esse, po-

CAP. X.

Ephes. 2.

test autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscivit quæ fuerat ipse factururus. Vnde dictum est : *Fecit qua futura sunt.* Præscire autem potest etiam ipse quæ non facit, sicut quæcunque peccata. quia etsi sunt quædam, quæ ita peccata sunt, ut pænæ sint etiam peccatorum, unde dictum est, *Tradidit illos Deus in reprobam mentem, ut faciant qua non conveniunt,* non ibi peccatum Dei est, sed iudicium. Quocirca prædestinatio Dei, quæ in bono est, gratiæ est, ut dixi, præparatio, gratia verò est ipsius prædestinationis effectus.

CAP. XI.

Rom. 4.

II. Cùm Apostolus dicat : *Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio,* mirum est homines infirmitati suæ se malle committere, quàm firmitati promissionis Dei. Sed incerta est mihi, inquis, de meipso voluntas Dei. Quid ergo? Tuâne tibi voluntas de teipso certa est, nec times? *Qui videtur stare, videat ne cadat.* Cùm igitur utraque incerta sit, cur non homo firmiori fidem suam, spem, caritatémque committit?

1. Cor. 10.

CAP. XV.

III. Est etiam præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse salvator, ipse mediator Dei & hominum homo Christus I E S V S. Ille enim homo, ut à Verbo Patri coæterno in unitatem personæ assumptus filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? quod ejus bonum qualecunque præcessit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? Faciente ac suscipiente Verbo, ipse homo, ex quo esse cœpit, filius Dei unicus esse cœpit. Filium Dei unicum femina illa gratia concepit. De Spiritu sancto &

Virgine Maria Dei filius unicus natus est, non carnis cupidine, sed solo Dei munere. Libera in illo voluntas erat, ac tantò magis erat, quantò magis servire peccato non poterat. Apparet itaque nobis in nostro capite ipse fons gratiæ, unde secundum uniuscujusque mensuram se per cuncta ejus membra diffundit. Eâ gratiâ fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia homo ille ab initio suo factus est Christus. de ipso spiritu & hic renatus, de quò est ille natus. eodem spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo spiritu factum est ut nullum haberet ille peccatum. Hæc se Deus esse facturum profectò præscivit. Ipsa est igitur prædestinatio sanctorum, quæ in sancto sanctorum maximè claruit.

De dono Perseverantiæ.

IV. Donum Dei esse perseverantiam, qua usque in finem perseveratur in Christo, finem autem quo vita ista finitur, in qua tantummodo periculum est ne cadatur. Itaque utrum quisque hoc munus acceperit, quandiu hanc vitam ducit incertum est. Si enim priusquam moriatur cadat, non perseverasse utique dicitur, & verissimè dicitur. Quomodo ergo perseverantiam qui non perseveravit accepisse vel habuisse dicendus est? CAP. I.

V. Si habeat aliquis continentiam, & ab eâ *Ibidem,* decidat, atque incontinens fiat, si justitiam similiter, si patientiam, si ipsam fidem, rectè dicitur habuisse, & non habere. Continens enim fuit, vel justus fuit, vel patiens, vel fide-

lis fuit quandiu fuit; cùm verò esse destitit; non est quod fuit. Qui verò non perseveraverit, quomodo perseverans fuit, cùm perseverando quisque ostendat perseverantem? quod iste non fecit.

Ibidem.

VI. Perseverantiam, qua in Christo perseveratur usque in finem, nullo modo habuisse dicendum est, qui non perseveraverit usque in finem. potiùsque hanc habuit unius anni fidelis, & quantum infra cogitari potest, si donec moreretur fideliter vixit, quàm multorum annorum, si exiguum temporis ante mortem à dei stabilitate defecit.

CAP. II.

VII. Oratio quæ dominica nuncupatur, quia eam Dominus docuit, quando oratur à sanctis, nihil penè aliud quàm perseverantia posci intelligitur. Dicimus enim, *Sanctificetur nomen tuum*. non quòd optemus Deo ut sanctificetur orationibus nostris, sed quòd petamus ab eo, ut nomen ejus sanctificetur in nobis. Ceterùm à quo Deus sanctificatur, qui ipse sanctificat? Sed quia ipse dixit, *Sancti estote, quoniam & ego sanctus sum*, id petimus & rogamus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus perseveremus. Hæc itaque sanctificatio ut in nobis maneat oramus. Et quia Dominus & iudex noster sanato à se & vivificato comminatur, non delinquere, ne quid ei deterius fiat, hanc continuis orationibus precem facimus, hoc diebus ac noctibus postulamus, ut sanctificatio & vivificatio, quæ de Dei gratia sumitur, ipsius protectione servetur. Quid cùm dicimus, *Adveniat regnum tuum*, num aliud pos-

cimus, nisi ut veniat & nobis, quod esse venturum non dubitamus omnibus sanctis? Ergo & hîc, qui jam sancti sunt, quid orant, nisi ut in ea sanctitate quæ illis data est perseverent? Neque enim aliter veniet regnum Dei, quod non aliis sed his qui perseverant usque in finem certum est esse venturum. *Fiat voluntas tua in celo & in terra.* vel quod in plerisque codicibus legitur, magisque ab orantibus frequentatur, *sicut in celo & in terra.* Quod plerique intelligunt, sicut sancti angeli, & nos faciamus voluntatem tuam, ut terra scilicet imitetur cælum, id est, ut homo angelum, vel infidelis fidelem. Quantalibet enim homines sanctitate præpolleant, nondum sunt æquales angelis Dei, nondum ergo sicut in cælo in eis fit voluntas Dei. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Hunc panem autem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dum abstenti & non communicantes à cælesti pane prohibemur, à Christi corpore separemur. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Quàm necessariè autem, quàm providenter & salubriter admonemur quòd peccatores sumus, qui pro peccatis rogare compellimur? ut dum indulgentia de Deo petitur, conscientia suæ animus recordetur. Ne quis sibi quasi innocens placeat, & se extollendo plus pereat, instruitur & docetur peccare se quotidie, dum quotidie pro peccatis jubetur orare. Sic denique & Ioannes in epistola sua ponens dixit: *Si dixerimus quia*

CAP. III.

CAP. IV.

CAP. V.

1. Ioan. 1.

» peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, &
 » veritas in nobis non est. Iam verò cum dicunt
 sancti, *Ne nos inferas in tentationem, sed libera
 nos à malo*, quid aliud quam ut in sanctitate
 perseverent precantur? Nam profectò concessò
 sibi isto Dei dono, quod esse Dei donum cum
 ab illo poscitur satis apertèque monstratur; isto
 ergo concessò sibi Dei dono ne inferantur in
 tentationem, nemo sanctorum non tenet usque
 in finem perseverantiam sanctitatis. Neque
 enim quisquam in proposito Christiano perse-
 verare desistit, nisi in tentationem primitus in-
 feratur. Si ergo concedatur ei quod orat, ut
 non inferatur, utique in sanctificatione quam
 Deo donante percepit Deo donante persistit.

¶ 17. V. I.

VIII. Non dicant homines perseverantiam
 cuiquam datam usque in finem, nisi cum ipse
 venerit finis, & perseverasse cui data est reper-
 tus fuerit usque in finem. Dicimus quippe cas-
 tum quem novimus castum, sive sit sive non
 sit in eadem castitate mansurus. & si quid aliud
 divini muneris habeat, quod teneri & amitti
 potest, dicimus eum habere quandiu cunque
 habet; & si amiserit, dicimus habuisse. Perse-
 verantiam verò usque in finem, quoniam non
 habet quisquam nisi qui perseveret usque in fi-
 nem, multi eam possunt habere, nullus amit-
 tere. Neque enim metuendum est, ne fortè
 cum perseveraverit homo usque in finem, ali-
 qua in eo mala voluntas oriatur, ne perseveret
 usque in finem. Hoc ergo Dei donum supplici-
 ter emereri potest, sed cum datum fuerit, amit-
 ti contumaciter non potest. Cum enim perseve-
 ret quisq; usque in finem, neque hoc donum po-

test amittere, nec alia quæ poterat ante finem.

IX. Imperavit Deus, ut ei sancti ejus dicant orantes, *Ne nos inferas in tentationem.* Quis- *Ibidem.*
 quis igitur exauditur hoc poscens, non infer-
 tur in contumaciæ tentationem, qua possit vel
 dignus sit perseverantiam sanctitatis amittere.
 At enim voluntate sua quisque deserit Deum,
 ut meritò deseratur à Deo, quis hoc negaverit?
 Sed ideo petimus ne inferamur in tentationem,
 ut hoc non fiat. Et si exaudimur, utique non fit,
 quia Deus non permittit ut fiat. Potens enim
 est, & à malo in bonum flectere voluntates, &
 in lapsum pronas convertere, ac dirigere in si-
 bi placitum gressum, cui non frustra dicitur,
Deus tu convertens vivificabis nos, non frustra
 dicitur, *Ne des ad movendum pedem meum.*
 non frustra dicitur, *Ne tradas me Domine à de-*
siderio meo peccatori. postremò non frustra di-
 citur, *Ne nos inferas in tentationem.* Nam quis-
 quis in tentationem non inferitur, profectò nec
 in tentationem suæ malæ voluntatis inferitur; &
 qui in tentationem suæ malæ voluntatis non in-
 fertur, in nullam prorsùs inferitur.

X. Tutiores vivimus, si totum Deo damus, *Ibid.*
 non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte
 committimus. Quando enim rogamus ne in
 tentationem veniamus, admonemur infirmi-
 tatis & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus,
 ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi su-
 perbè aut arroganter aliquid assumat, ne quis
 aut confessionis aut passionis gloriam suam di-
 cat, cùm Dominus ipse humilitatem docens di-
 xerit: *Vigilate & orate ne veniatis in tentatio-*
nem. *Spiritus quidem promptus est, caro autem*

Matth. 26.

infirmā. ut dum præcedit humilis & summissa confessio, & datur totum Deo quidquid suppliciter cum timore Dei petitur, ipsius pietate præstetur.

CAP. VII.

XI. Post casum hominis, non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum; neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo. Hanc gratiam posuit in illo in quo sortem consecuti sumus, prædestinati secundum propositum ejus qui universa operatur; ac per hoc sicut operatur ut auedamus, sic operatur ne discedamus.

Ibidem.

XII. Prorsus in hac re non operosas disputationes expetat Ecclesia. sed attendat quotidianas orationes suas. Orat ut increduli credant, Deus ergo convertit ad fidem. Orat ut credentes perseverent, Deus ergo donat perseverantiam usque in finem. Hæc Deus se facturum esse præscivit. Ipsa est prædestinatio sanctorum, quos elegit in Christo ante constitutionem mundi.

CAP. XVI.

XIII. Cum constet alia Deum dare etiam non orantibus, sicut initium fidei, alia non nisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam, profecto qui ex seipso hanc habere se putat, non orat ut habeat. Cavendum est igitur, ne dum timemus ne tepescat hortatio, extinguatur oratio, accendatur elatio.

CAP. XVII.

XIV. Sua dona quibuscunque Deus donat, proculdubio se donaturum esse præscivit, & in sua præscientia præparavit. Quos ergo prædestinavit, ipsos & vocavit, vocatione illa, quam sæpe commemorare non piget. de qua dictum est: *Sine pœnitentia sunt dona & vocatio Dei.*

Rom. 11.

Namque in sua, quæ falli mutarique non potest, præscientia, opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quicquam est prædestinare.

XV. Interest quantum & in quibus rebus erratur, & quàm facile quisquam corrigat, vel quanta pertinacia suum defendere conetur errorem. Bonæ quippe spei est homo, si eum sic proficientem dies ultimus vitæ hujus invenerit, ut adiciantur ei quæ proficienti defuerunt, & perficiendus quàm puniendus potiùs judicetur.

CAP. XXI.

XVI. Quisquis dicere gratiam Dei secundùm merita nostra dari, sicut Catholicus fidelis exhorret, nec ipsam fidem subtrahat Dei gratiæ, quia misericordiam consecutus est ut fidelis esset. Ac per hoc gratiæ Dei tribuat perseverantiam quoque usque in finem, quia misericordiam consequitur, quam poscit quotidie, ne inferatur in tentationem. Inter initium autem fidei, & perfectionem perseverantiæ, media sunt illa quibus rectè vivimus. Hæc itaque omnia, initium scilicet fidei, & cetera usque in finem, dona sua Deus largiturum se vocatis suis esse præscivit.

Ibidem.

XVII. An verò timendum est, ne tunc de se homo desperet, quando spes ejus ponenda demonstratur in Deo, non autem desperaret, si eam in seipso superbissimus & infelicissimus poneret? Atque utinam tardi corde, & infirmi, qui non possunt vel nondum possunt scripturas nec earum expositiones intelligere, sic audirent vel non audirent in hac quæstione disputationes nostras, ut magis intuerentur orationes suas, quas semper habuit & habebit Ec-

CAP. XXII.

CAP. XXIII.

clesia ab exordiis suis, donec finiatur hoc seculum. Quando enim non oratum est in Ecclesia pro infidelibus atque inimicis ejus, ut crederent? Quando fidelis quisquam amicum, proximum, conjugem habuit infidelem, & non ei petiuit à Domino mentem obedientem in Christianam fidem? Quis autem sibi unquam non oravit, ut in Domino permaneret? aut quis sacerdotem super fideles Dominum invocantem, si quando dixit, *Da illis Domine in te perseverare usque in finem*, non solùm voce ausus est, sed saltem cogitatione reprehendere, ac non potiùs super ejus talem benedictionem, & corde credente, & ore confitente respondit, *Amen?* cùm aliud in ipsa oratione dominica non orent fideles, dicentes maximè illud, *Ne nos inferas in tentationem*, nisi ut in sancta obedientia perseverent? Sicut ergo in his orationibus, ita & in hac fide nata est & crevit & crescit Ecclesia, qua fide creditur, gratiam Dei non secundùm merita accipientium dari. Quandoquidem non oraret Ecclesia ut daretur infidelibus fides, nisi Deum crederet & averfas & adversas hominum ad se convertere voluntates, nec oraret Ecclesia ut perseveraret in fide Christi non decepta vel victa tentationibus mundi, nisi crederet Dominum sic in potestate habere cor nostrum, ut bonum quod non tenemus nisi propria voluntate, non tamen teneamus nisi ipse in nobis operetur & velle. Nam si hæc ab ipso quidem poscit Ecclesia, sed à seipso sibi dari putat, non veras sed perfunctorias orationes habet, quod absit à nobis. Quis enim veraciter gemat desiderans accipere quod orat à Do-

mino, si hoc à seipso se sumere existimet, non ab illo?

XVIII. *Quid oremus sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus*, ait Apostolus, *interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quid est ipse spiritus interpellat*, nisi interpellare facit gemitibus inenarrabilibus, sed veracibus, quoniam veritas est spiritus? Ipse est enim de quo alio loco dicit: *Misit Deus spiritum filij sui in corda nostra clamantem Abba pater.* Et hîc quid est *clamantem*, nisi clamare facientem? ubi intelligimus & hoc ipsum esse donum Dei, ut veraci corde & spiritaliter clamemus ad Deum. Falluntur itaque qui putant esse à nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, atque pulsemus. Accepimus enim spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba pater.

XIX. Quæ poscit à Domino, & semper ex quo esse cœpit poposcit Ecclesia, ita Deus vocatis suis daturum se esse præscivit, ut in ipsa prædestinatione jam dederit. Quod Apostolus sine ambiguitate declarat. Scribens quippe ad Timotheum: *Conlabora*, inquit, *Evangelio secundum veritatem Dei, salvos nos facientis, & vocantis vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam quæ data est nobis in Christo IESU ante tempora æterna, manifestata autem nunc per adventum salvatoris nostri in Christo IESU.* Ille itaque dicat Ecclesiam aliquando in fide sua non habuisse veritatem prædestinationis hujus & gratiæ qui dicere audet aliquando eam non orasse, vel non veraciter orasse, sive ut crederent infideles, sive ut perseverarent fideles,

Quæ bona si semper oravit, semper ea Dei dona esse utique credidit, nec ab illo esse præcognita unquam ei negare fas fuit, ac per hoc prædestinationis hujus fidem nunquam Ecclesia Christi non habuit.

CAP. XXIV.
1. Cor. 1.

XX. Et hoc Dei præceptum est, & hoc præceptum obedienter audire, id est, *ut qui gloriatur in Domino gloriatur*, similiter ut cetera Dei donum est. Quod donum qui non habet, non dubito dicere, alia quæcunque habet, inaniter habet.

Ibidem.

XXI. Oramus ut Deus gratiæ det nobis intelligere & confiteri, post ingentem & ineffabilem ruinam, qua in uno omnes cecidimus, neminem nisi Dei gratia liberari, eamque non secundum merita accipientium tanquam debitam reddi, sed tanquam veram gratiam nullis meritis præcedentibus gratis dari.


Ibidem.

XXII. Nullum est inlustrius prædestinationis exemplum, quàm ipse mediator. Quisquis vult eam fidelis bene intelligere, attendat ipsum, atque in illo inveniat & seipsum. Fidelis, inquam, qui in eo veram naturam credit & confitetur humanam, id est, nostram, quamvis singulariter, suscipiente Deo Verbo, in unicum Dei filium sublimatam, ita ut qui suscepit & quod suscepit, una esset in Trinitate persona. Neque enim homine assumpto quaternitas facta est, sed Trinitas manuit, assumptione illa ineffabiliter faciente personæ unius in Deo & homine veritatem. Quoniam non Deum tantum dicimus Christum, sicut hæretici Manichæi; nec hominem tantum, sicut hæretici Photiniani; nec ita hominem, ut ali-

quid minùs habeat, quod ad humanam naturam pertinere certum est, siue animam, siue in ipsa anima mentem rationalem, siue carnem non de femina sumptam, sed factam de Verbo in carnem conuerso atque mutato. quæ omnia tria falsa & vana hæreticorum Apollinaristarum tres partes varias diversâsque fecerunt. Sed dicimus Christum Deum verum, natum de Deo patre, sine ullo initio temporis, eundemque hominem verum, natum de homine matre, certa plenitudine temporis. Nec ejus humanitatem, qua minor est patre, minuere aliquid ejus divinitati, qua æqualis est patri. Hoc autem utrumque unus est Christus, qui & secundum Deum verissimè dixit: *Ego & pater unum sumus.* & secundum hominem verissimè dixit: *Pater major me est.* Qui ergo hunc fecit ex femine David hominem justum, qui nunquam esset injustus, sine ullo merito præcedentis voluntatis ejus, ipse ex injustis facit justos sine ullo merito præcedentis voluntatis ipsorum, ut ille caput, hi membra sint ejus. Qui ergo fecit illum hominem sine ullis ejus meritis præcedentibus, nullum quod ei dimitteretur, vel origine trahere, vel voluntate perpetrare peccatum, ipse nullis eorum præcedentibus meritis facit credentes in eum, quibus dimittat omne peccatum. Qui fecit illum talem ut nunquam habuerit habiturusque sit voluntatem malam, ipse facit in membris ejus ex mala voluntate bonam. Et illum ergo & nos prædestinavit, quia & in illo ut esset caput nostrum, & in nobis, ut ejus corpus essemus, non præcessura merita nostra, sed opera sua futura præscivit.

Ioan. 10.

Ioan. 14.




FLORI DIACONI

LUGDVNENSIS LIBER

DE ELECTIONIBVS EPISCOPORVM:

*COLLECTA A DOMINO FLORO
ex sententiis antiquorum Patrum.*

I. ANIFESTVM est omnibus qui in Ecclesia Dei sacerdotale officium administrant, quæ sunt illa quæ in ordinatione episcopali, & sacrorum canonum auctoritas, & consuetudo ecclesiastica, juxta dispositionem divinæ legis & traditionem apostolicam jubeat observari. Videlicet ut pastore defuncto, & sede vacante, unus de Clero Ecclesiæ, quem communis & concors ejusdem Cleri & totius plebis consensus elegerit, & publico decreto celebriter ac solemniter designaverit, legitimo Episcoporum numero consecratus, locum decedentis antistitis rite valeat obtinere; nec dubitetur divino judicio & dispositione firmatum, quod ab Ecclesia Dei tam sancto ordine & legitima observatione fuerit celebratum.

II. Hæc sunt quæ & in Conciliis Patrum,

& in Decretis Apostolicæ Sedis Pontificum statuta reperiuntur, & ab Ecclesia Christi & initio comprobata reperiuntur, & comprobantur. Vnde & beatus martyr Cyprianus de sancto Cornelio urbis Romæ Pontifice, cùm episcopatum ejus adversùs quosdam superbos & invidios calumniatores defenderet, hæc ipsa in testimonium sanctæ & legitimæ ordinationis ejus profecutus est dicens: *Factus est Cornelius Episcopus de Dei & Christi ejus judicio, de Clericorum omnium testimonio, de plebeio suffragio, de sacerdotum antiquorum & bonorum virorum consensu; cùm nemo Episcopus inibi factus esset, cùm gradus cathedra sacerdotalis vacaret. Quo occupato, & omnium nostrorum consensione firmato, quisquam jam Episcopus fieri voluerit, omnimodis necesse est ut ecclesiasticam non habeat ordinationem, qui Ecclesia non tenet per consensum unitatem. Post primum secundus esse non potest. Quisquis enim post unum, qui per electionem consecratus est, esse voluerit, jam non secundus ille, sed nullus est.*

Cyprian.
Epist. 52.

III. Iuxta hæc verba beati Cypriani, ordinatos fuisse constat, & legitimè præfuisse universo populo deinceps omnes Ecclesiarum Dei antistites, absque ullo consultu mundanæ potestatis, à temporibus Apostolorum, & postea per annos ferè quadringentos. Ex quo autem Christiani Principes esse cœperunt, eandem Episcoporum ordinationibus ecclesiasticam libertatem ex parte maxima permansisse, manifesta ratio declarat. Neque enim fieri potuit, cùm unus Imperator orbis terræ monarchiam obtineret, ut ex omnibus latissimis mundi par-

tibus, Asiæ videlicet, Europæ, & Africæ, omnes qui ordinandi erant Episcopi ad ejus cognitionem deducerentur. Sed fuit semper integra & rata ordinatio, quam sancta Ecclesia juxta traditionem apostolicam & religiosæ observationis formam celebravit.

I V. Quòd verò in quibusdam regnis postea consuetudo obtinuit, ut consultu Principis ordinatio fieret episcopalis, valet utique ad cumulum fraternitatis, propter pacem & concordiam mundanæ potestatis; non tamen ad complendam veritatem vel auctoritatem sacræ ordinationis, quæ nequaquam regio potentatu, sed solo Dei nutu, & Ecclesiæ fidelium consensu, cuique conferri potest. Quoniam episcopatus non est munus humanum, sed sancti Spiritus donum, sicut ostendit Apostolus, ubi ad Episcopos loquitur, dicens: *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Vnde & in epistola ad Hebræos ait: *Nec quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur à Deo, sicut Aaron. Sic & Christus non semetipsum glorificavit ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et iterum: *Tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.* in quibus Apostoli verbis evidentissimè demonstratur, ad hoc munus adipiscendum atque sumendum sufficere unicuique gratiam Dei, cooperante fide & devotione gratiæ ejus; absque his autem humano arbitrio nemini posse concedi. Vnde graviter quilibet Princeps delinquit, si hoc suo beneficio largiri posse existimat quod sola divina gratia

Act. 20.

Psal. 109.

gratia dispensat; cùm ministerium suæ potestatis in hujusmodi negotium peragendo adungere debeat, non præferre.

V. Denique ut istius rei nonnulla proferantur exempla, puto quòd de ordinatione beati Martini, quando ex monasterio sub alia occasione eductus, & à populo comprehensus, atque ad Ecclesiam perductus est, & continuo ab Episcopis; qui ad hoc invitati fuerant, consecratus, nemo Principum hujus seculi fuerit interrogatus. In Ecclesia quoque Lucdunensi sic religiosa olim & venerabilis consuetudo fuit, sicut antiqua narrat historia. Scilicet ut defuncto Pontifice, omnis in unum conveniret Ecclesia, & triduanò jejuniò communi voto ac supplicatione celebrato, quemcunque eis Dominus per revelationem sive ex eorum Clero seu aliunde ostenderet, ipsum sine dubio antistitem constituerent. Quod de beato Eucherio præfate urbis Episcopo, & Doctore egregio, sanctissimæ vitæ ejus liber manifestè testatur impletum. Qui cùm esset ex nobilissimo Senatorum genere oriundus, & huic seculo abrenuntians, omni que facultate sua in pauperes ob amorem Christi distributa partibus Provinciæ in quodam specu retrusus, atque ibi soli Deo jejunos, & orationibus vacans latitaret, tali revelatione ostensus, atque inventus, in Pontificali regimine locatus est. Ex quo certissimè constat quòd omni illo tempore quo tantam bonitatem sive gratiam omnipotens Deus in illa voluit Ecclesia demonstrare, valebat ac sufficiebat ad consecrationem rectorum sola ejus gratia, & fides Ecclesiæ devota.

VI. Sed & in Romana Ecclesia usque in presentem diem cernimus absque interrogatione Principis, solo dispositionis iudicio, & fidelium suffragio, legitimè Pontifices consecrari: qui etiam omnium regionum & civitatum quæ illi subiectæ sunt, juxta antiquum morem, eadem libertate ordinant atque constituunt sacerdotes; nec adeo quisquam absurdus est, ut putet minorem illic sanctificationis divinæ esse gratiam, eò quòd nulla mundanæ potestatis comiteretur auctoritas.

VII. Quæ omnia non ideo dicimus, quasi potestatem Principum in aliquo minuendam putemus, vel contra religiosum morem regni aliquid sentiendum persuadeamus; sed ut clarissimè demonstretur, in re hujusmodi divinam gratiam sufficere, humanam verò potentiam, nisi illi consonet, nihil valere. Quapropter in sacris canonibus Patrum, ubi plurimæ causæ commemorantur sine quibus episcopalis ordinatio irrita habenda est, de hac re nihil invenitur insertum.

F I N I S.





INDEX.

- A**
- A**DOLESCENTULI in Ecclesia positi ad discendum cantum ecclesiasticum. 91. 99. 100
- Africani Concilij decretum de precibus & orationibus in Ecclesia cantandis. 90
- Agobardus interfuit synodo Compendiensi. 75. Correxerat Antiphonarium Ecclesie Lugdunensis. 87
- Amalarius Abbas. 101
- Ambrosius Abbas Insule Barbaræ. 118
- Amici vulnera meliora sunt quam fraudulenta oscula inimici. 171
- Amulo Archiepiscopus Lugdunensis. 135. & seqq.
- Angeli sancti nunquam sunt casuri. 233
- Animarum regimen majus est quam imperiale. 53
- S. Annemundus martyr. 128
- Antichristi impudentia depingitur. 29
- Antiphonarium. 80. 87. 100
- Apostoli, Doctores Ecclesiarum. 230
- Apostolicæ sedes. 59. sunt Ecclesie fundamentum. 48
- Apostolicæ Sedis honore manente, an Pontifex possit exhonoriari. 56
- Atelas, opima portu. 121
- Athanasij Episcopi Alexandrini exemplum de cantu ecclesiastico refertur. 95
- Augustinus, præcipuus post Apostolum prædicationis & gratiæ prædicator. 185. Ejus sententiæ, quanti faciendæ. 188
- Augustodunense territorium. 138
- Aurium vana & noxia delectatio reprehenditur etiam quoad cantus ecclesiasticos. 94
- B**
- Barbarizare. 63
- Bartholomæus Episcopus Narbonensis. 143
- Benedictus Abbas Insule Barbaræ. 128
- S. Benignus martyr. 135
- Brachium, id est, potentia operandi. 220

I N D E X.

- C
- C**æsarius Episcopus
Arelatensis lauda-
tur. 171
- Caïphas honoratus est
prophetia propter ca-
thedram. 56
- Canere in Ecclesia magis
animo quàm voce de-
benus. 91
- Cantorum scholæ apud
Lugdunum. 127. Eorum
superbia & inscitia ta-
xatur. 99
- Caritas inchoata, inchoa-
ta iustitia est. 216
- Cartaginienſis urbis rui-
na. 121
- C H R I S T V S.** Quomodo
Deus & homo. 11. Sus-
cepit animam rationa-
lem & carnem hominis.
234. An per aurem Vir-
ginis introierit in mun-
dum. 89. Constitit ex
quatuor elementis. 109.
Venit, ut salvaretur
mundus per ipsum. 217.
Spontaneè pro nobis
mortuus est, & gratis.
90. 206. In Christi gra-
tiam etiam iusti antiqui
crediderunt. 203
- Christianus, quis. 157
- Christiani perfecti glo-
riantur in tribulationi-
bus. 37
- Civitas Dei constat ex
Angelis & hominibus.
17
- Clerici officiales. 126
- Compendium Palatiû. 73
- Concilia antiqua definie-
runt plebeios psalmos
in Ecclesia non esse can-
tandos. 81
- Consiliarij regij. 62
- Cornelij Episcopi Roma-
ni ordinatio. 253
- Correptionis utilitas. 231.
237
- Cypriani Episcopi Car-
thaginienſis ossa. 121
- D
- D**eus vult nos in rebus
suis cautos esse at-
que discretos. 139.
Non lætatur in
morte & damna-
tione impij. 166.
Non deserit, si non
deferatur. 211. Non
jubet impossibilia.
214. 216
- Diabolus est inventor &
causa omnis mali. 28.
Ipse & angeli ejus, ho-
stes nostri sunt. 20
- Diaconis cantare aliud in
Ecclesia, præter Evan-
gelium, prohibitum.
96
- Divina præcepta non sunt
gravia. 196. 216
- Divinorum verborum or-
do nunquam mutan-
dus. 82
- Divionense castrum. 135
- Domina Palatij senioris.
64
- E
- E**bbo Remensis Epif-
copus. 76
- Ecclesia est domus Dei. 63.

I N D E X.

- Dealbata est à Christo. 221. Ejus fundamentum est in apostolicis sedibus. 49. Portæ inferi adversus eam prævalere non possunt. 50
- Electi sunt, qui secundum propositum vocati sunt. 232
- Elementa quatuor in cruce pepen terunt in persona Christi. 109
- Enchiridion de divinis libris. 77
- S. Ephrem, admirandæ sanctitatis & illustrissimæ doctrinæ Pater. 151
- Episcopatus non est munus humanum, sed sancti Spiritus donum. 254
- Episcopi sunt Patres Christianorum. 169. & seq. Non debent spectare ludentes & jocantes. 64
- Episcopale Concilium. 149
- Episcopatum electionum forma describitur. 252. & seqq.
- Evangeliorum Liber. 127
- Eucherius Episcopus Lugdunensis. 128. 255
- Excommunicatio præsumptuosa. 55
- F
- Feminæ prouiores ad superstitionem. 136. 143
- Fides Christiana explicatur. 5. 241. Ea iustos sanauit antiquos. 214. Ad-
- versus ejus inimicos quomodo pugnandū. 21
- Fides seruanda est Principi. 42
- Fidelis quomodo quis sit Principi. 43. 56
- S. Firminus Episcopus. 143
- Florus Diaconus Lugdunensis. 252
- Francici regni pericula. 64. Divisio inter filios Ludouici Pij. 45
- Francorum nomen, clarum in toto orbe. 62
- Fraternum consilium. 136
- G
- Gallicana Ecclesia. 59
- Gallicanorum Episcoporum libertas ad Romanum Pontificem scribentium. 18. Ei minantur dejectionem, si quid agat extra ordinem. 60
- Gelasij Papæ Decreta. 139
- Genesius Episcopus Lugdunensis. 128
- Germaniæ regnum. 152
- Germanica Ecclesia. 59
- Gothescalcus. 149
- Gratia Dei non secundum merita nostra nobis datur. 222. 227. Semper est bona. 224
- Gregorius Magnus quædam vitia circa tantum refecavit in Ecclesia Romana. 81. 96
- Gregorius IV. Papa venit in Franciam. 51. Epistola ejus ad Episcopos regni Francorum. 53

I N D E X.

- H**omo ad imaginem & similitudinem Dei conditus. [9.](#)
 Ejus natura primitus inculcata & sine ullo vitio creata [est. 207. 214.](#)
 Nihil ex se potest homo, sed cum Dei adjutorio. [22.](#)
 Peccato tamen carere poterat, si voluisset. [214.](#) Gravius autem peccat homo sciens quam nesciens. [219.](#)
- Homines omnes nascuntur morituri. [131.](#)
 Honorati. [67.](#)
 Humanum genus sola Dei gratuita bonitate & misericordia salvatur. [179.](#)
- I**
- I**dola & simulacra tempore legis significabant omnes errores. [69.](#)
 Jejunium triduanum à Ludovico Pio indictum. [44.](#)
 Imperatores quomodo felices. [54.](#)
 Imperialis jussio. [53.](#)
 Indulgentiæ janua aperta est omnibus hominibus qui peccata sua desunt. [163.](#)
 Inferni descriptio, & varia nomina. [31. & seqq.](#)
 Insula Barbara. [118.](#)
 Iudas præcognitus & prædictus est filius perditionis. [162.](#)
- Judith, uxor Ludovici Pij. *Vide* Ludovicus Pius.
 Juramentum opportunum atque [legitimum. 45. 47.](#)
 Iusjurandum causa fidei. [56.](#)
 Iustorum vita molestiis exercitata, splendidius enituit. [209.](#)
- K**
- K**arolus M. Imperator. [120. 125.](#)
- L**
- L**eidradus Episcopus Lugdunensis. [121. 125. & seqq.](#)
 Letaniæ, id est, Rogationes, an fieri possint sine jejunio & carnis abstinentia. [102.](#)
 Levitas fugienda est in divinis laudibus exsolvendis. [85.](#)
 Libellus in synodo Compendiensi editus ab Episcopis perfidis, & Ludovico Pio Imperatori oblatas. [74.](#)
 Liber Evangeliorum. [127.](#)
 Liber Mysteriorum. [100.](#)
 Liberum arbitrium habemus & ad malum, & ad bonum faciendum. [219.](#)
 Licinius Abbas Insulæ Barbaræ. [128.](#)
 Linguae malum in homine magnum. [208.](#)
 Lotharij consortium cum Ludovico confirmatur à Summo Pontifice. [45. 51.](#) Præsedit in Concilio Compendiensi adversus

I N D E X.

patrem. 73
 Ludovicus Pius Imperator. 42. 52. Roditur ab Agobardo. 61. & seqq.
 Lotharium filium nominis sui participem facit. 44. Publicam poenitentiam suscipit in synodo Compendiensi. 75. Ejus uxor pulchra, sua vis, & blanda. 65.
 Dilaceratur conviciis & probris. 61. & seqq. 64. 67

Lugdunensis Ecclesia. 80.
 Dicata titulo S. Ioannis. 122. Quæ est maxima Ecclesia. 127

Lugdunensis Ecclesiæ Cantores 85

Lugdunensis Ecclesia valde turbata ævo Karoli Magni. 126

Lugdunensium Episcoporum electiones quomodo fierent antiquitus. 255.

Lupus Episcopus Lugdunensis. 128

M

M Anuale. 77
 S. Martinus Episcopus Turonensis factus est absq; consultu mundanæ potestatis. 255. Incertas sanctorum reliquias non passus est coli à fidelibus. 139

Maximinus Abbas Insulæ Barbaræ. 128

Memoriæ Martyrum. 141

Mendacium non est tan-

tummodo verborum, sed & factorum. 66

Monachi quidam venditant falsas sanctorum reliquias. 136

Mors omnibus una. 131

N

Naturæ jura penitus extinguere non possumus, ne doleamus in funere amicorum. 130

Ninivitarum conversio. 103

O

Obedientia, magnum bonum. 151

Officia divina celebranda sunt cum magna gravitate & modestia. 97

Oratio debet fieri cum tota fiducia & spe. 39

Orationum assiduitas necessaria. 38

Oratio dominica, cur sic nuncupata. 244

Ordo militaris, & ecclesiasticus. 48

Originale peccatum. 217

P

S. Pantaleo, martyr Africæ. 111

Parvuli nondum baptizati, damnabuntur secundum solum originale peccatum. 217

Peccatum caveri potest, sed opitulante illo qui falli non potest. 215

Perditorum corpus, cujus caput Antichristus. 29.

& seqq.

I N D E X.

- Perjuri pejeratum degra- dare non possunt. 60
- Perseverantia in bono pe- tenda est à Deo. 232.
- Nam perseverantiæ bo- num, donum Dei est. 182. 243. 246
- B. Petri locus. 56
- Pœnitentiæ publicæ lex & ordo. 75
- Pontificalis jussio. 53
- Præcepta bona sunt, si le- gitimè his utamur. 216
- Prædestinatio, est gratiæ præparatio. 241
- Prædestinationis verbum in malam partem rariùs usurpatum. 163
- Præscientia Dei quomodo credenda. 180
- Primatus appetitores non longè absunt ab idolo- rum cultura. 69
- Principum interventio in electionibus Episcopo- rum cur introducta. 254
- Prudentius, vir doctus. 103
- Psalmi antiquitus in Ec- clesia decantari soliti. 97. Plebeios tamen psal- mos in Ecclesia cani ve- tuerunt Concilia Pa- trum. 81
- R
- Reginæ olim apud Francos gerebant curam Palatii. 64. 67
- Reliquiæ martyrum incer- tæ, rejiciendæ. 136. & seqq.
- Rhabanici. 169
- Rogationum generalium tempus. 146
- Romani Pontificis, Vica- rij B. Petri. 51
- Romani Pontificis electio fiebat ævo Flori absque interrogatione Princi- pis. 256
- Romani Pontificis nomen recitandum est inter mysteria. 49
- S
- SAncti tolerant plerunq; superiores, quos no- verunt esse peiores. 37
- Sedelocus. 138
- S. Speratus, martyr Afri- cæ. 121
- Spes, ad quid utilis. 78. Spe salvi facti sumus. 193
- Spiritus sanctus cur venit super Apostolos in ven- to & igneis linguis. 107
- Subdiaconi psalmos ac reliquas lectiones can- tent in Ecclesia. 96
- T
- THeodboldus Episco- pus Lingonensis. 135
- Timere inordinatè, grave peccatum est. 35. Timen- dū autem non est quod vitari non potest. 132
- Timor, ad quid utilis. 78
- Tribulationes cur Chri- stianis immittat Deus. 37
- V
- V Cetia, civitas in pro- vincia Narbonensî. 142
- Vxores malæ multum no- cent vitis suis. 70

FINIS INDICIS.

STEPHAN I

STEPHANI BALVZII


TVTELENSIS

N O T Æ

A D A G O B A R D V M ,

LEIDRADVM, AMVLONEM,

E T F L O R V M .





STEPHANI BALVZII
 TVTELENSIS
 N O T Æ
 AD AGOBARDVM.

AD LIBRVM
 ADVERSVS FELICEM.



ANCTI AGOBARDI] Sancti nun-
 cupationem Agobardo tribuimus post edi-
 tionem Massoni, & quia cœlestes ei ho-
 nores persolvuntur in Ecclesia Lugdunen-
 si, ubi vulgò vocatur *Saint Agobo*. Tum
 & in Martyrologiis quoque illarum partium sanctus di-
 citur. Ac de Agobardo quidem paucâ nobis dicenda in-
 cumbunt, præter ea quæ leguntur inter elogia. Pro no-
 stro tamen more heic vitam ejus delibabimus. Patriâ
 Gallum fuisse alunt. quanquam id non satis constat.
 Coëpiscopus primùm Leidradi Lugdunensis Archiepi-
 scopi, quem nunc Coadjutorem vocamus; sed non cum
 titulo futuræ successione, ut ego quidem arbitror. Nam
 id privata auctoritate facere non potuit Leidradus, ne-
 que extra conscientiam Principis, neque alibi tum quàm
 in synodo, sive provinciali, sive generali. Dein illo ce-

dente, ac in monasterio Sueffionensi sese abdicante, Agobardus ad eam cathedram conscendit an. DCCCXIII. *consentiente*, ut ait Ado, *Imperatore & universa Gallorum Episcoporum synodo*, seu, ut apertiùs loquitur Hugo Flaviniacensis, *consentiente Imperatore & OMNI Gallicanorum Episcoporum synodo*. Et animus erat eam synodum interpretari de ea quæ eodem anno celebrata est apud Cabillonem ab Episcopis & Abbatibus totius Gallix Lugdunensis. Verùm Ado & Hugo Flaviniacensis satis indicant hanc Agobardi substitutionem præsentem Imperatore factam fuisse in universa sive omni Gallicanorum Episcoporum synodo, id est, in generali ac plenaria synodo Episcoporum regni Francici. quod huic Cabillonensi competere non potest, quæ provincialis tantùm fuit. Itaque non de alia synodo intelligi potest, quàm de Moguntina; quæ eodem anno habita est; cui verò interfuisse Ludovicum Imperatorem docet Ivo Carnotensis parte 1 x. cap. LXXXII. Præbuit ista Agobardi substitutio materiam sermonibus, ob violatos, ut videbatur, vetustos canones; quos illibatos servari debere contendebant, neque violari posse quacunque ex causa. Dupliciter autem peccatum videbatur in Canonibus. Primum; quia constabat duos unam cathedram capere non posse. Deinde, quòd prohibitum sit ne quis Episcopus successor sibi eligat. Cessisse tamen contraditores constat. Quam verò ob causam cesserint, non constat. Ego facilè crediderim, Agobardum propriis virtutibus & Principis optimi studiis adjutum, prævaluisse adversus invidos; tum etiam quia Leidradus in eum inclinaverat, vir in aula celeberrimus, & qui novissimo facinore magnam sibi auctoritatem conciliaisse videbatur. Et extabant plurima exempla ex antiquitate, quæ substitutionem illam peragi sinerent. Incidit autem Agobardus in pessima & exulceratissima tempora, quemadmodum ipse non semel conqueritur. Retinuit tamen inter hæc temporum mala constantiam Episcopo dignam, vir cetera timidus, & qui vix coram magnatibus auderet loqui. Nam suum illum pudorem ac timiditatem ipse frequenter inculcat. Præcipuè verò incanduit adversum Iudæos, quorum impios ritus prophanasque cerimonias & detestabatur & aboleri cupiebat. Hinc graves adversus Agobardum tempestates &

procellæ. Strinxit etiam stilum, & quidem acriter, & non uno loco, in legem Gundobadam, quam pietati ac simplicitati Christianæ valde contrariam esse existimabat. Robustè etiam ac eruditè nervos suos intendit adversùs errorem Felicis Episcopi Vrgellensis, qui paulò antè mortuus erat apud urbem Lugdunensem. Canonum in primis perpetuus ac constans defensor, ut gnarus; adeo ut etiam Romanos sui temporis graviter perstringat, quòd Gallicanos Canones ob eam, si superis placeat, causam contemnerent, quòd eos neoterici Romani non commendaverint, vel quòd Legati Romani non interfuerint in eorum constitutione. Mirum, si vir ita compositus non incurrisset invidiam hominum ætatis suæ. Itaque opus habuit apologiam pro se scribere adversùs calumnias & obrektionones Abbatis Fredegisi, viri alioqui celeberrimi, itémque adversùs quosdam Provinciales & Septimanos Agobardico nomini valde iniquos. Inter hæc, incallescens quæstio de adoratione cultûque imaginum exercuit industriam hominum eruditorum; adeoque etiam Agobardus sententiam suam in hoc prompsit, ut acrem ac vehementem adversùs adorationem imaginum, ita piam ac religiosam erga sanctos, ad quorum imitationem hortatur omnes Christianos. Superstitionum igitur inimicus capitalis, etiam eorum stultitiam vehementer exagitavit qui grandinem & tonitrua ceterásque cœli tempestates excitari posse putabant ope magorum & incantatorum, quos ob hoc ipsum ætas illa vocabat tempestarios. Planè magnum virum fuisse persuasum habeo. Sed uno pessimo facinore, quicquid nonnulli contra sentiant, illustria sua facinora ingentésque virtutes commaculavit. Nam transgressus in partes Lotharij Augusti, qui Ludovicum patrem anno DCCCXXXIII. eò usque deprimere ausus est, ut etiam in carcere concluderet, pœnitentiæque publicæ addici procuraret; transgressus inquam Agobardus in partes Lotharij, tanta animi contentione ac pertinacia eas tuitus est, ut vel ob hoc ipsum annumeratus sit inter præcipuos Lotharianæ factionis auctores. Ea de causa ab Ecclesiæ præfulatu semotus est auctoritate synodi quæ anno DCCCXXXV. habita est ad Theodonis villam. Rursum ea causa agitata est anno sequenti apud Stramiacum, haud procul Lugduno; sed nullo eventu, pro-

pter absentiam Agobardi. Tandem cum revocata concordia fuisset inter Ludovicum ac Lotharium, Agobardus ad sedem suam redire permissus est. Demum abiit è vivis apud Santones Aquitaniæ secundæ populos, in expeditione regia, anno, ut ego quidem arbitror, DCCCXLI. Nam eo anno Ludovicus Imperator, ut scriptum est in Annalibus Bertiniani, in Aquitania fuit, motus Aquitanicos componere satagens. Quo etiam anno Agobardum obiisse VIIII. Idus Iulij tradit auctor brevioris Chronici S. Benigni Divionensis. Ex scriptis ejus quæ extant apparet notum fuisse ac familiarem clarissimis ætatis illius viris, Ebboni nimirum Remensi Archiepiscopo, Bernardo Viennensi, Nibridio & Bartholomæo Narbonensibus, Adalhardo, Vvalæ, Helisacharo, & Hilduino, Abbatibus, Matfredo Comiti Aurelianensi, qui principem tum locum obtinebat apud Ludovicum Pium, Vvalfrido Straboni Abbati Augiensi. An verò per triennium fuerit Abbas monasterij sancti Medardi Sueffionensis, ut placuit quibusdam, ab anno nimirum DCCCXXX. quo Hilduinus Abbas in exilium missus est à Ludovico Pio, aliis discutiendum relinquo. Atque hæc de vita Agobardi dixisse sufficiat. Nunc ad institutum nostrum revertamur.

ADV. DOGMA FELICIS] Titulum hunc fecimus ex elencho librorum Agobardi, qui præfixus est codici MS. Pap. Massoni, in quo sic habetur: *Adversum dogma Felicis liber I. Agobardi Episcopi ad Ludovicum Imperatorem.* Nullum enim alioqui titulum habebat hic liber in veteri codice. Et mirari lubet audaciam Massoni; qui non contentus inscriptione veteri epistolæ ad Ludovicum Pium, aliam de suo adjecit, tanquam è veteri codice. Sic enim in ipso operum Agobardicorum initio edidit: *Agobardus Episcopus Lugdunensis Ludovico Imperatori S. D. Quis non crederet ita scriptum vidisse Massonum in veteri codice? Et tamen nihil ullic legitur hujuscemodi.*

REDIVIVAM HÆRESIM] Quippe Feliciana hæresis propagata est ex hæresi Nestoriana; ut ostendet infra Agobardus, & scribit etiam Hadrianus I. Papa ad Hispanos Episcopos in Codice Carolino Tit. XC VII.

OBSECO MANSVETVDINEM] Imitatum haud dubiè ex Libello Precum Marcellini & Faustini

Presbyterorum, qui sic incipit: *Deprecamur mansuetudinem vestram, piissimi Imperatores, Valentiniane, Theodosi, & Arcadi, ut hac in contemplatione Christi filij Dei, qui vestrum iuvat imperium, infatigabiliter legere dignemini.*

CAP. I.

SEDE ORGELLETANA] Retinet etiamnum hodie nomen. Vocatur enim vulgò *La Seu d'Urgel*, id est, Sedes Vrgellensis. Clara civitas Hispaniæ Tarracensis, in Pyrenæi montis jugo sita. Eginhardus in Annalibus ad an. DCCXCII. *Orgellis est civitas in Pyrenæi montis jugo sita; cujus Episcopus, nomine Felix, natione Hispanus, ab Elipando Toleti Episcopo per literas consultus quid de humanitate Salvatoris Dei & Domini nostri Iesu Christi sentire deberet, utrum secundum id quod homo est, proprius an adoptivus Dei filius credendus esset ac dicendus, valde incautè atque inconsideratè & contra antiquam Catholica Ecclesia doctrinam adoptivum non solum pronuntiavit, sed etiam scriptis ad memoratum Episcopum libris perversissimè pravitatem opinionis sua defendere curavit. Hujus rei causa ductus ad Palatium Regis, qui tunc apud Reginum Bajoaria civitatem, in qua & hymaverat, residebat. Vbi congregato Episcoporum Concilio auditus est; & errasse convictus, ad presentiam Adriani Pontificis Romam missus; ubi etiam coram ipso in Basilica beati Petri Apostoli haresim confessus est atque abdicavit. Quo facto, ad civitatem suam reversus est.*

DEPOSITVS] Incertum hætenus fuit, quonam demum tempore Felix Episcopus Vrgellensis fuerit depositus ab honore episcopatus. Neque enim assentior Ioanni Mariana, viro alioqui eruditissimo: qui ex corrupto Adonis Viennensis loco colligit eam depositionem fuisse peractam in Concilio Francofordiensi, quod anno DCCXCV. congregatum est jussu Karoli Magni. *Re discussa, (inquit Mariana lib. VII. Rer. Hisp. cap. VIII.) prava opinio cum auctoribus reprobata est; ac, nisi mutarent, Felix & Elipandus sacrificiis interdicti. Felix, ut Ado Viennensis est auctor, Patrum sententia relegatus est, & Lugduni nunquam errore deposito extremum vita diem clausit. Facilius crediderim, datam Felici veniam à synodo, si respiceret; hunc verò errorem suum abdicat.*

se, sicque in honore episcopatus permanfisse. Sed quoniam rursus ad pristinos errores revolvebatur, Aquifgranum deductus ad Karolum Magnum, in synodo quæ anno DCCXCIX. illic habita est, depositus haud dubiè fuit. Istud facinus ea tempestate peractum ex eo patet, quòd in epistola quam statim post synodum illam scripsit ad Clerum populùmq; Vrgellensem, non obscure significat se Episcopum tum non fuisse, quum sic incipit: *In Dei nomine. Felix olim indignus Episcopus &c.* Nimirum olim fuerat Episcopus, id est, antè quàm in ea synodo deponeretur ab honore episcopatus. Tum verò jussu Principis (non autem Episcoporum, ut perperam scribit Mariana) apud Lugdunum clarissimam Galliarum urbem relegatus est.

C A P. I I.

ADMIR. VIT. PR. FELICIS] Constat ergo per illas tempestates, Felicem esse Episcopum moris antiqui, morèsque ejus esse inculpato. Nam non Agobardus solùm id docet, sed etiam Alcuinus, eorundem temporum scriptor. Hæc sunt ejus verba in epistola ad Elipantum Toletanum Episcopum: *Legimus enim in epistolis B. Felicis, viro scilicet religiosa vita præcipuo & sanctitate spectabili, si catholicam fidem & ecclesiasticam unitatem, sine qua nullus Deo placere potest, amare & prædicare velit.* Et infra: *Licet præfatus famulus Dei Felix laudabili vita vivat coram hominibus; tamen, ut videtur, in multis catholica fidei professione non omnino pleniter patrum sequitur sententiam.* Item: *Etiam & in hoc tua sanctissima voluntati obnixius suadere ratum putavi, ut eundem virum venerabilem Felicem tuis sanctis precibus & suavissimis suggestionibus convertere ad catholica fidei unitatem & veritatem nitaris.* Fidelis est enim Deus, pius, & misericors, qui nullatenus obliviscatur ejus multa bona, & religiosam vitam, & labores, qua die noctuque indefessa voluntate desudat. Quanta sit tibi coram Deo & sanctis ejus gloria & remuneratio intende, & diligentius considera in salute fratris tui, etiam & tanti viri, & tam præclara dignitatis & sanctitatis famulo Christi. Item: *Illum verò Felicem, quem tu caritate summum, pudicum, moribusque ornatum*

adferis, nos habemus in castris Christi. Tum in epilogo libri 1 v. adversùs Elipantum, eis qui de ratione catholica fidei dubitare viderentur, proponit exemplum Felicis ab errore ad catholicam conversi: *Illius religiosi viri, inquit, & magni nominis inter suos edoctus exemplo &c.* Demum in epistola LXXVI. Felicem laudat ob pietatem; ejùsque preces postulat apud Deum, velut viri sancti. Non injuria ergo in vetustis tabulis Ecclesiæ Vrgellenfis dicitur sanctus. Nihil itaque fallaciùs est quam prava religio. Vnde colligi interim potest, non statim ex sancta Episcopi vita sequi doctrinam ejus esse sanam. Tentat enim nos interdum Deus, ut palam fiat, utrum diligamus eum, ánonn. *Luce clariùs aperta causa est, inquit Vincentius Lirinensis, cur interdum divina providentia quosdam Ecclesiarum magistros nova quadam dogmata predicare patiatur. Ut tentet vos, inquit, Dominus Deus vester. Et profectò magna tentatio est, cum ille, quem tu Prophetam, quem Prophetarum discipulum, quem doctorem & adsertorem veritatis putes, quem summa veneratione & amore complexus sis, is subito latenter noxios subinducat errores &c.* Tum adducit exemplum Nestorij, Photini, & Apollinaris; quos magnos viros fuisse constabat, & prævalidos hæreticorum adversarios.

EX FIDE PROBANDA EST VITA] Nimirum juxta mentem Tertulliani, qui in capite tertio libri de præscriptione hæreticorum sic loquitur: *Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?*

CVM LAVD. VITA SUPERBAM] id est, mentem. Ergo & in pannis quoque potest esse fastus. Ergo & hi quoque superbi esse interdum possunt, qui sancti esse dicuntur. Præclarè Optatus Milevitanus in libro secundo adversùs Parmenianum, & quidem appositè prorsùs ad mentem Agobardi: *Meliora inventa sunt peccata cum humilitate, quàm innocentia cum superbia.* Sic apud Sulpitium Severum in dialogo 1. cap. v. cum puer quidam aspidem illæsus apprehendisset, idque facinus fratres monasterij in modum miraculi extollerent; Abbas, ne infirma ætas insolesceret, virgis compescuit, dicitans *quia melior esset infirmitatis conscientia, virtutum vanitate.* Vide S. Gregorium in lib. 1 v. de cura pastorali,

VERA PASSIO] Apud Augustinum Tractatu VIII. in Evangelium Ioannis, & apud Prosperum in libro sententiarum ex Augustino cap. cccxxvi. legitur, *Vera nativitas, vera passio, vera mors, vera resurrectio. Si aliquid horum dixeris falsum &c.* Sed apud Augustinum non exstant hæc verba, *Quia ubi fuerit falsi alicujus corruptio, ibi veritatis integritas non erit.* quæ tamen leguntur apud Prosperum.

IGNORARE DIEM IUDICII] Idem crimen Felici exprobrat etiam Alcuinus in libro v. adversus eundem Felicem : *Tandemque illic pervenisti, inquit, ubi de die ultimi examinis idem Dominus loquitur : cujus diei cognitionem Christo, in quantum homo est, denegare laboras, ut ex tuis verbis agnosci potest.* Tum verba Felicis adducit, in quibus videbatur ita scripsisse. *Ipse est enim, inquis, qui secundum præscientiam deitatis diem judicij per Prophetam prædixit. Dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis mea venit. Ipse nihilominus est propter humanitatis naturam, qui in Evangelio secundum Marcum protestatur : De die autem illa & hora nemo scit, neque angeli cælorum, neque filius, nisi pater solus.*

ACCESSI AD EVM] nimirum in civitate Lugdunensi, ubi exulasse cum tradit Ado his verbis : *Felix Vrgellitanus Episcopus hæreticus deprehensus, adoptivum non proprium filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum dogmatizans : qui ad præsentiam Adriani Pontificis Romani deductus, hæresim verbis solummodo abdicavit. Synodus iterum facta contra dictam hæresim in Franconofurt, Legatis Apostolica sedis præsentibus Theophylacto & Stephano Episcopis, & auctoritate sanctorum Patrum convictus & damnatus est. Iterum Felix cum errore suo perpetuo exilio apud Lugdunum relegatus est, quem ferunt in ipso suo errore mortuum.* Sic enim habet vetus editio, meliùs profectò quàm ea quæ typis Sonnianis excusa est Parisiis anno M. D. LXXXIII. curâ Laurentij de la Barre, in qua postrema verba hujus loci sic leguntur : *convictus & damnatus est iterum Felix cum errore suo, perpetuòque exilio &c.* quod fraudi fuit eruditissimo viro Ioanni Marianæ.

NEC AD ME PERTINEBAT] Felix enim erat Episcopus in aliena provincia, in Narbonensi nimirum. Nam tum, post Maurorum in Hispanias adventum, excisa Tarracone, Episcopi illarum partium sub Metropolitano Narbonensi erant; ut pluribus dictum est in Notis ad Concilium Narbonense habitum adversus Felicem. Sic Faustinus Episcopus Lugdunensis de causa Marciani Arelatensis Episcopi cognoscere noluit, eò quòd esset Episcopus in aliena provincia, in Narbonensi nimirum; ut pluribus explicat illustrissimus vir Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis in libro primo de concordia sacerdotij & imperij cap. x. §. VIII. & lib. VII. cap. I. §. v.

CAP. V I.

POST MORTEM VERO EIUS] Hinc colligi potest (quod & Ado tradit) Felicem mortuum esse Lugduni. Quod etiam patet ex ipso libri istius initio: in quo Agobardus ait repertam à se post mortem Felicis fuisse scedulam quandam ab eo editam sub specie interrogationis & responsionis. Ex Lugduno autem, quòd eum relegatum puto à Karolo Magno anno DCCXCIX. post synodum Aquisgranensem, scriptam arbitror à Felice epistolam de fidei confessione ad Clerum & populum Virgellensem, quæ edita est inter opera Alcuini. Diù ergo post depositionem suam superstes fuisse videtur Felix, nimirum usque ad initium imperij Ludovici Pij.

DIVISIONEM NESTORII] Alcuinus in libro I. adversus Felicem: *Nos non sequimur nec Nestorianam divisionem, qui propter duas naturas duas personas in Christo inferere voluit, nec Eutychetis confusionem, qui propter unam personam unam naturam in Christo intexere voluit. Ambo à catholica fide deviantes, impietate pares, quia fidem rectam non tenuerunt; sed errore impares, quia iste confundit, ille dividit.*

CAP. VII I.

LASSESSERE] Sic omnino codex vetus. pro quo Massonus ediderat *stacessere*. Et scribendum erat *lassescere*, veterem eamque optimam orthographiam sequendo. Sed voluimus exhibere bona fide lectionem veteris codicis. Alcuinus in libro primo adversus Elipantem, loquens de diabolo: *Ille explorare volens, si filius Dei esset, quem esurire, sitire, & lassescere cernebat.*

PAULIANISTA] Ita codex manuscriptus. Neque video quid causæ esse potuerit ut Massonus *Apollinarista* ederet pro *Paulianista*. Nam diversus fuit Apollinaristarum error ab eo quem heic persequitur Agobardus. Vide Prædestinatum lib. I. cap. XLIV. XLV.

DE SOLO ADOPTIONIS NOM.] Hinc itaque discimus, non intra Christi naturam substituisse Felicem, sed aliis quoque erroribus implicitum fuisse; attamen ceteros illius errores non fuisse discussos in synodis, sed solam hæresim de adoptione filij Dei. Quod usurpatum in Concilio Narbonensi patet ex his verbis: *præsertim pro Felicis Vrgellitani pestifero dogmate*. Neque enim aiunt, *propter dogmata Felicis*, sed *pro dogmate*. Sanè ex Prologo Dungali confici potest Felicem eadem de imaginibus sensitisse quæ & Claudius Taurinensis sentiebat. Hæc sunt verba Dungali: *Cùm enim Dominus beatissima memoria Carolus, ferventissimus vigilantissimisque catholica fidei tutor & propugnator, nequissima caput vipera in magistro hujus erroris Felice, contra sibilantis unitatem Ecclesia apostolica auctoritatis prævalida confregerit virga &c.* quod etiam colligi potest ex libro primo Ionæ Aurelianensis adversus eundem Claudium Taurinensem. Vnde intelligas frustra esse Notatorem Concilij Eliberitani: qui ut Hispanos suos nunquam adversus imagines iniquos fuisse ostendat, contendit Felicem his opinionibus implicitum non fuisse.

MULTOTIES DE HOC CONVICTVS] Nimirum in Concilio Narbonensi an. DCCCLXXXVII. in Ratibonensi an. DCCXCII. Romæ apud Hadrianum Papam, in synodo Francofordiensi anno DCCXCIV. in Romana an. DCCXCIX. in Vrgellensi & Aquisgranensi anno eodem. Vnde constat verissimum esse quod annotat Agobardus, non solum ter, aut quater, sed multoties convictum fuisse Felicem.

EX INTIMO CORDIS SUI SENSU] Eventus ergo docuit falsò hæc ad Vrgellenses suos scripsisse Felicem: *Ad universalem Ecclesiam Deo favente ex toto corde nostro reversi sumus, non qualibet simulatione, seu velamine falsitatis, sicut dudum, quod Deus scit, sed, ut dixi, vera cordis credulitate & oris professione*. Nisi si tum

ita verè sentiebat Felix, postea verò mutavit.

CAP. XX.

CONFITERI] in M. S. erat *conferi*. pro quo Massonus perperam edidit *conferrì*. Nos, quia manifestum est legi debere *confiteri*, non dubitavimus quin respuenda esset emendatio Massoni.

SVA MORTE VIVIFICARET] Ex Sermone LXXV. in appendice Sermonum sancti Augustini: *Hoc fecit Dominus noster Iesus Christus, sua paupertate nos ditans, sua humilitate nos sublevans, sua infirmitate nos sanans, sua morte nos vivificans.*

B. HIERONYMI SENTENTIAM] Sumptus est hic locus ex epistola VII. ad amicum ægrotum de viro perfecto, quæ edita est To. IX. operum Hieronymi. Verùm hanc epistolam non esse Hieronymi contendunt viri eruditi. Agobardus non dubitabat quin esset Hieronymi.

B. AVGVSTINVS] in libro nimirum de fide ad Petrum. Sed hunc librum non esse Augustini, sed Fulgentij Ruspensis Episcopi, jam ostensum est à viris eruditis.

CAP. XXIII.

ADOPTARI IN FILIO] Ita codex vetus. Et manifestum est legitimam esse emendationem Massoni, qui edidit *in filium*. Sed quia frequenter Agobardus peccat in regulas grammaticæ, sic arbitrati sumus, retinendos quoque istos errores, ob reverentiam viri.

CAP. XXIV.

SYMMACHI PAPÆ] in Apologetico ad Anastasium Imperatorem. Sed paulò aliter legitur hic locus apud Symmachum, quam apud Agobardum. Pro his enim verbis, *Ergo ille est minimus &c.* quæ Agobardus habet, sic legitur in epistola Symmachi: *Ergo ille est minimus, qui sic credit in Christum, sed & hujusmodi in Christum credit, qui in integrum Christum credit &c.*

CAP. XXVI.

B. VIGILIVS] Thapsensis in Africa Episcopus. Assentior enim lubens eruditissimo viro Petro Francisco Chiffletio Presbytero è Societate Iesu: qui editis nuper ac vindicatis Vigilij hujusce lucubrationibus, ostendit eum fuisse Episcopum Thapsensem, quæ ci-

vitae erat Africae in provincia Byzacena. Vide Sirmondum in Notis ad Theodulfum pag. 277.

C A P. X X V I I.

PROCVLVVS CP. EPISCOPVS] in epistola ad Armenios, ex qua hunc quoque locum laudat Alcuinus in lib. IV. adversus Felicem. *De qua sententia*, inquit, *beatus Proclus Constantinopolitanus Episcopus in epistola ad Armenios ita ait: Apostolus dixit cum Christum, ut ostendat quia secundum veritatem Deus factus est homo. Dixit eum qui est, ut eum sine initio esse declaret. Dixit eum super omnia, ut totius creaturae dominum praedicet. Dixit eum benedictum, ut adoremus eum tanquam omnipotentem humiliter, nec ut conservum calumnijs appetamus.* Ceterum hanc Procli ad Armenios epistolam approbavit Ioannes Antiochenus cum orientali Concilio, ut docet Facundus in libro I. pro defensione trium Capitulorum cap. I. III. & lib. VIII. cap. I. qui & in lib. II. cap. II. docet ex Iustiniano eandem Procli epistolam susceptam confirmatamque à Chalcedonensi Concilio fuisse. Eandem epistolam laudat rursus Alcuinus in libro II. adversus Felicem, & Theodulfus Aurelianensis sub finem libri de Spiritu sancto.

C A P. X X X.

IN EXPVGN. ACEPHALOR.] id est, in libro V. adversus Eutychem cap. VI. ubi defendit synodum Chalcedonensem. Acephali enim, ævo Iustiniani Augusti, inensi fuere decretis Concilij Chalcedonensis. Acephali autem iidem cum Eutychiensis, ut docet Facundus Hermianensis in epistola quæ à Donno Luca Dacherio edita est. Quanquam illi non omnino sequebantur dogma Eutychetis; ideoque Semieutychianos vocat idem Facundus in libro I. pro defensione trium capitulorum cap. V. & lib. IV. cap. III. Vide Sirmondum in Notis ad librum secundum Facundi.

ET IDEO VNA PERSONA SVNT] id est; Christus & Ecclesia. Sic lib. VI. Capitularium cap. CCCII. legitur: *Porro Christum & Ecclesiam, unam personam esse non nescimus. Et ideo quæ Ecclesia sunt, Christi sunt; & quæ Ecclesia offeruntur, Christo offeruntur; & quæ ab Ecclesia ejus tolluntur, proculdubio Christo tolluntur.* Item capite CCCV. *Et quia Christum & Ecclesiam unam personam esse veraciter agnoscimus, quacunque Ec-*

clesia sunt, Christi sunt. Quomodo autem hæc intelligenda sint, apertè explicat sanctus Papa Gregorius in libro XIX. Moralium in Iob. cap. XI. ubi hæc leguntur: Quia Christum & Ecclesiam, unam esse personam crebèd jam diximus, illum videlicet hujus corporis caput, hanc autem illius capitis corpus &c.

CAP. XXXVII.

CAPVT EST NOSTRVM] In MS. sic legitur, *caput est Xpm.* quod ita legi debet, *caput est Christum.* quo modo etiam editum est à Massono. Sed ipse in Erratis admonuit legi debere *nostrum.* Et sanè necessaria est ista emendatio. Itaque sic edi debere arbitrari sumus.

DE VNITATE CHRISTI] Massonus edidit, & *propterea de diuinitate Christi &c.* nullo admodum sensu. In MS. legitur, & *propterea diuinitate Christi &c.* ex quo nos effecimus *de unitate.* Sic enim postulat sensus, ut manifestum est.

CAP. XLI.

B. AVITVS] Viennensis Episcopus. Vide Sirmondum in Notis ad epistolam XXVIII. Aviti, ubi hunc quoque Agobardi locum laudat. Sed hic Aviti locus paulò aliter legitur in editione Sirmondi, quàm apud Agobardum. Editio autem Agobardi congruit cum codice MS. qui extat penes clariss. virum Petrum Marnæsum Senatorem Gratianopolitanum.

EX EO QVOD PRÆMISIT] Aut periit Aviti opus, in quo fragmenta isthæc connexa erant; aut fatendum est, Agobardum memoria lapsum esse. Prius enim fragmentum sumptum est ex epistola secunda Aviti, pòsterius verò ex XXXIII.

CAP. XLIII.

FIDENTIVS] Fortassis intelligit Fidentium Episcopum & martyrem, cujus mentio extat in Sermone XXX. Augustini, inter eos quos Sirmondus edidit.



AD LIBRUM

DE INSOLENTIA IVDÆORVM.

AD EVND. IMP. DE INS.] Is est omnino libri istius titulus in veteri codice, quem visum est retineri debere. Sed hunc librum, seu veriùs epistolam, non divisimus in capita, quia id epistolæ brevitatis non patiebatur.

INNOTESCENS] id est, indicans, insinuans. activa significatione, ut tum solebat. Sic in Præceptis Regum, & in libris Capitularium: *Ille innotuit nobis*, id est, significavit. **Quin** & sanctus Papa Gregorius sic usurpavit pluribus in locis, ac nominatim lib. II. Indiçt. XI. epist. LXXXVI. lib. III. Indiçt. XII. epist. I. & alibi pluries.

GERRICVS] *Capis pralatus* in vita Ludovici Pij: in qua scriptum est eum anno DCCCXIII. missum ex Aquitania in Germaniam fuisse à Ludovico ad Karolum Magnum, ut eum *pro quibusdam necessariis consuleret*.

FREDERICVS] Missus Dominicus, ut docet Agobardus. idem fortasse qui post Ludovici Pij mortem adhæsit Lothario, ab eoque missus est ad Ludovicum & Karolum Lotharij fratres. quod scribit Nithardus extremo libro secundo. In Capitulis quoque Karoli Calvi Tit. XLIII. cap. XVII. extat mentio cujusdam magnatis, nomine Fredrici, qui fortassis idem quoque est cum hoc Frederico.

EVERARDVS] idem fortassis qui Eberardus vocatur in Annalibus Eginhardi, fuitque Magister Pincerbarum Karoli Magni, ab eo missus anno DCCCLXXXI: ad Thassilonem Ducem Bajoariæ.

MISSI VESTRI] id est, Legati; qui vulgò tum Missi Dominici vocabantur, quòd à Principe mitterentur. *Missi ergo Dominici dicebantur*, inquit Sirmondus in Notis ad Capitula Karoli Calvi, *quos Princeps extra ordinem in diversas regni partes ad justitias faciendas (sic enim loquebantur) cum amplissima potestate dirigebat.*

PERSECUTIONIS ADV. ECCL.] non quidem novæ alicujus persecutionis, ne quem heic fallat obicuum scribendi genus, sed veteris persecutionis quæ per trecentos circiter annos afflixit Ecclesiam, in initiis Christianismi.

INDICVLVM] Sic tum vulgò vocabant diploma Principis, quod in præsens dabatur. Nam quæ in futurum, Præcepta vocabantur. Inde in Formulæ Marculfi, *Indiculus Regis ad Episcopum ut alium benedicat.* Et in vita Desiderij Episcopi Cadurcensis: *Indiculus Dagoberti Regis ad Sulpitium Episcopum.*, Biturigensem videlicet, adeoque Metropolitanum Episcopi Cadurcensis, ut Desiderium, cui Rex episcopatum dederat, quamprimùm ordinet. Et alibi pluries. Interdum tamen Indiculus accipitur pro Edicto. ut apud Gregorium Turonensem lib. v. cap. XLV. *Per idem tempus Chilpericus Rex scripsit Indiculum, ut sancta Trinitas non in personarum distinctione, sed tantum Deus nominaretur.*

VICE COMITIS] Nam quia Comitatus committebantur viris magnæ dignitatis, quique rarò discedebant à latere Principis, illi in pagis sibi commissis viros instituebant, qui vice sua populos regerent. unde dicti Vicecomites. Sicut nostra tempestate videmus Cardinalem Nepotem Summi Pontificis, Legatum semper esse Avenionensem; ejus verò loco constitutum apud Avenionem Prælatum quempiam, qui vices illic Legati gerit, Vicelegatum ob hoc dictum.

TRACTORIAM STIPENDIALEM] id est, epistolam, cujus beneficio Missi suscipiebantur, & conjectum accipiebant, id est, pensitationem & tributum, quod ab iis handdubiè exigebatur quorum causa Legati mittebantur. In Tractoriis porrò adnotari solebat, quantum cuique Misso pro ejus conditione suppeditari oporteret. ideoque Tractoriam stipendialem vocat Agobardus. Vide quæ anno superiore diximus in Notis ad epistolam LXIII. Lupi Ferrariensis.

CAPITVLARIA SANCTIONVM] id est, Instructiones Missis datæ in causa Iudæorum, quæ valde favorabiles erant Iudæis, & iniquæ adversum Christianos. Ea de causa Agobardus, cui Ludovici pietas perspecta erat, adduci non potest ut credat ea capitula esse vera.

NANTYADENSIVM MONACHORVM] in

finibus Lugdunensium, vulgò Nantua. Hugo Flaviniacensis in Chronico: *Imperator ergo Carolus cognomento Calvus anno Dom. Incarn. DCCCLXXVII. Ind. XI. vita functus est pridie Nonas Octobris in finibus Lugdunensium, & sepultus Nantoade in monasterio sanctorum Petri & Pauli. Sed monitione angelica translatus Parisius, ad sanctum Dionysium regaliter tumulatur.* Chronicon sancti Benigni Divionensis & Chronicon Bevisense: *Carolus verò Galliam reversus, atque fines Lugdunensium pertingens, ibidem vita functus est, atque in monasterio Apostolorum Petri & Pauli conditus, loco qui dicitur Nantoide à multitudine aquarum ibi confluentium. Postmodum per admonitionem angelicam inde translatus Parisius, in Ecclesia sancti Dionysij regali sepultura est tumulatus.* Itaque in Præcepto Ludovici Balbi Regis pro Ecclesia Lugdunensi, cujus partem edidit Severtius, Nantoadense monasterium dicitur esse in pago Lugdunensi. Hodie tamen est extra regnum Franciæ, in ditone Ducis Sabaudiæ, media ferè via Lugdunum inter & Genevam, in Comitatu Beugij.

MANCIPIA EIS CHRISTIANA NON VENDERENT] Nihil heic peccaverat Agobardus. Nam istud ipsum decretum antea fuerat à Karolo Magno & Ludovico Pio. Lib. VI. Capitular. cap. CXXVII. *Placuit ne Iudais mancipia deserviant vel adhæreant Christiana.* & cap. CCCXVIII. *Præcipimus generaliter omnibus, ut mancipia Christiana Paganis vel Iudais non tradantur.* Et præcesserat Constantini Magni lex, cujus meminit Eusebius in libro I v. de vita ejus cap. XXVII. Itèmq; Honorij Theodosique AA. Constitutio, quæ extat in Codice Theodosiano: *Christiana mancipia Iudaorum nemo audeat comparare. Neq; enim estimamus religiosissimos famulos impiissimorum emptorum inquinari dominio.* Item Valentinianus Aug. in Appendice Codicis Theodosiani: *Iudais quoque vel Paganis causas agendi vel militandi licentiam denegamus. Quibus Christiana legis nolumus servire personas, ne occasione dominij sectam veneranda religionis immutent.* Vide S. Gregorium Papam lib. I I. epist. LXXV. LXXVI. lib. III. ep. XXI. & lib. XII. ep. XVIIII. Ivonem Carn. par. I. cap. CCLXXXI. & seq. & par. XIII. cap. XCVIII. Collectionem Bernardi Papiensis lib. V. Tit. V. Innocentium Ciro-

nium in Quintam Compilationem lib. v. Tit. III. & Decretales Gregorij I X. lib. v. Tit. VI.

AD HISPANIAS] ubi regnabant Sarraceni, portio Iudæorum. Quam ob causam Bodo Diaconus Palatii Ludovici Pij, (ad quem tum Subdiaconum extat, ut opinor, epigramma Vvalafridi Strabonis) cum se vertisset ad Iudæos, in Hispaniam commigravit ex Gallia, ad Sarracenos nimirum; ut diximus in Notis ad Lupum Ferrariensem pag. 348. 534. Ex eo autem constat hunc Bodonem fuisse oriundum ex ea regni Francici parte quæ Karolo Calvo cessit, quod cum ipse adversum Christianos in Hispania commorantes atrociter faveret, ut eos cogeret ad deserendam fidem Christianam, ij ad Karolum Regem & Episcopos in regno ejus constitutos lacrymabilem epistolam miserunt, orantes *ut memoratus apostata reposceretur, ne divitiis Christianis illic versantibus aut impedimento aut neci foret*; ut tradit auctor Annalium S. Bertini ad an. DCCCXLVII.

DE GLVBATAS] Ita vetus codex. pro quo Massonus edidit *delibatas*.

SI ALIQUIS HOMO] Fragmentum est orationis quam Agobardus Lugduni habuit adversum Iudæos, usque ad illa verba, *humani esse debeamus*.

SENIORI] id est, domino. vernaculâ linguâ, *Seigneur*. Vide Hier. Bignonij Notas ad Marcultum pag. 443. 458. & Davidis Blondelli Dissertationem de jure plebis in regimine ecclesiastico pag. 49.

DIVITIIS EORVM] id est, Iudæorum. Hæc fama semper comitata est Iudæos, ex quo Christiani prævalere cœperunt. Nam adnotat etiam Albertus Krantzius lib. VIII. Metrop. Salisburg. cap. XXI I. eos summas ubique opes comparasse. Anno M. XCVI I. cum Iudæi ex Bohemia in Poloniam & Pannoniam divitias suas furtim auferrent, ejusque fugæ rumor ad Ducem Breiclaum pervenisset, ille retineri eos jussit, thesaurisque eorum applicari fisco. Addit verò Cosmas Pragensis, qui hæc tradit: *O quantum pecunia miseris Iudæis est illa die sublatum! Nec ex succensa Troja tantum divitiarum in Euboico littore fuit collatum*. Vnde & ætate quoque nostra, quoties dicere volumus quempiam esse valde divitem, ita dicere solemus, *Dives est ac unus de Iudæis, Il est riche comme un Juif*. atque id quidem obti-

net etiam ubi Iudæi noti non sunt nisi de nomine.

PROPTER PATRIARCHAS] Abrahamum videlicet, Iacobum, & ceteros veteris testamenti Patres, & ob hoc, Iudæorum Patriarchas. Neque enim intelligendus est hic locus de Patriarchis Iudæorum per varias provincias distractorum. Illi enim desierant anno CDXXIX. ut Marca observavit in libro primo de Concordia cap. III. §. v.

NOVAS SYNAGOGAS] Indignatur Agobardus, quòd Iudæis tum liceret novas synagogas extruere, velut in contumeliam Christianæ religionis. Id verò ait esse contra legem. Ea autem extat in Codice Theodosiano l. 83. Tit. *De his qui super religione contendunt*, ubi Honorius & Theodosius AA. sic decernunt: *Qua nuper de Iudæis & synagogis eorum statuimus, firma permaneant. scilicet ut nec novas unquam synagogas permittantur extruere, nec auferendas sibi veteres pertimescant.* Hujus legis mentio extat apud sanctum Gregorium lib. VII. Indict. II. epist. v. *Quia sicut*, inquit, *legalis diffinitio Iudæos novas non patitur erigere synagogas, ita quoque eos sine inquietudine veteres habere permittit.* Ejusdem legis meminit iterum in epistola LVIII. ejusdem libri. Ad eam quoque legem respexisse videtur Alexander III. dum hæc scriberet: *Iudæos de novo construere synagogas, ubi eas non habuerunt, pati non debet. Verùm si antiqua corruerint, vel ruinam minantur, ut reedificent poteris aequanimiter tolerare, non autem ut eas exalcent, aut ampliores aut pretiosiores faciant quàm antea fuisse noscuntur; qui utique pro magno debent habere quòd in veteribus synagogis & suis observantiis tolerantur.*

MERCATA IN SABBATIS] Antiquum ergo est, quòd mercatoa fiunt in die Sabbati. Tum paulò pòst rationem hujus instituti affert Agobardus. Nimirum, ut coëmptis eo die necessariis, pòstridie liberius Christiani Deo servirent. Nam per totum diem, quoties festus erat, antiqui Christiani vacabant orationi; ut patet ex Facundo Hermianensi in præfatione librorum quos edidit pro defensione trium Capitulorum. *Vix mihi septem dierum*, inquit, *inducia data sunt, in quibus erant etiam duo festi.* Præclare igitur Ioannes Monlucius Episcopus Valentinus in libro de reformatione Cle-

ri Valentini & Diensis cap. xxxv. Non enim dies illos majores nostri ociosos ideo esse voluerunt, ut in his nihil ageremus, & tantum planè cessaremus; sed festorum ratio præcipuè in Christianis cessationem habet laborum & operum, ut sacra his diebus adeat populus, cultus Deo honorisque ac preces adhibeat, concionibus, publicis Ecclesia precibus, & votis adsit assiduus. Ob eas igitur nos causas ediximus, ut dies dominicos, & alios, qui in catalogo nostro enumerantur, accuratè omnes in nostris diocesibus agant, & religiosè: atque in primis curent ne his diebus ulla ludorum, fabularum, & aliorum id genus Indicrorum coitiones fiant. Tum ad probationem hujus capituli inter cetera adfert decretum Concilij provincialis Coloniensis, quod sic habet: Diligenter quoque populus admonendus est, cur feria, & potissimum dies dominicus, qui à temporibus Apostolorum in Ecclesia Dei semper celebris fuit, instituta sint. Nempe ut tum in unum omnes pariter convenirent ad audiendum verbum Domini, ad audiendum quoque sacrum, & communicandum; breviter, ad vacandum Deo soli; ut dies illa tantum orationibus, hymnis, psalmis, & canticis spiritualibus transigatur. Hoc enim est sanctificare sabbatum. Atque utinam hæc intelligerent Christiani nostrorum temporum, qui hæc omnia publicè nunc agunt quæ synodus Coloniensis & Ioannes Monlucius fieri à Christianis prohibuerunt. Nimirum refrigerante in dies caritate, superabundat iniquitas; ut futurum prædixit Christus Iesus in Evangelio secundum Matthæum.

TAM REGES] Regimen Ecclesiæ Gallicanæ dividit inter Reges & Episcopos. Ecclesia enim Principibus commissa est ad regendum; ut ait Karolus Magnus in præfatione librorum de non adorandis imaginibus, itémque synodus habita apud Theodonis-villam anno DCCCXLI. can. 1. Unde & Episcopi in synodo Parisiensi congregati anno DCCCXV. scribentes ad Ludovicum & Lotharium Imperatores, aiunt ipsos Principes universam sanctam Dei Ecclesiam Domino dispensante & committente gubernare. Et Ludovicus Pius ad Romanum Pontificem scribens, Spiritum sanctum sibi Ludovico datum esse ait. Sed nihil apertius, nihil Agobardicæ sententiæ congruentius, quàm quod aiunt Episcopi in canone 11. ejusdem Concilij apud Theo-

22 STEPHANI BALVZII
donis-villam. Quia bene nostis, inquit, ab illo, qui
solus meritis & Rex & Sacerdos fieri potuit, ita Ecclesiam
dispositam esse, ut Pontificali auctoritate & Regali potesta-
te gubernetur. Vide Marcam in libro secundo de Con-
cordia cap. primo.

CVM CONFRA TRIBVS CONTVLIMVS]
id est, cum Episcopis. Hinc itaque confici posse puto
sequentem epistolam fuisse scriptam è synodo quapiam,
cui interfuerit Agobardus. quod indicare videtur epi-
stola illa, quæ nomine trium Episcoporum scripta est,
& ab Agobardo simul missa ad Imperatorem Ludovi-
cum Pium. Fieri quippe potest ut hi tres Episcopi scri-
pserint nomine totius synodi, Agobardoque demanda-
ta cura sit mittendi epistolam synodicam ad Principem.
quod ille præstare noluit, quin relationem quoque
suam adjungeret. Et fortassis istud peractum est in sy-
nodo quæ anno DCCCXXIX. celebrata est apud Lug-
dunum, cui Agobardus & Bernardus interfuerunt.

CORDOBA] sive Corduba; quæ Sarracenorum
in Hispania sedes erat, ut docet Lucas Tudensis. quod
etiam colligi potest ex epistola Eulogij Cordubensis ad
Vviliesindum Episcopum Pampilonensem.

AD LIBRVM

DE IVDAICIS SVPERSTITIONIBVS.

EPISTOLA AGOB.] Titulus iste sumptus est
ex veteri codice. nec aliquid causæ esse potuit quodd
omitti debuerit in editione Pap. Massoni.

BERNARDI] Viennensis Archiepiscopi; ad quem
erant Paschalis I. & Eugenij II. Romanorum Ponti-
ficum epistolæ, quæ editæ sunt in Tomo IX. Car-
dinalis Baronij. Anno dein DCCCXXXIII. cum
Lotharius Augustus rebellaret adversus Ludovicum
Pium, plurimosque Episcopos in partes suas tra-
xisset, & in his Agobardum, Bernardus quoque Vien-
nensis in partes transfessus est; adeoque prævaluit fa-
ctio Lotharij, ut Ludovicus imperio dejectus fuerit,
& in carcere conclusus. Restituto demum Ludovico, A-
gobardus & Bernardus sedibus suis pulsi sunt, ob eam

perfidiam. Agobardus quidem, quòd adesse distulerit in conventu apud Theodonis-villam, quum ter fuisset evocatus. Bernardus verò, quòd post exhibitam presentiam suam in eo conventu, rursus per fugerit in Italiam ad Lotharium. Causa autem illa Agobardi & Bernardi tractata est in conventu Stramiacensi, haud procul Lugduno, anno DCCXXXVI. ut docet auctor vitæ Ludovici Pij: *in quo causam, inquit, Ecclesiarum Lugdunensis atque Viennensis vacantium ventilari fecit, eò quòd Episcopi dudum illarum. Agobardus quidem iussus ad rationem non venerit reddendam; Bernardus autem Viennensis affuerit quidem, sed rursus fugam inierit. Sed hac quidem res imperfecta remansit, propter absentiam, ut prædictum est, Episcoporum, Itaque supercederi placuit iudicio, quòd nemo absens & inauditus sit damnandus. Interim illi in gratiam redire cum Ludovico, eo nimirum tempore quo Lotharius patri reconciliatus est. Tuncque sedem suam uterque recepit, ut docet Ado Viennensis.*

E A O F] Ita disertè codex manuscriptus. tametsi in codice quoque M S. disertè scriptum sit paulò pòst EAOR. Sed verior haud dubiè est prior scriptio. Eaos enim illum haud alium esse puto quàm eum qui Faova nominatur in Chronico Besuensi, Episcopusque fuit Cabillonensis anno DCCCXXX, eodem nimirum tempore quo Lugdunensem Ecclesiam regebat Agobardus, subscripsitque circa annum DCCXXXVI. Privilegio Aldrici Archiepiscopi Senonensis pro monasterio sancti Remigij, ubi vocatur Fova, *To. 2. Spicilegij pag. 584.* Et apud Hincmarum in posteriori opere adversus Gothescalcum cap. xxxvi. inter Episcopos qui Ebbonem damnarunt recensetur *Favo Episcopus*, id est, hic noster Cabillonensis. *Faova* autem, *Fova*, & *Favo* scribi potuit perperam pro *Eaos*, facili amanuensium errore, ut nemo non videt, cum litera E parum differat à litera F. Nam quòd *Faova* scriptum est, non *Faos*; istud quemquam remorari non debet. Litera enim F interdum usurpabatur à veteribus librariis loco literæ V. Sic Fulradus Abbas S. Dionysij, Summusque Capellanus & Consiliarius Pippini Regis, Volradus vocatur in epistola Stephani III. Papæ ad Pippinum apud Baronium ad annum DCCXVI. cum tamen certum

fit nomen ipsi fuisse Fulrado, & in editione ejusdem epistolæ quæ extat in Codice Carolino Tit. VIII. disertè scriptum sit, *præcurrente industria Deo amabilis viri Folradi, tui fidelis*. Sic Fulda monasterium sancti Bonifacij, Volda nuncupatur in Narratione Clericorum Remensium de depositione Ebonis: *Issit cum deduci sub custodia ad Voldam monasterium S. Bonifacij*. Et Vulda in synodo Remensi adversus Arnulfum cap. XXIII. *Ebonem quoque Remorum Archiepiscopum idem molientem, per Rothadum Sueffonicum & Erchenradum Parisiorum Episcopum in Vuldensi monasterio pro similibus similia sustinuisse*. Sic in Chronico Hildensheimensi ad annum M. XCIII. Vratislaus Dux Bohemiæ vocatur Fratistlaus. Neque dubito, quin, si quis operam in hoc ponere velit, multò plura exempla sit reperturus. Porro errat Papirius Massonus, qui in Synopsi operum Agobardi existimat heic pro *Eaor*, legi debere *Ebon*.

CAP. I.

PRÆMISSA SCEDVLA] in epistola nimirum Agobardi, quæ missa est cum litteris Episcoporum Agobardi, Bernardi, & Eaof.

EXTREMITAS NOSTRA] id est, vilitas. Extremos hominum se dicunt viri modestissimi; quemadmodum Paulus se vocat omnium peripsema, & minimum Apostolorum, existimans se non esse dignum qui vocetur Apostolus. Sic Ionas Aurelianensis Episcopus in epistola ad Pippinum Aquitaniæ Regem: *Meam extremitatem apud serenitatem vestram astu diabolico diffamaverunt*. Idem in epistola ad Matfredum: *Meam extremitatem commonefecisti*. Sic enim legendum, non *extrenuitatem*, ut rectè illic monuit V. C. Lucas Dacherius. Sic in Privilegio Landerici Episcopi Parisiensis pro monasterio sancti Dionysij: *Dominus gloriosissimus Cludovicus Francorum Rex, divino irradiatus lumine, religiosa petitione humilitatis nostra extremitatem poposcit &c.*

COMPARATVS] id est, emptus.

CAP. II.

VITA EIVS] nimirum Hilarij Pictaviensis Episcopi. Sed hæc non extant in ea quæ Fortunati nomine hodie circumfertur. Itaque tum alia sancti Hilarij vi-

ta terebatur manibus hominum.

LVCVS VALENTINIANOR.] Integrum hunc locum ex vita sancti Ambrosij à Paulino scripta retulit Agobardus. Rhabanus verò, quum scriberet adversùs Iudæos, satis habuit referre de incendio synagogæ. idcòque omisit quæcunque narrantur de incendio Valentinianorum fano. Nam & Ambrosius in epistola xxix. memorat postremum illud incendium, ad Imperatorem Theodosium scribens. *Vindicabitur etiam, inquit, Valentinianorum fanum incensum? Quid est enim nisi fanum, in quo est conventus Gentilium? Licet Gentiles duodecim deos appellent, isti triginta & duos aonas colant, quos appellant deos.* De hoc Valentinianorum errore vide Tertullianum in libro de præscriptionibus hæreticorum cap. xxxiii. qui & peculiarem adversùs eos librum edidit.

SOLITAM PRO EO INTERCESSIONEM] id est, pro Imperatore. Solebant enim Principis nomen recitare inter mysteria. Tertullianus cap. xxx. Apologetici: *Nos enim pro salute Imperatorum Deum invocamus æternum.* Infrà: *Oramus pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quacunque hominis & Casaris vota sunt.* Et paulò post, istud præceptum esse Christianis docet auctoritate B. Pauli in epistola prima ad Timotheum. Neque tum videbatur necessarium ut nomen Imperatoris inter mysteria proferretur, quòd uni tantùm pareret orbis universus, adhucque in Ecclesia perseveraret sancta illa veterum Christianorum simplicitas. At postea quàm dividi orbis cœpit, próque innocentia & simplicitate fraus & dolus irrepere cœperunt inter Christianos, dubiùmque ob eas causas esse potuit pro quonam Rege sacerdos oraret, si nomen Principis taceretur, verbisque tantùm generalibus pro eo oraret Ecclesia; tum verò necessarium visum est ut nomen Principis recitaretur, quò fraudibus iretur obviam, intelligerentque populi eam esse mentem Ecclesiæ, ex divino præcepto & apostolica traditione descendente, ut illi Regi, qui tum imperitaret, fidem suam sanctam illibatamque servarent, vitamque ei prolixam, imperium securum, domum tutam, & cetera quæcunque ho-

minis & Regis vota sunt, precarentur, Itaque in libro Sacramentorum, qui Gregorio Magno tribui solet, disertè præcipitur ut nomen Regis pronuntietur inter mysteria: *Vna cum famulo tuo Papa nostro ill. & Rege nostro ill. & omnibus orthodoxis atque catholica & apostolica fidei cultoribus.* Et proferri quidem possent varia exempla hujus moris. Sed, omisissis ceteris, ab ætate nostra sumemus exemplum. Cùm ante hos viginti annos Catalani se justis ijsque necessariis de causis in fidem ac clientelam Ludovici XIII. Francorum Regis contulissent, ejusque se dominio volentes lubentésque subjecissent; manebat tamen adhuc in quorundam pectoribus insitum in Gallos odium, & occulta in Hispanos inclinatio. Horum ergo affectibus utebantur Hispani ad turbandum Catalonia statum. Sed opportunum in primis valdéque utile visum est, abuti monachorum virtutibus, ad quos tum in iis regionibus delapsa erat omnis ferè cura sacrarum concionum; quòd id genus hominum plurimum auctoritatis habeat apud plebem, præcipuè verò apud Catalanos, gentem religiosissimam. Ea tempestate vir illustrissimus Petrus de Marca, qui Tolosatium dein & Parisiensem Archiepiscopus fuit, in Cataloniam missus est cum amplissima potestate, ut provinciam recenter ad nos versam prudentia & sapientia ac ceteris bonis artibus, quibus plurimum valebat, Regi Christianissimo teneret, imperiòque Francico parere assuefaceret. Hic ergo cùm Barcinonem pervenisset, deque his rebus fuisset admonitus, Rectores monasteriorum illius urbis, quos Provinciales aut Superiores vocant, in suas ædes evocavit Idibus Iulij anni M. DC. XLIV. habitaque ad illos Latina oratione de meritis Ludovici XIII. Regis ejusque filij nunc regnantis in Cataloniam, deque fide quæ Principi debetur, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, ut ait Apostolus, quatuor eis capita proposuit ab universis per provinciam monachis observanda, quorum unum fuit istud: *Tertium quod à vobis exigo, illud est, ut inter Missarum solennia, juxta D. Pauli præceptum, antiquorum Patrum traditionem jam ab ipso Tertulliano testatam, ipsiusque Missalis Romani contextum, Regis Christianissimi specialis & expressa ab omnibus sacerdotibus fiat commemoratio; ita ut*

non tantum Regis mentio generaliter inyciatur, sed Ludovici nomen disertè exprimat, quemadmodum exigis usus Ecclesia quotidianus; ne aliqui suspicio inde nascatur, aliud animo geri, aliud verbis simulari. Postremo loco admonuit, non defuturos officio suo magistratus regios, si quid in hoc peccarent monachi. Sed ne pœnè viderentur constitutè tantum adversus monachos, ac si de ijs solis suspicio esset, literas deinde ad uniuscujusque diœceseos Vicarios generales dedit, in quibus eadem mandata continebantur. Extat autem epistola ejus ad Vicarios generales diœceseos Helenensis, in qua sic scriptum est: *In Orationibus quoque qua pro salute Regis inter Missarum solennia recitantur, Ludovici nomen disertè & specialiter exprimant.* Ceterum adversus hanc orationem Marcæ, puerilem admodum declamatiunculam eodem anno Tarracone edidit frater Petrus Moliner Trinitarius Magister, Theologiæ Doctor ac vespertinus Cathedraticus in Ilerdensi Licæo. His enim se titulis ornavit homo opinione sua doctus & eloquens; sed, quantum ex ipsius declamatiuncula colligi potest, Musis non tam invisus, quàm ignotus.

CAP. I V.

CVM ALIIS VIGINTI] in synodo nimirum Epaonenfi, quæ anno D X V I I. habita est, præside Avito Episcopo Viennensi, Sed heic Agobardus X X I V. tantum Episcopus ei synodo adfuisse docet, cum tamen X X V. reperiantur in vulgatis editionibus. Nisi si numerum rotundum ponere voluit, quod facilè crediderim. De loco porrò ubi habita est synodus illa, non una est omnium sententia, cæque res in diversum traxit ingenia hominum eruditorum. Sed neque ego velim dirimere eam litem. Ceterum silere non debeo vidisse me nuper vetustum codicem MS. epistolarum Aviti, & in his etiam esse epistolam ad Quintianum Episcopum, quam Sirmondus aliique post eum existimant esse Tractoriam ad Episcopos provinciæ Viennensis ut ad synodum veniant Epaonensem. Et omnino Epaonis nomen deest in eo codice, ubi locus de Concilio congregando sic habet: *Idcirco sanctos simul poscimus fratres, ut Deo favente octavo Iduum Septembrium die in parochia episcopatus vestri medius atque oportunus locus electus est, sicut & tempus &c.* Ex quo loco, licet valde corrupto,

colligi fortasse poterit sedes Epaonis, ut quę fuerit in confinio nonnullarum diœceseon regni Burgundionum, cùm Avitus dicat medium esse episcopatus Quintiani. quem Quintianum, ut hoc obiter dicam, ab Episcopo Arvernorum esse diversum, cathedrámque aliquam nobis ignotam tenuisse in regno Burgundico, atque fortēan in provincia Viennensi, planē persuasum habeo.

ITA INTER CETERA STATVERUNT] Sic etiam Rhabanus in cap. LV. libri adversus Iudęos. Quem librum, ut in hoc promam sententiam, ex hac Episcoporum epistola delibatum esse satis constat. Nam cùm illa, uti suprà diximus, è synodo quapiam missa esset, adeoque publicę auctoritatis robur haberet, per manus hominum volitare debuit, ut intelligerent omnes quęnam esset in hoc Episcoporum tractus Lugdunensis sententia. Vnde cùm postea in manus Rhabani pervenisset, atque illi data esset occasio scribendi adversum Iudęos, lucubrationem suam delibavit ex epistola illa synodica. Sic enim existimamus. Certè & observationes & auctoritates veterum easdem profert, & ijsdem ut plurimum verbis, quibus utuntur Episcopi ad Imperatorem Ludovicum Pium scribentes.

CAP. V.

XXXV. EPISCOPIS] in synodo Agathensi habita anno DVI. sub Cęsario Arelatensi. De qua synodo nos pluribus agemus in Notis ad Ruricium Lemoicensē; nonnullásque observationes adferemus, quę fortassis indignę non erunt eruditorum hominum curiositate. Vide Rhabanum in libro contra Iudęos cap. LVI.

CAP. VI.

ITA DEFINIERUNT] in synodo Matisconensi prima, quę anno DLXXXI. habita est, præside Prisco Lugdunensi Episcopo. Vide Rhabanum cap. LVII. ejusdem libri.

EDICTVM CHILDEBERTI] Mirum videri potest, cur Patres synodi Matisconensis urantur lege Childeberti adversum Iudęos, cùm potior apud illos esse debuisset videatur auctoritas Concilij III. Aureliensis, in quo illud ipsum statutum est quod Edicto Childeberti Regis continebatur. Nam canonem Aureliensem ne verbo quidem nominant. Et tamē non

non tantum Regis mentio generaliter injiciatur, sed Ludovici nomen disertè exprimatur, quemadmodum exigis usus Ecclesia quotidianus; ne alioqui suspicio inde nascatur, aliud animo geri, aliud verbis simulari. Postremo loco admonuit non defuturos officio suo magistratus regios, si quid in hoc peccarent monachi. Sed ne pœnæ viderentur constitutæ tantum adversus monachos, ac si de ijs solis suspicio esset, literas deinde ad uniuscujusque diœceseos Vicarios generales dedit, in quibus eadem mandata continebantur. Extat autem epistola ejus ad Vicarios generales diœceseos Helenensis, in qua sic scriptum est: *In Orationibus quoque qua pro salute Regis inter Missarum solennia recitantur, Ludovici nomen disertè & specialiter exprimant.* Ceterum adversus hanc orationem Marcæ, puerilem admodum declamatiunculam eodem anno Tarracone edidit frater Petrus Moliner Trinitarius Magister, Theologiæ Doctor ac vespertinus Cathedraticus in Ilerdensi Lyceo. His enim se titulis ornavit homo opinione sua doctus & eloquens, sed, quantum ex ipsius declamatiuncula colligi potest, Musis non tam invisus, quàm ignotus.

CAP. I V.

CVM ALIIS VIGINTI] in synodo nimirum Epaonensi, quæ anno D X V I I. habita est, præside Avito Episcopo Viennensi. Sed heic Agobardus X X I V. tantum Episcopos ei synodo adfuisse docet, cum tamen X X V. reperiantur in vulgatis editionibus. Nisi si numerum rotundum ponere voluit, quod facilè crediderim. De loco porro ubi habita est synodus illa, non una est omnium sententia, eaque res in diversum traxit ingenia hominum eruditorum. Sed neque ego velim dirimere eam litem. Ceterum filere non debeo vidisse me nuper vetustum codicem M S. epistolarum Aviti, & in his etiam esse epistolam ad Quintianum Episcopum, quam Sirmondus alique post eum existimant esse Tractoriam ad Episcopos provinciæ Viennensis ut ad synodum veniant Epaonensem. Et omnino Epaonis nomen deest in eo codice, ubi locus de Concilio congregando sic habet: *Idcirco cunctos simul poscimus fratres, ut Deo favente octavo Iduum Septembrium die in parochia episcopatus vestri medius atque opportunus locus electus est, si-
cui & tempus &c.* Ex quo loco, licet valde corrupto,

colligi fortasse poterit sedes Epaonis, ut quæ fuerit in confinio nonnullarum diœceseon regni Burgundiõnum, cum Avitus dicat medium esse episcopatus Quintiani, quem Quintianum, ut hoc obiter dicam, ab Episcopo Arvernorum esse diversum, cathedrãque aliquam nobis ignotam tenuisse in regno Burgundico, planè persuasum habeo.

ITA INTER CETERA STATVERUNT] Sic etiam Rhabanus in cap. LV. libri adversus Iudæos. Quem librum, ut in hoc promam meam sententiam, ex hac Episcoporum epistola delibatum esse satis constat. Nam cum illa, uti suprã diximus, è synodo quapiam missa esset, adeoque publicæ auctoritatis robur haberet, per manus hominum volitare debuit, ut intelligerent omnes quanam esset in hoc Episcoporum tractus Lugdunensis sententia. Vnde cum postea in manus Rhabani pervenisset, atque illi data esset occasio scribendi adversum Iudæos, lucubrationem suam delibavit ex epistola illa synodica. Sic enim existimamus. Certè & observationes & auctoritates veterum easdem profert, & iisdem utplurimum verbis, quibus utuntur Episcopi ad Imperatorem Ludovicum Pium scribentes.

C A P. V.

XXX. EPISCOPI] in synodo Agathensi habita anno DVI. sub Casario Arelatensi. De qua synodo nos pluribus agemus in Notis ad Ruricium Lemovicensem; nonnullasque observationes adferemus, quæ fortassis indignæ non erunt eruditorum hominum curiositate. Vide Rhabanum in libro contra Iudæos cap. LVI.

C A P. VI.

ITA DEFINIERUNT] in synodo Matisconensi prima, quæ anno DLXXXI. habita est, præside Prisco Lugdunensi Episcopo. Vide Rhabanum cap. LVII. ejusdem libri.

EDICTVM CHILDEBERTI] Mirum videri potest, cur Patres synodi Matisconensis utantur lege Childeberti adversum Iudæos, cum potior apud illos esse debuisset videatur auctoritas Concilij III. Aurelianensis, in quo illud ipsum statutum est quod Edicto Childeberti Regis continebatur. Nam canonem Aurelianensem ne verbo quidem nominant. Et tamen non

adco vetus erat memoria illius Concilij, ut non etiam superesse potuerint qui in eo presentes fuissent. Itaque videtur hinc elici, non antè vim legis habuisse canones Conciliorum, quàm à Principe confirmati fuissent. Hęc autem confirmatio fiebat per Edictum publicum. Et quia promptior est executio Constitutionum principalium, præcipuè apud magistratus, quorum curę commissa est legum tuitio & executio; ideo Patres Matisconenses, quò magistratum favorem sibi concilient, decernere se profitentur juxta Edictum Childerti Regis, atque interim ea ratione factum Principis approbant. Ceterùm hunc Concilij Aurelianensis canonem describet infrà Agobardus in capite septimo hujus libri.

CAP. VII.

SANCTVS LVPVS] Lugdunensis Episcopus, qui Concilio Aurelianensi III. præfuit anno DXXXVIII. Errat enim Rhabanus, cùm hunc ex Agobardo locum describens, Lupum illum ait fuisse Treassenorum Episcopum. Sic enim ait in capite LVIII. libri adversùm Iudeos: *Sanctus Lupus Treassenorum Episcopus, & cum eo alij XXIV. Episcopi, vel vicarij Episcoporum &c.* Nam Lupus Tricassium Episcopus mortuus erat diù antè quàm synodus illa Aurelianensis haberetur.

CAP. IX.

ECCLESIASTICA STATVTA] Rectè admonent Episcopi, ecclesiastica statuta esse firmanda per acta apostolica, id est, regulas ecclesiasticas non posse videri equas, nisi constet eas congruere traditioni. Quare non injuria adnotatum est ab optimo Mæccenate meo in libro v. de Concordia Sacerdotij & Imperij cap. IX. §. III. quęcunque olim apud synodos proferebantur, ab ijs non simpliciter, sed cum inquisitione approbari solita; nempe si congruerent cum expositione & doctrina Patrum. Quare, ut idem auctor ait in capite octavo ejusdem libri, illud olim anxie in synodis disquirebatur, an nova cujuscumque Pontificis Romani epistola cum Scripturis & Canonibus congrueret; ut ita demum auctoritate illius omnes tenerentur, atque duobus veluti vinculis in fide confirmati essent, definitione Pontificis, & declaratione synodi. hunc esse Marciani Aug. sensum, cùm scripsit illa que

CAP. XII.

TITI IVSTI] Vox *Iusti*, non extat in codice manuscripto. Eam tamen habet editio Massoni, quæ Titi nomen, quod habetur in veteri codice, omisit. Vtrumque autem vocabulum extat hoc loco in Actis Apostolorum. Itaque retinuimus ob eam causam utrumque.

CAP. XIII.

DEDUCENTES SECVM] In cod. M S. hic locus ita legitur: *deducentes apud hospitarentur Iasonem &c.* Pro quo Massonus edidit: *deducentes secum, ut hospitarentur Mnas.* Sed in Actis Apostolorum cap. XXI. legitur: *adducentes secum, apud quem hospitarentur, Mnasonem.* Itaque Actorum auctoritate constituimus lectionem quæ nunc extat in editione operum Agobardi.

CAP. XVI.

IN LIBRIS CLEMENTIS] nimirum in fine libri secundi Recognitionum. Et manifestum est existimasse Agobardum hanc Clementis lucubrationem esse apocrypham. Itaque dubium non est quin secundum Agobardi sententiam Itinerarium B. Petri, à Clemente scriptum, illud ipsum opus sit quod sub Recognitionum titulo nunc quoque extat. id quod Bellarmino etiam probabile visum est.

CAP. XVII.

COMMUNE HABVISSE CONVIVIVM] Ita visum est edi debere pro eo quod editio Massoni habet *commune cavisse convivium.* Nam in codice M S. sic omnino scriptum est, *vel Apostoli credendis comune anisse convivium.* ex qua scriptione constituimus veram lectionem.

CAP. XVIII.

SVB CLAVDIO] Hujus famis meminit Eusebius in libro II. Hist. Eccles. cap. VI & I. & in Chronico; ubi eam contigisse ait, ut Baronio visum, quarto imperij Claudij Augusti anno. Verum in Chronico Eusebij nihil de anno quo fames illa contigit. Ait enim tantum, quemadmodum & in Historia, eam contigisse sub Claudio. Quare perperam hoc loco Eusebium corrigit Baronius; qui eam famem revocat ad secundum Claudij annum, auctoritate Dionis Cassij. Iosephus tamen

quæstio in Gallia. Anno dein DCCCXVII. in partes Pippini Regis Italiæ, adversus Ludovicum patrem rebellantis, transisse creditus, deficiente conspiratione, punitisque auctoribus, Adalardus apud monasterium sancti Philiberti in Aquitania situm relegatus est; id est, apud insulam Hero, in qua situm erat monasterium sancti Philiberti, ut patet ex vita Philiberti apud Duchesnium, & ex Ademaro Cabanensi. Monasterium autem illud hodie vocatur Nigrum-Monasterium, vulgò *Noirmonstier*, in diœcesi Lucionensi. In hac ergo insula clausus Adalardus usque ad annum DCCCXXI. quo revocatus ab exilio, redditusque est monasterio Corbeïensi, ut narrat Eginhardus: *Adalhardum quoque de Aquitania, ubi exulabat, evocatum, Corbeia monasterio, ut prius fuerat, Abbatem ac rectorem esse iussit.* Auctor vitæ Ludovici Pij: *Adalhardum etiam Abbatem quondam Corbeia monasterij, sed tunc in sancti Filiberti monasterio consistentem, magisterio priori reddidit.* Auctor Annalium sancti Bertini ad annum DCCCXXII. *Domnus Imperator consilio cum Episcopis & Optimatibus suis habito, fratribus suis, quos invitos tonderi iussit, reconciliatus est; & tam de hoc factò, quàm de his qua erga Bernardum filium fratris sui Pippini, necnon & his qua circa Adalhardum Abbatem & fratrem ejus Vvalachum gesta sunt, publicam confessionem fecit, & pœnitentiam egit.* Sed falsam fuisse accusationem adversus Adalhardum conqueritur auctor libri de constructione Novæ Corbeïæ: *Tunc accesserunt ad eum (id est, ad Ludovicum Pium Imp.) viri pestilentes, & ejecerunt eum de honore suo absque culpa, & exiliarunt sine causa.* Rursum itaque consiliorum Ludovici particeps factus, principem locum apud eum occupavit; ut colligi potest ex Hincmaro in epistola XI V. ad Proceres regni cap. XII. *Adalhardum senem & sapientem, Domni Caroli Magni Imperatoris propinquum, & Monasterij Corbeia Abbatem, inter primos Consiliarios primum in adolescentia mea vidi: cujus libellum de ordine Palatij legi & scripsi.* Mortuus est anno DCCCXXII. postridie Kal. Ianuarij, cum anno superiore Brevem sive Libellum conscripisset de iis quæ deinceps observari volebat in monasterio Corbeïensi. qui liber editus est in Tomo I V. Spicilegij Domni Lucæ Dacherij monachi Benedictini.

VVALÆ] Adalhardi fratri, post quem factus est Abbas Corbeïensis. Vnde in vita Ludovici Pij Vvala dicitur affinis ejusdem Imperatoris. Et ne quis dubitet heic agi de Vvala isthoc, habemus auctoritatem Eginhardi, cujus hæc sunt verba ex Annalibus ad annum DCCCXXII. *Lotharium verò filium suum in Italiam misit: cum quo Vvalachum monachum propinquum suum, fratrem videlicet Adalhardi Abbatis, & Gerungum Ostiariorum Magistrum, unà misit.* Obiit anno DCCCXXV. apud Lotharium Imperatorem, ut scribitur in vita Ludovici Pij. Ejus hoc extat elogium apud Paschasium Radbertum in vita Adalhardi: *Deinde Vvala, virorum clarissimus, qui ei successit, postea monachorum pater eximius, tunc temporis primus inter primos, & cunctis amabilior unus, nimia familiaritate Regi inharens, & maxima Præfecturæ dignitate subvectus, in Senatu clarior cunctis, in militia verò prudenti animo fortior universis; quem tanta laus sequebatur in omni vita negotio, ut longè plus censeretur amore posse, quàm omnium fastus etiam & tyrannis reliquorum. Erat enim justitia custos, & decus honestatis, oppressorum quoque justus oppressor.* Vocatur autem Vvalo in libro de constructione Novæ Corbeïæ, & in Annalibus Eginhardi ad annum DCCCXII.

HELISACHARO] Presbytero, & Abbati Centulensis monasterij, quod in diœcesi Ambianensi situm est; ut docet Hariulfus in libro III. Chronici Centulensis cap. IV. qui addit eum fuisse rectorem monasterij Gemmeticensis. Virum fuisse magnæ dignationis patet vel ex solo libelli istius titulo, ubi nominatur inter Procures Palatij. Sed præterea habemus auctoritatem Eginhardi, apud quem sic scripum est ad annum DCCCXXVII. *Imperator Helisachar Presbyterum & Abbatem, & cum eo Hildebrandum atque Donatum Comites, ad motus Hispanica Marca componendos misit &c.* Et testatur Amalarius Abbas in libro De Ordine Antiphonarij, hunc Helisacharum fuisse primum inter primos Palatij Imperatoris Ludovici. Cancellarium Ludovici Pij fuisse ex eo patet, quòd in aliquot Ludovici Præceptis Durandus Diaconus subscribit ad vicem Helisachar. Adstitit porrò B. Benedicto Anianensi Abbati morienti, ut in ejus vita tradit Smaragdus.

ABSOLVTIONEM DISCEDENDI] id est, licentiam abeundi. Absolvendi enim verbo per eas tempestates utebantur pro eo quod Latini dicerent facere potestatem discedendi. Veluti, *Absolvere Legatos.*

BAPTISMVM POSTVLANTES] Servi nimirum sive mancipia Iudæorum; qui Iudæi tamen non erant, sed pagani. Hi ergo quum versarentur Lugduni inter Christianos, morésque eorum ac religionem approbant, ad Ecclesiam accedebant, baptismum postulantes. Et contradicebant Iudæi, ne mancipia amitterent, quæ illis pretio constiterant. Sed pretium emptionis offert Agobardus, juxta Canones, modò liceat eos servos facere Christianos. Sanè malus animus esse poterat in servis illis; qui, ut in libertatem vindicarentur, Christianam fidem amplecti se velle fortassis simulabant. nam lege cautum erat, *Ne Iudæis mancipia deserviant vel adhæreant Christiana*; uti diximus ad librum de insolentia Iudæorum. Neque nova tum erat hæc servorum calliditas. Iam enim tempore Concilij Gangrensis, nonnulli ab obsequio dominorum recedebant, quòd illi non essent Christiani. Vnde canonis tertij Gangrensis lemma sic expressit Dionysius Exiguus: *De servis qui jugum famulatus abjiciunt Christianitatis obtentu.* Canon autem sic habet: *Si quis servum, prætextu divini cultus, doceat dominum contemnere proprium, ut discedat ab ejus obsequio, nec ei cum benevolentia & omni honore deserviat, anathema sit.* Ævo quoque Gregorij Magni, dum a Iudæis visa est hæc servorum ancillarumque industria. Sic enim ait Gregorius lib. III. Indict. XII. epist. IX. *Pervenit etiam ad nos, servos ancillâsque Iudæorum, fidei causa ad Ecclesiam refugientes, aut infidelibus restitui dominis, aut eorum, ne restituantur, pretium dari &c.* Vide eundem Gregorium lib. V. Indictione XI V. epist. XXXI. & Gelasij Papæ epistolam ad Siracusium, Constantium, & Laurentium Episcopos, apud Ivonem parte XIII. cap. CXIII. Sed hi quoque loci Gregorij adstruunt sententiam Agobardi. Nam jubet omnino Gregorius ut servi Iudæorum ad Ecclesiam refugientes, in libertatem modis omnibus vindicentur, sive jam olim Christiani fuerint, sive recenter baptizati sint.

IN HOC PERMANERET] id est, neminem

post acceptum baptisma liberari à servitute, juxta sententiam Pauli in cap. VII. epistolæ primæ ad Corinthios. quò etiam respicit canon Gangrensis suprà laudatus.

CARNALES DOMINOS] Salvianus in libro III. de Gubernatione pag. 58. *Quaquam nos non hæc solum injuria contemnamus Deum, qua contemni à servis suis domini carnales solent.*

SVBICIT EOS CHRISTO] id est, paganos, quos bello vicit. Eadem phrasis usurpata reperitur etiã à Stephano Tornacensi in epistola CLXX. ad Canutum Regem Danorum: *Petimus ut vos, qui totiens armis superatis idololatrias & jago subjicitis Christiano &c.* Sic Karolus Magnus Saxones ægrè ferens non esse Christianos, arma in eos movit; sic statuens, non antè finem bello impositurum, quàm Christo subjicerentur. Eginhardus in Annalibus ad annum DCCCLXXVI. *Cùm Rex in villa Carisaco hyemaret, consilium iniiit ut perfidam ac fadifragam Saxonum gentem bello aggrediretur, & eò usque perseveraret, dum aut victi Christiana religioni subjicerentur, aut omnino tollerentur.* Feliciter id evenisse quod Karolus animo conceperat, testatur Eginhardus, & cum eo ceteri Annalium Francicorum scriptores. Sed præcipua tamen auctoritas tribuenda est testimonio Ludovici Pij, qui sic loquitur in Præcepto quod ad paganos ad Christianitatem invitandos fieri præcepit: *Genitor etiam noster gloriosa memoria Karolus omnem Saxoniam ecclesiastica religioni subdidit, jugumque Christi adusque ad terminos Danorum atque Slavorum, corda ferocia ferro perdomans, docuit. Quibus verò artibus usus sit Karolus adversùs Saxones, ut eos Christo subjiceret, non alius esse potest testis luculentior, quàm ipse Karolus: qui lege lata edixit, ne cui Saxonum liceret non esse Christiano, sub pœna capitis. Hæc sunt verba ejus è Capitulatione de partibus Saxonix, ab Holstenio edita, cap. VII. Si quis deinceps in gente Saxonum inter eos latens non baptizatus se abscondere voluerit, & ad baptismum venire contempserit, paganusque permanere voluerit, morte moriatur.* Hinc factum putat antiquus scriptor libri de constructione Novæ Corbeix in Saxonia, ut Karolus præ omnibus Christianis Regibus potentissimus in bello fuerit. *Post obitum namque*

nobilissimi Regis Pippini, inquit, Karolus filius ejus regnum obtinuit Francorum universum. Cui Dominus tantam contulit virtutem, atque potentiam, ut non solum Francorum regnum strenuè gubernaret, sed etiam multas barbarorum gentes circumquaque subjugaret. Vnde factum est, ut gentem Saxonicam, qua olim contra Francos rebellabat, non solum suo dominio subegisset, sed & melius Christi nomini dicare meruisset. Nam & hunc ideo pra omnibus Christianis Regibus potentissimum in bellis fuisse credimus, quia quos suo dominio subjugabat, Christi nomini dedicabat. Quibus adde loca quæ vir doctus Iohannes Launoius Theologus Parisiensis congestit in cap. v. libri quem scripsit de veteri more baptizandi Iudæos & Infideles. Ceterum quod in libro de constructione Novæ Corbeix vides Karolum Magnum Christi nomini dedicasse gentes quas suo dominio subjugabat; meminisse debes, lector, non solos Saxones ad fidem Christianam ejus opera conversos esse, sed Hunos quoque, & Avaros, ut observat Sirmondus ad Theodulfum pag. 287. Et diù ante Karolum præcesserat exemplum Clodovei Francorum Regis, illius qui primus Francorum Principum Christo nomen dedit. Is enim, si qua fides inedito scriptori vitæ sancti Domini Lemovicensis anachoretæ, edicto per omnes Imperij Francici provincias misso iussit ut, relicto idolorum cultu, cuncti se verterent ad religionem Christi. Hæc sunt verba illius scriptoris: *Illo itaque tempore Clodoveus Rex Galliam atque Germaniam regebat, vir armis strenuus, eloquentia sacundus; & omnes Francigenæ, tam Christiani, quàm Pagani, ejus dominatui subjacebant. Ipse verò Rex, ab exordio sua prolis, Gentilis extitit. Sed divina inspirante clementia Redemptoris, per admonitionem sancti Remigij Remensium Archiepiscopi, ad Catholicam fidem, Domino favente, Christianus efficitur. Qui demum Rex, postquam à sacro fonte levavit, nuntios per universas mittens provincias, qua ejus potestati subjecta aderant, edixit, ut omnia falsorum templa deorum confringerentur, atque ignibus cremarentur, & Deum unum & verum & omnipotentem crederent, illique soli deservirent. Si quis verò hoc regale decretum contemnere præsumpserit, reum feregalis majestatis agnoscat. Constat ergo vi quandoque actum adversus paganos, ut idolorum cultum de-*

tererent, fideique se Christi applicarent. Quid ergo
 faciemus Tertulliano, Hilario, Hieronymo, Augu-
 stino, Cassiodoro, aliisque nonnullis venerandæ me-
 moriæ viris, qui perspicuè docent religionem non esse
 cogendam, nec imperandam. Nam Tertullianus qui-
 dem hæc disertè scribit ad Scapulam cap. 11. *Sed nec
 religionis est cogere religionem; qua sponte suscipi debeat,
 non vi.* Hilarius autem in epistola ad Constantium
 Aug. diù multùmque versatur in ostendendo religionem
 cogi non debere, ac neminem credere invitum. Hiero-
 nymus in commentario in caput secundum epistolæ pri-
 mæ Pauli ad Timotheum: *Hic probatur nemini oportere
 ad credendum vim inferre, nec tollere arbitrij libertatem.*
 Sanctus Papa Gregorius lib. 1. epist. xxxiv. *Eos enim
 qui à religione Christiana discordant, mansuetudine, be-
 nignitate, admonendo, suadendo, ad unitatem fidei ne-
 cesse est congregare; ne quos dulcedo prædicationis, & præ-
 tentus futuri judicis terror ad credendum invitare poterat,
 minis & terroribus repellantur.* Quanquam sibi repugna-
 re videtur idem Gregorius lib. 111. epist. xxxvi. in
 qua sic scribit ad Ianuarium Episcopum Calaritanum:
*Accidit autem aliud valde lendum; quia ipsos rusticos,
 quos habet Ecclesia tua, nunc usque in infidelitate rema-
 nere negligentia fraternitatis vestra permisit. Et quid vos
 admonéo ut extraneos ad Deum adducatis, qui vestros ab
 infidelitate corrigere negligitis? Vnde necesse est vos per
 omnia in eorum conversione vigilare. Nam si cujuscumque
 Episcopi in Sardinia insula paganum rusticum intrinse
 potuero, in eundem Episcopum fortiter vindicabo. Iam ve-
 rò si rusticus tanta fuerit perfidia & obstinationis inven-
 tus, ut ad eum venire minimè consentiat, tanto pensionis
 onere gravandus est ut ipsa exactionis sua pena compella-
 tur ad reëitudinem festinare. Nimirum juxta mentem
 Augustini; qui Petiliano libertatem arbitrij in causa
 fidei esse debere dicenti sic respondit libro 11. contra
 litteras Petiliani cap. x. *Nam si hoc inventum fuerit
 quòd impiè feceritis; non miremini, si non desunt ministri
 Domini per quos flagellamini; quia persecutionem patimini
 non à nobis, sed, sicut scriptum est, ab ipsis factis ve-
 stris.* Item cap. lxxxiii. *Ad fidem nullus est cogen-
 dus; sed per severitatem, immo & per misericordiam Dei,
 tribulationum flagellis solet perfidia castigari. Numquid**

quia mores optimi libertate voluntatis eliguntur, ideo mores pessimi non legis integritate puniuntur? Et paulò post: Si qua igitur adversus vos leges constituta sunt, non eis bene facere cogimini, sed male facere prohibemini. Nam bene facere nemo potest, nisi elegerit, nisi amaverit. quod est in libera voluntate. Cùm aliquid adversus vos Reges constituunt, admoneri vos credite ut cogitetis quare ista vos patiamini. Ceterùm adeo semper visum est æquum, religionem cogi non debere, ut cùm anno D C X X X I X. Legati Sedis Apostolicæ agerent in urbe Constantinopolitana, Græcique ab eis conarentur extorquere subscriptionem cujusdam erroris, apertè ita responderint: *Nequo enim est qui cuilibet, maximeque in causa fidei, vim possit inferre*; ut docet sanctus Maximus in epistola ad Abbatem Thalassium, quæ edita est in Collectaneis Anastasij Bibliothecarij. Alia veterum loca si quis requirat ad ostendendum religionem cogi non debere, difficile non erit exhibere. Nam & ab aliis jam collecta sunt. Vide Ivonem parte I. capite C C L X X V I. & parte X I I I. cap. X C I V. itémque Gratianum Dist. X L V.

SECUNDVM STATVTA PRIORVM] nimirum juxta canonem X V I. Concilij I. Matisconensis, qui suprâ descriptus est in libro de Iudæicis superstitionibus cap. V I.

MAGISTER IVDÆORVM] id est, Evrardus, ut patet ex epistola sequenti data ad Nibridium Narbonensem Episcopum: *Tentaverunt porrò quidam Missi, inquit, & Evrardus maxime, qui Iudæorum nunc magister est &c.*

BREVICVLVM] id est, inventarium, ut adnotavimus ad epistolam primam Lupi Ferrariensis. Brevem enim antiquitas dixit quod nos hodie dicimus inventarium. Unde & Eusebius lib. X. cap. V I. Hist. Eccles. retinuit hanc vocem in contextu Græco. Eodem sensu usurpata reperitur hæc vox in Codice Theodos. l. 3. de indulgentiis debitor. & l. 1. de studiis liberalibus urbis Romæ & C P. Hinc illud Optati in libro primo adversus Parmenianum: *Brevis auri & argenti sedenti Caciliano, sicut delegatum à Mensurio fuerat, traditur.* quo loco vide Notas Balduini; qui tamen veram hujus vocis significationem non satis assequutus fuisse videtur. Inde *abreviare* in Capitulis Karoli Calvi, & apud Hincmarum in præfatione libri I V. capitulorum,

pòst quàm Agobardus factus est Archiepiscopus Lugdunensis.

DEBITA SOLLICITVDINE] Episcopi enim tenentur circumire suas parochias, id est, diœceses. Concilium Tarraconense can. VIII. *Multorum causa experientia magistrante reperimus nonnullas diœcesanas Ecclesias destitutas. ob quam rem hac constitutione decrevimus, ut antiqua consuetudinis ordo seruetur, & annuis vicibus ab Episcopo diœceses visitentur. Et si qua foris Basilica reperta fuerit destituta, ordinatione ipsius reparari præcipiatur.* Concilium IV. Toletanum can. XXV. *Episcopum per cunctas diœceses parochiasque suas per singulos annos ire oportet, ut exquirat quid unaqueque Basilica in reparationem sui indiget. Quod si ipse, aut languore detentus, aut aliis occupationibus implicatus, id adimplere nequiverit, Presbyteros probabiles aut diacones mittat, qui & redditus Basilicarum, & reparationes, & ministrantium vitam inquirent.* Quam ultimam legem, tametsi desidia quorundam Episcoporum nimis favorem, renovavit Concilium Tridentinum Sess. XXIV. cap. III. De Reformatione. Neque enim dubitandum est, quin, si Tarraconensis synodi canon per omnes ubique provincias sancitus esset, neque temperamentum ei attulissent posteriores regulæ; dubitandum inquam non est, quin nonnulli Episcopi, qui desidia inficitæque suæ prætendunt occupationes, laboraturi fuerint pro viribus ne quid peccarent adversus Canones. Intelligent enim, si Canones non ignorarent, quæ pœna immineret contemptoribus Canonum. Valde ergo laudanda est Regum ævi Agobardici prudentia & religio, qui Episcopis, quibus solis tum competeat potestas confirmandi Christianos, necessitatem imposuerunt circumeundi annuatim suas diœceses. Libro VII. Capitularium cap. XCIV. *Statuimus ut singulis annis unusquisque Episcopus parochiam suam sollicitè circumeat, populum confirmare, & plebes docere, & investigare & prohibere paganas observationes, divinòsque, vel sortilegos, auguria, filacteria, incantationes, vel omnes spurcitas Gentilium, studeat.* Vide etiam cap. CXIX. & CCLXV. ejusdem libri, itémque Capitula Karoli Calvi Tit. V. cap. IV. V. VI. Tit. VI. cap. XXVIII. Tit. XLI. cap. VI. Præcesserat autem Karolomanni Prin-

cipis Edictum in synodo cui martyr Bonifacius interfuit. In hac enim synodo sic iussit Princeps: *Et quando-cumq; iure canonico Episcopus circumbeat parochiam ad populos confirmandos, Presbyter semper paratus sit ad suscipiendum Episcopum.* Neque tamen ex his quæ dicta sunt velim ut quis colligat existimare me nullas esse probabiles causas, ob quas Episcopus excusari possit à personali visitatione suæ diœceseos. Nam si, exempli causa, graviter ægrotet, tum dubium non est, quin abstinere possit à personali visitatione. *Quia non est ignavia culpa, quem excusat miseranda calamitas;* ut ait Cassiodorus lib. v. Variar. epist. xxxv. Præterea, si abesse cogatur à sua diœcesi pro rebus Ecclesiæ vel Reipublicæ, si miles rapter regionem, neque fanis parcens, neque profanis, si is qui rerum potitur, Episcopum excedere jubet provincia; non negaverim tum quoque iustas esse causas non visitandæ diœceseos; tuncque sequendum sancti Hilarij Episcopi Pictaviensis exemplum, qui, licet exul, diœcesim tamen suam per Presbyteros suos regebat. Ita enim ipse docet in libro quem scripsit ad Constantium Augustum: *Episcopus ego sum, in omnium Gallicarum Ecclesiarum atque Episcoporum communionem, licet in exilio, permanens, & Ecclesia adhuc per Presbyteros meos communionem distribuens.* Sed postquam causæ illæ desierunt, postquam Episcopo sive infirmo sive absenti restituta est libera potestas visitandi diœcesim; tum verò circumbeat parochias suæ diœceseos; & cessante necessitate, illud quoque cesset quod factum est pro necessitate, ut verbis Urbani II. utamur petitis ex canonibus Concilij Claromontani. Neque negaverim justam sanctamque esse legem canonis Tolletani. Sed quemadmodum olim Nicæna synodus quasdam regulas scripto comprehendit, nonnullas verbo, ut in Concilio Carthaginensi disseruit Faustinus Episcopus Potentinus Zozimi Papæ Legatus; sic fortassis satius ac melius fuisset nullam excusationem inferere canonibus, ne color daretur ignaviæ quorundam Episcoporum. *Quoniam leges ea intentione latae sunt, ut proficiant, non ut noceant;* quemadmodum Symmachus Papa scribit ad Avitum Episcopum Viennensem.

SED IVDÆORVM] Vetuerat enim canon XII. Concilij Venetici, quod anno cdlxv. habitum est, ne Clerici convivij Iudæorum intersint. *Omnes dein-*

ceps Clerici Iudaorum convivium evitent, nec eos ad convivium quisquam excipiat: quia cum apud Christianos cibus communibus non utantur, indignum est atque sacrilegum, eorum cibus à Christianis sumi; cum ea qua Apostolo permittente nos sumimus, ab illis judicentur immunda, ac sic inferiores incipiant esse Clerici quàm Iudæi, si nos qua ab illis opponuntur utamur, illi à nobis oblata contemnant. Sed quoniam hæc lex solos Clericos complecti videbatur, valdèque timendum erat ne ea familiaritas cum Iudæis, noceret etiam laïcis, canon dein x l. Agathensis eam regulam intendit adversum laïcos. quem canonem exscripsit Agobardus in capite v. libri de Iudaïcis superstitionibus. Sed ipse Agobardus eam legem ampliavit, edicto, ne quis Christianus habitet cum Iudæis. Aliud tamen visum fuerat sanctissimo viro Ferreolo Vcticensi Episcopo in Gallia Narbonensi; qui cum Iudæis, etiam facinorosis, comedebat & bibebat, ut eos Christo lucraretur. Vnde & suspicionem Childeberti Francorum Regis adversum se excitavit, timentis ne familiaritas illa cum Iudæis & Sarracenis verteretur in perniciem regni. Rem gestam sic narrat antiquus auctor vitæ ejusdem Ferreoli, hætenus ineditus, quam olim Tolosæ descripsi ex vetustissimo codice MS. Collegij Fuxensis. *Iudaorum verò ita illi cura erat, imò etiam quos opinio lacerabat, ut comedens & bibens cum eis, & monitis dulcibus amaritudo in eorum mixta moribus obdulcayet, & ad fidem Christi plurimos ex his convertens, baptismi gratiam consequerentur, & elatos superbia Christo humiles faciebat; afferens Pharisæorum accusationem in medium, qui culpabant Dominum cum publicanis & peccatoribus manducantem atque bibentem; & simul Dominum respondentem memorabat, dicens: Non indigent qui sani sunt medico, sed qui male habent. &: Non veni vocare istos, sed peccatores, ad penitentiam. Præclare sanè, & juxta mentem Augustini: qui sic ait apud Gratianum 23. q. 4. *Infideles non possumus Christo lucrari, si eorum colloquium vitamus & convivium. Vnde & Dominus cum publicanis & peccatoribus manducavit & bibit.* Vnde colligi potest non eadem placuisse omnibus provinciis, & interdum regulas in Africa obtinuisse quæ minùs probabantur à Gallis; rursùm, intra Gallias quædam uni Episcopo*

placuisse quæ non omnibus placebant. Et tamen interim manebat fraternæ concordie vinculum, salvæque erat pax Ecclesiæ. In causis enim disciplinæ, unaquæque Ecclesia peculiare suas consuetudines retinere potest, quæ tamen fidei contrariæ non sint; ut ex Augustino & Gregorio Magno adnotavit Marca in libro III. De Concordia Sacerdotij & Imperij cap. IX. §. II. & lib. VII. cap. XVIII. §. VI. Quod confirmari potest auctoritate ejusdem Augustini sic scribentis ad Ianuarium in epistola CXIX. cap. XVIII. *Miror sane quid ita volueris, ut de ijs quæ varîè per diversa loca observantur, tibi aliqua conscriberem; cum & non sit necessarium; & una in his saluberrima regula retinenda sit ut quæ non sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunque institui videmus, vel instituta cognoscimus, non solum non improbemus, sed etiam laudando & imitando sectemur.* Item auctoritate Alcuini, qui in Confessione fidei parte III. cap. XVI. loquens de Ecclesia, hæc ait: *Constringitur universali traditione majorum nihilominus tota. Privatis verò constitutionibus & propriis informationibus unaquæque, vel pro locorum varietate, vel prout cuique bene visum est, subsistit & regitur. Consuetudines quippe sunt diversa. Sed una eadèmq; est in ea fidei orthodoxa integritas.* Sic Karolus Magnus in Capitulari de non adorandis imaginibus lib. I. cap. VI. ex eo excusat diffensionem Ecclesiæ Gallicanæ à Romana in officiorum celebratione, quod consuetudo Ecclesiæ Gallicanæ contra fidem non esset. Et Lupus Ferrariensis ad Benedictum III. Papam scribens, consuetudines ecclesiasticas commemorat, quæ varîæ in diversis locis tenentur, orâtque Pontificem, ut Adulphum & Acaricum monachos Ferrarienses, quos ea de causa Romam Lupus mittebat, diligenter instruere velit; ut per eos ad nos, inquit, & ad ceteros quosque talia piè quærentes, institutio Romana perveniat. Siquidem in quibuscunque ad religionem vel honestatem pertinentibus ambiguitatem creat varietas. Vnde patet, non improbatas quidem à Lupo fuisse diversas illas consuetudines, sed tamen optasse ut omnes Ecclesiæ essent uniformes, ad vitandam nimirum ambiguitatem. Præclarè itaque Stephanus Tornacensis Episcopus in epistola CI. *Antiquas Ecclesiarum consue-*

tudines, qua nec rationi nec legi obuiant, sancta Romana Ecclesia aut approbare consuevit, aut non censuit improbare. Vide Ratramnum in lib. IV. adversus Græcos cap. 1. & Ruzeum in Tractatu de præminencia dignitatis Archiepiscopalis Privilegio XIII. Sed ut ad id unde digressi sumus, nostra revertatur oratio; subdit auctor vitæ S. Ferreoli: Vnde & accusatus apud Yldebertum Regem Francorum, eò quòd cum Iudæis & Sarracenis comederet & biberet, & munera eis donaret. Tunc rimens præfatus Rex, ne aliquid in fraudem contra ipsum moliretur, Parisius eum civitate in Francia in exilium mitti præcepit. ibique per tres annos in exilium fuit.

[UNI VIRO CHRISTO DESPONSATAM]

Ea fuit veterum omnium persuasio de Christo & Ecclesia, ut Christum Ecclesiæ sponsum dicerent, Ecclesiam verò sponsam; neque eorum cuiquam in mentem venit Ecclesiam non esse univiram. Vnde & Cyprianus in libro de unitate Ecclesiæ, loquens de Ecclesia, quam sponsam Christi matrêmque nostram vocat, hæc ait: *Adulterari non potest sponsa Christi. Incorrupta est, & pudica. Vnam domum novit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit.* Et Augustinus in Sermone XX. eorum quos Sirmondus edidit, adeo apertè sententiam suam promptit, ut divinandum non sit quid in hac causa senserit. *Ascensurus in cælum, inquit, ipsam rursus Ecclesiam commendavit. Sponsus profecturus, sponsam suam amicis suis commendavit. non ut amet aliquem ipsorum; sed ipsum tanquam sponsum, illos tanquam sponsi amicos. & non eam admittant lascivo amore corrumpi.* Hinc factum ut Leo IX. Pontifex Romanus, scribens ad Robertum Abbatem Casæ-Dei in Arvernens, dixerit Christum esse verum & unum sanctæ Ecclesiæ sponsum. Denique sanctus Bernardus hæc ad Eugenium III. scripsit in epistola CCXXXVII. *Supere est ut facta hac mutatione tui, ipsa quoque qua tibi commissæ est Domini tui sponsa mutetur in melius, & jam nequaquam Sarai, sed Sara de cetero nominetur. Intellige qua dico. Dabit enim tibi Dominus intellectum. Si amicus sponsi es, ne dixeris dilectam ejus principem meam, sed principem, nihil tuum in ea vendicans, nisi quòd pro ea, si oportuerit, etiam animam dare debes.* In Concilio tamen Lugdunensi sub Gregorio X. Romanus Pontifex vocatur sponus Ec-

46 STEPHANI BALVZII
clesiæ. in cap. *Vbi periculum. De Elect. in Sexto.*

PATRIARCHARVM PROGENIEM] Vide
quæ diximus ad librum de insolentia Iudæorum.

SANGVINEM DE NOSTRIS MANIBVS]
Timet Agobardus, ne si animarum sibi commissarum
vigilem ac sollicitam curam non gerat, si ob desidiam
negligentiãque suam pereant, earum perditionem de
manu ejus requirat Deus in judicio divino. Vide No-
tas ad epistolam LXXIX. Lupi Ferrariensis.

EVARDVS] Missus Dominicus. Vide Notas ad
librum de baptismo Iudaïcorum mancipiorum.

ADVERSVS EAM] id est, Ecclesiam, ex sen-
tentia Agobardi, qui sic interpretatur locum illum ex
Evangelio Matthæi: *Super hanc petram edificabo Eccle-
siam meam, & porta inferi non prævalebunt adversus eam.*
Variè autem jactatus est hic locus; dum alij eum re-
ferunt ad Petram, id est, Petrum, & successores ejus
Romanos Pontifices; alij ad Petram, id est, ad confes-
sionem Petri. Fuere qui referrent ad Ecclesiam, quam
Christus fundavit super Petram, id est, super se ipsum.
Petra enim erat Christus; ut ait D. Paulus in cap. x.
epistolæ primæ ad Corinthios. Sed Agobardus non du-
bitabat quin promissio Christi respiceret Ecclesiam, ad-
versus quam portæ inferi non prævalebunt. Quam in-
terpretationem amplexus quoque est Ioannes XXI. in
epistola scripta ad Iacobum Regem Majoricarum, quæ
à nobis anno superiore edita est post Notas ad Lupum
Ferrariensem.

AD LIBRVM

ADVERSVS LEGEM GVNDOBADI.

CAP. III.

AVITANVS ET LANGOBARDVS] Hi
enim omnes populi quos hec enumerat Agobardus,
& multò plures, Francico tum imperio parebant. Li-
bro VI. Capitular. cap. CCLXXXI. *Volumus atque
præcipimus ut omnes ditioni nostra Deo auxiliante subje-
cti, tam Romani, quàm Franci, Alamanni, Bajuvarij,*

Saxones, Thuringij, Fresones, Galli, Burgundiones, Brittones, Langobardi, Vvascones, Beneventani, Gothi, Hispani, ceterique nobis subjecti, omnes, licet quocunque videantur legis vinculo constricti, vel consuetudinario more connexi, hanc sententiam &c. Hic ergo omnes propria lege utebantur. Vidè infrà in Notis ad caput XIV. hujus libri.

CAP. IV.

GUNDOBADVM] id est, Burgundionem, lege Gundobada viventem. Istud enim referri non potest ad Regem Gundobadum, multis antè seculis mortuum. Itaque infrà cap. x. Burgundiones in univèrsum vocabit Gundobados.

CAP. VI.

LEGEM GUNDOBADAM] cujus auctor Gundobadus Burgundionum in Gallia Rex, Magni Clodovæi coævus. Hic enim, ut Gregorius Turonensis est auctor, *Burgundionibus leges mitiores instituit, ne Romanos opprimerent.* Verùm quæ tum fortassis bona visa fuerat lex Gundobada, nonnullis piis viris ævi Agobardici visa est iniqua.

HOMO HÆRETICVS] Gundobadus enim erat Arrianus. Sed tamen pupugit illum aliquando cupido abdicandi errorem suum; adeo ut ab Avito Viennensi Episcopo persuasus impiam esse Arrianorum sectam, clam ut chrismaretur expetierit. Vicit tamen metus populi. Itaque *usque ad exitum vita sua in hac insania perduravit, nec publicè aequalitatem Trinitatis voluit confiteri*; ut Gregorius Turonensis ait in libro II. Hist. Francor. cap. xxxiv.

SVNT PERPAUCI] Ergo nondum prorsus extincta erat in illis regionibus perfidia Arrianorum, tametsi admodum pauci essent.

SINATVR PERIVRAR'E] Libro I. Capitular. cap. lxi. *Et ut parvuli, qui sine rationabili atate sunt, non cogantur jurare, sicut Gunebodigni faciunt, quæ pars hujus capituli refertur ab Ivone parte XII. cap. xxii. & à Gratiano 22. q. 5. cap. Parvuli.*

CAP. VII.

HÆC REGIO] Lugdunensis. Nam ea utebatur lege Gundobada, quòd Lugdunum esset civitas regni Burgundici.

LACESSANTVR AD CERTAMEN] Damnat monomachiam, id est, duellum privatum, ad definiendas lites institutum à Gundobado.

CAP. VIII.

REICVLAS ILLAS] Iam antea in præfatione ad Lupum monuimus corruptam hoc loco esse editionem Massoni, quæ pro *reiculas* habet *recusias*; cum tamen in codice antiquo, quo Massonus utebatur, disertè scriptum sit *reiculas*, ut ante me monuit vir clarissimus Franciscus Iuretus in Notis ad epistolam XC I. Ivonis Carnotensis. Variè autem scribitur hæc vox in libris antiquis. Nam heic apud Agobardum, in vita sancti Licinij Andegavorum Episcopi à Duchesnio edita, itémque alibi, scribitur *reiculas*. apud Salvianum verò & alios non uno loco *resculas*. demum alibi *reculas*. Vide, si lubet, Iuretum ad eam quam diximus epistolam Ivonis.

CAP. IX.

SARRACENIS SVBICERETVR] nimirum Hierusalem. Contigerat autem istud ante ducentos ferme annos quàm liber iste scriberetur. Haumarem enim Sarracenorum ducem cepisse sanctam civitatem anno DCXXXVI. ex Theophane aliisque docuit Illustriss. Cardinalis Baronius, quem consule.

ROMA GOTTHIS] capta nimirum ab Alarico Rege Gotthorum, qui victor Urbem ingressus est anno CDX. IX. Kal. Septembris; ut ostendit idem Baronius.

PAGANIS ET HÆRETICIS] Loquitur de Gotthis. Nam quia Radagaisus Gotthorum Rex, erat paganus, eoque interfecto, reliquæ exercitus illius, qui haud dubiè ex paganis constabat, ad Alaricum transire, hominem quidem Christianum, sed Arrianæ perfidiæ sectatorem; manifestum est Gotthos, qui non multò post Romam ceperunt, partim paganos fuisse, partim hæreticos.

ITALIA LANGOBARDIS] Contigisse id anno Christi DLXVIII. duce Alboino Langobardorum Rege probat Baronius.

AQVAM CALIDAM] De iudicio aquæ calidæ & ferri igniti vide Franciscum Pithæum in Glossario ad libros Capitularium, Iuretum in Observatiõibus ad ep. LXXIV. Ivonis Carnotensis, Symondum in Notis ad

ad Goffridum Vindocinensem lib. III. ep. XXXVIII.

CAP. X.

GVNDOBADOS] id est, Burgundiones; ut dictum est ad caput quartum hujus libri.

CAP. XI.

PRO VNO ASINO MOLINO] id est, qui laborat ad molam, ut dicit in fine libri de modo regiminis ecclesiastici.

BLASPHEMABANT] id est, vituperabant. Augustinus in libro de opere monachorum cap. XXVIII. *Sub generali nomine monachorum, vestrum propositum blasphematur.* Gregorius Turonensis lib. VI. ca. XLVI. loquens de Rege Chilperico: *Causus pauperum exosus habebat, sacerdotes Domini assidue blasphemabat.* Vita S. Leodegarij edita à Duchesnio cap. XI. *Etenim cum Ebroinus crudelis de supradictis rebus suum satiasset furorem, rursus occasiones cepit exquirere ut blasphemiam suam crudelitatis valeret ab oculis humanis auferre.* Gesta Dagoberti I. Francorum Regis cap. XLVI. ubi agitur de ingentibus Eganis virtutibus: *Tantummodo à plurimis blasphemabatur, eò quòd esset avaritia deditus.* Libro V. Capitularium cap. CLX. *Episcopos & sacerdotes, quibus omnis terra caput inclinat, per quos & nostrum pollet imperium, admodum honorari & venerari omnes monemus. nec eos lacerari, aut blasphemari, vel detrahi à quocumque volumus.* Libro VII. cap. CXLIII. *Is qui in blasphemiam alterius cantica composuerit, vel qui cantaverit ea, extra ordinem vindicetur.* Annales Metenses ad annum MCCCLXV. *Adjecerunt insuper multa alia, blasphemantes eundem Papam.* Hinc vox Gallica *Blasmer*, quæ vituperare significat. quæ dein & ipsa versa est in contumeliam Dei. Vidimus enim olim Tutelæ vetustum codicem MS. in quo continebantur acta litis quæ de Cathedra Tutelensi erat inter Guichardum de Combornio Abbatem Vercensem & Ludovicum de Albuconio Priorem de Mortagnia anno MCCCLVII. Nam Karolus Petitus serviens regius ait in Actis à se tum confectis, fratris filium ejusdem Guichardi sibi multum obsticisse ne quoddam Senatus Parisiensis arrestum latum adversus Guichardum faceret palam; minitantem etiam ac blasphemantem Creatorem, Karoli adjuto rumpere ejus facinus inultum non fore, eorumque cæde expiare.

dum. Hæc sunt verba Karoli: *Difant ledit neveu d'ice-
luy Abbé, en habit d'Escuyer, blasmant nostre Createur,
qu'il y en auroit de mors & de tués sur les carreaux.*

CAP. XII.

DE CANONIBVS GALLICANIS] Magna
semper apud majores nostros fuit reverentia Canonum
Gallicanorum; & non solum apud Gallos, sed & apud
Hispanos quoque, ut observatum est à viris eruditissi-
mis. Certè Canonum Gallicanorum nomine veniebant
etiam Hispani, ut patet ex Hincmaro in cap. xxxvi.
posterioris operis adversus Gothescalcum: *Sed & in
Gallicanis Canonibus de Potamio Braccarense Archiepis-
copo & synodo Valentina evidenter agnoscitur.* Manife-
stum est enim heic agi de synodo Toletatana x. in qua
dejectus est Potamius Episcopus Bracarenfis. Nam
quod de synodo Valentina ait, respicit ad canonem
quartum synodi Valentinae quæ anno ccc lxxi v. ha-
bita est in provincia Viennensi. Iisdem Canonibus Gal-
licanis usam olim esse Angliam, ut quæ in vicino esset,
colligi potest ex synodo Herodfordiensi habita anno
dclxxii. Nam librum Canonum in ea synodo pro-
latum, haud alium fuisse quàm Codicem Canonum Ec-
clesiæ Gallicanae probari posse certis testimoniis habeo
persuasum, ut aliàs fortasse pluribus ostendam.

NEOTERICI ROMANI] Sugillat irridetque
Agobardus Romanos sui temporis, veteris Ecclesiæ
mores ad suos detotquere cupientes, atque ob eam cau-
sam contemnentes Gallicanos Canones, quòd eos neo-
terici Romani non commendaverint. Cui criminationi
sic respondet Agobardus, aliam fuisse mentem veterum
Romanorum, qui Canones illos religiosè venerati sunt.
Potuisset igitur optimo jure adversus eos uti eodem te-
lo, quod postea adversus Græcos vibravit Rattramnus
monachus Corbeiensis in libro iv. adversus Græcos
cap. iiii. *Vnde mirandum, inquit, quæ sit ista novis sa-
pientibus prudentia, non acquiescere quod sui probantur
majores acquisivisse.* Itaque qui sancti olim erant Roma-
norum mores, reverentiàmque universi orbis huic po-
pulo conciliaverant, jam verterant in contemptum. Sic
de seculo suo conqueritur etiam Gerbertus in epistola
xl. *Romanorum mores mundus perhorrescit.* Atque id
ex eo factum est, opinor, quòd qui in observatione Ca-

nonum ceteris per orbem Christianis exemplo esse debebant, omnium impudentissimè eos conculcabant. Neque verò ego id dico, sed Ratherius Veronensis Episcopus in parte I I. de contemptu Canonum Tomo I I. Spicilegij Domni Luca Dacherij pag. 188. *Quærat & aliquis, cur præ ceteris gentibus baptismo renatis, contemptores canonica legis & vilipensores Clericorum sint magis Italici?* Et infra pag. 190. *Quorsum tamen hac detrahendi avida amulorum si requirat invidia. Nimirum ut quod innotescere nequiverunt præmissa, demonstrant termino proxima. Nempe ut patefieret quærenti, unde iste, id est, hodiernus, prævaluerit Canonum sanctorum tam universalis contemptus. Ad hoc perventum nostra est inquisitione atque indagatum, eorum contigisse sine dubio culpa, qui cum eos legant atque intelligant, pro nihilo ducunt.* Vide rursus Notas ad caput x x. libri de dispensatione ecclesiasticarum rerum.

ÆQUALI AUCTORITATE] Ait Concilia regionalia, aut provincialia, cujusmodi sunt Gallicana, non esse tantæ auctoritatis ac generalia totius mundi, sed tamen congrua veneratione suscipienda. quod sumptum videri potest ex Augustino in libro I I. de baptismo cap. I I I. *Ipsa Concilia, inquit, qua per singulas regiones vel provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, qua fiunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedunt.* Vetus auctor in Præfatione Collectionis Canonum, postquam locutus est de quatuor Conciliis Oecumenicis, hæc ait: *Sed & si qua sunt Concilia qua sancti Patres spiritu Dei pleni sanxerunt, post istorum quatuor auctoritatem manent stabilita.* Et post illum, Iesse Episcopus Ambianensis in epistola ad dioecesanos suos: *Si qua verò alia Concilia sanctorum Patrum, pro necessitate causarum, plena spiritu Dei in unum congregata sanxerunt, custodienda & recipienda.* Hincmarus in opusculo L V. Capitulorum cap. x x v. *Si qua sunt autem Concilia à sanctis Patribus instituta, post quatuor Conciliorum auctoritatem custodienda & observanda decrevit.* id est, Papa Gelasius, cujus hæc sunt verba: *Sed & si qua sunt Concilia à sanctis Patribus hætenus instituta, post istorum quatuor auctoritatem etiam custodienda & recipienda mandamus & decernimus.* Vide Marcam in libro I I I. De Concordia Sacerdo-

DE FIDE ALTERCANS] Earum altercationum, ut vocat Agobardus, unam nuper edidit Dominus Lucas Dacherius in Tomo VI. Spicilegij pag. 110. & sequentibus. Alterius verò altercationis cum Gundobado meminit ipse Avitus in epistola XXI. quæ data est ad Dominum Sigismundum Regem, Gundobadi filium. *Cum presentiam vestram, inquit, Deo largiente meruero, per me seriem totius altercationis exponam.*

DIALOGOS] Vnius istorum dialogorum fragmentum aliud habemus conservatum ab Agobardo in libro de Picturis sive Imaginibus cap. IX.

EPISTOLIS ABSENTI RESPONDENS] Extant omnino octo Aviti epistolæ ad Gundobadum Regem, omnes ferme de causa religionis. Nuper verò aliam quoque reperi in veteri codice MS. clarissimi viri Petri Marnæsij Senatoris Gratianopolitani, quam, quòd nondum edita sit, & utilis esse potest adversus detortas quorundam interpretationes, edere visum est opportunum post Notas nostras in Appendice Actorum veterum Tit. II.

GUNDOBADO IN SUA PERFIDIA PERDITO] Gregorius Turon. lib. II. cap. XXXIV. loquens de Gundobado: *Ista ille ratione confusus, usque ad exitum vita sua in hac insania perduravit.*

SIGISMUNDVM REGEM] Gundobadi filium, virum, ut sequens ætas putavit, sanctissimum, adeoque publicè consecratum. Vnde in veteri fragmento historico, quod Christianus Vrstisius edidit, ac post eum Duchesnius, sanctus dicitur. *Leudegisus namque, cum Major domus esset, duxerat uxorem de prosapia sancti Sigismundi Regis Burgundia.* Sed nuper vir clarissimus Hadrianus Valesius in publicum emisit Passionem sancti Sigismundi, ab auctore, ut ipse putat, æquali ac monacho forsitan Agaunensi compositam: ex qua apparet hunc Principem, afflictis omnino rebus suis, ex Burgundia in montem quendam, cui Veresalilis nomen erat, aufugisse, ibique monachum fuisse factum, ut se hostium suorum immanitati subtraheret, sed quorundam Burgundionum perfidia factum ut ex fuga retraheretur, specie pietatis. Adferam autem ipsa

auctoris verba: Igitur cum Franci plurimam penè regnum
 devastarent, Galliarumque urbes vehementer depopula-
 rentur, ita ut multitudo maxima Burgundionum Fran-
 cis se sociaret: tunc sanctus Sigismundus videns se hinc in-
 de coangustari, Veresallis montem expetiit, & adinstar
 Elia Thebitis, quatenus crudelissima gentis barbaricam
 feritatem evaderet, singulariter habitare elegit: quia se-
 bi imminebat discrimen vita, juxta illud quod egregius
 predicator de suis tribulationibus scribens ait, Periculis in-
 falsis fratribus. Tunc diverso modo Burgundiones necessi-
 tate magis quam voluntate Francis se ex integro dederunt;
 promittentes sanctissimum virum Sigismundum, Princi-
 pem suum, perquirere, & eis vinctum tradere. Hac pro-
 missione audita, sanctus vir Sigismundus comperta eor-
 rum nequitia caesariem capitis sui totondit, & se à laïca-
 li vestitu in religionis mutavit habitum. Qui dum in su-
 pradicto loco jejunijs penè & vigilijs maceratus quiesceret
 ibidem, pauci ex Burgundionibus ad ipsum convenientes
 quasi causa amoris, ad sepulcra sanctorum martyrum
 sub quadam custodia latenter perducere promiserunt.
 Cumque ad clausuras ipsius Agaunensis monasterij perven-
 nissent agmina Burgundionum unà cum Francis, adin-
 star Iuda proditoris Christi Burgundiones in eum manus
 injecerunt, & vinctum catenis tradiderunt Francis, co-
 rumque Regi Clodomiro. Sed ubinam tandem gentium
 situs fuerit mons ille, in quo Sigismundus latere cupiit,
 ignotum reliquit hic auctor. Et probabile est alienas
 terras petiisse Sigismundum, ac procul à Gallia disti-
 tas; ne si in vicino consisteret, deprehenderetur. Ita-
 que in Hispaniam Tarraconensem, haud procul Bar-
 cinone, secessisse in montem Signium, constans illic
 traditio est, quodam etiam carmine consecrata, quod
 licet in historicis rebus multum aberrat, evincere ta-
 men videtur in hoc secessu habitasse Sigismundum, do-
 nec à suis retractus est. Sed operæ pretium est, non car-
 men quidem illud describere, vulgari lingua Catala-
 nica scriptum, sed historiam in eo descriptam edisserere
 verbis nostris. Illic ergo habetur, sanctum martyrem
 Sigismundum, sive Sagimondum, ut nunc vocant,
 Burgundionum Regis filium, cum anno ætatis suæ quin-
 todecimo à spina quadam vulnus accepisset, nullam ei
 medendo operam esse magis idoneam existimasse, quam

si seculo relicto, in eremum sese abderet. Ea de causa solum ad Pyrenæos montes, quæ Galliam Narbonensem ab Hispania Tarraconensi determinant, accessisse; transcendensque montium faucibus quæ Hispanias Gallis jungunt, ad Ficarias oppidum, quod hodièque per viam illam pergentibus primum post superatos montes occurrit, pervenisse, atque illinc rectè progressum ad civitatem Aufonensem. Tum verò ei occurrisset Domarium quendam, id est, ut opinor, Canonicum Aufonensis Ecclesiæ, virum sanctissimæ vitæ; ab eoque indicatum illi fuisse montem Signium, in quo salutem suam procul à seculi periculis operari posset. Illinc arrepta ad montem excelsum, cui à media die nomen est, via, ad mansionem quandam pervenisse, quæ Podium-Vallis nuncupatur; compertoque eremitas in ijs montibus habitare, illuc statim profectum; neque multò pòst incidisse in eremitam quendam, ab eoque edoctum fuisse quæ vitæ illius sectatores scire decet. Dein valedicentem viro, in eremum sese abdidisse, herbis illic nascentibus victitantem, & aquam pro potu sumentem. Interim patrem Sigismundi, dum filium quærit, in eas regiones profectum; cùmque pervenisset ad Ecclesiam sancti Martialis, quæ in monte Signio sita est, illic fortè filium reperisse. Nam is quolibet die Veneris illuc accedebat, ut panem hordeaceum acciperet, quem in eo loco dari in elemosynam mos erat. Sed agnitus à patre non fuit filius, licet simul conloquerentur. Vicit tamen natura, seque ille Sigismundum esse falsus est. At pater filium vitam illam deserere, secùmque in Burgundiam redire oravit. Verùm repugnabat Sigismundus, inanem & stultam prædicans hujus mundi gloriam, æternasque divitias potiùs cogitandas. Nec recessit tamen pater; sed eadem exhortatione tentavit animum filij flectere, nunc per caritatem quæ patri debetur, nunc etiam per blandum matris nomen eum obtinens. Quid moror diutiùs? Pervicit pater; ambòque in Burgundiam regressi, magni gaudij materia fuere subjectis. Hactenus ex carmine illo. Hæc verò satis congruunt superiori narrationi, si juvenilem illam ætatem ac peregrinationem patris excipias. Quonam autem modo vitam finierit, habes apud Gregorium Turon. & alios rerum Francicarum scriptores. Et haud dubiè be-

NOTÆ AD AGO BARDVM. 55

ne morte usus est. Quo factum est, ut propter hoc facinus, & quia monasterium Agaunense ædificaverat, in numero sanctorum habitus sit deinceps,

SIGISMVNDVM R. CONVERTIT] ab Arrianismo nimirum ad Catholicam. Et id quidem evenisse vivo Gundobado patet ex epistolis Aviti.

RECITAVIT HOMILIAM] Ea nunc non exstat. Vide Sirmondum ad epist. XL. Aviti.

C A P. X I V.

VNA OMNES REGERENTVR LEGE] Ait valde optandum esse, ut tot gentes, quæ imperio Ludovici parent, una lege regi jubeat; nec sint tot leges, quot gentes. Nam Langobardi sua lege vivebant, Burgundiones sua, Saxones item sua, ac sua Gotthi, & sic de alijs. Valde autem optandum, ut quemadmodum hæ omnes gentes uni Principi parent, una etiam lege regantur, non diversis. Sed quia illud difficile, ac homini ferme impossibile; saltem Gundobada, quæ est inhumanissima, de medio tollatur. Vide Notas ad caput III. hujus libri, & Ivonem parte VII. cap. 213. ex Concilio Triburiensi cap. 39.

A D L I B R V M

DE PRIVILEGIO ET IVRE SACERDOTII.

Hic est omnino libri istius titulus in codice Papirij Massoni, & in contextu libri. In veteri tamen codice MS. clariss. viri Petri Marnæsij Senatoris Gratianopolitani hic liber sic inscriptus est: *Epistola Agobardi Episcopi Lugdunensis de sacerdotij dignitate, ad Barnardum Viennensem Archiepiscopum.* quod eodem recidit.

C A P. I.

BERNARDO] Codex Marnæsij, *Barnardo.* Et monuit me vir eruditissimus Petrus Franciscus Chiffletius Presbyter è Societate Iesu, sic quoque scriptum se vidisse hoc nomen in multis codicibus manuscriptis. Verùm discrimen illud est nullius aut parvi momenti.

ATQVE CLERICORVM] Idipsum sequenti seculo graviter deploravit Ratherius Episcopus Veron-

C A P. I I.

V N V S S A C E R D O S] Vnicum in Ecclesia Chri-
sti sacerdotium esse contendit Agobardus, hujusque sa-
cerdotij caput summum esse Christum, qui summus sa-
cerdos est. Et fideles omnes esse unum sacerdotem sub
uno capite Christo, ob illum locum ex epistola prima B.
Petri, ubi fideles vocantur *genus electum, regale sacer-*
dotium. Alia Cypriano mens fuit, quum in epistola LV.
scriberet *non aliunde obortas esse hareses, aut nata schis-*
mata, quàm inde quòd sacerdoti Dei non obtemperatur,
nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos & ad tempus ju-
dex vice Christi cogitatur. Nam hoc tantum sibi vult hoc
loco Cyprianus, juxta observationem Rigaltij, Vniuscujusque
Ecclesiæ, quæ universalis illius portio est, unum
esse debere Episcopum sacerdotem, qui sit Ecclesiæ suæ
sacerdos ad tempus, & ad tempus judex vice Christi.
Hac enim sunt (inquit Cyprianus in epistola LXV.)
initia hæreticorum, & ortus atque conatus schismaticorum
malè cogitantium, ut sibi placeant, ut præpositum (id est,
Episcopum) *superbo tumore contemnant*. At Baronius ad
annum Christi XXXIV. §. CCCIII. contendit unum il-
lum sacerdotem apud Cyprianum, esse Petri successo-
rem Romanum Pontificem, & ijs quidem verbis, ut ma-
nifestè ab eo loco excludere videatur reliquos Episco-
pos, adeoque Romanum solum in Ecclesia præsidere ve-
lit vice Christi. Et tamen singulos Episcopos esse Vica-
rios Christi ex hoc quoque loco collegit Rigaltius.

I N D I G N I E T I M M U N D I] Videtur admittere
etiam istos ad comestionem agni. Et sanè illos quoque
admitit Paulus; sed damnationem sibi manducare &
bibere pronuntiat.

C A P. I I I.

I N F I R M I T A T E S C O R P O R V M C V R A -
R E N T] Itaque ex eo quòd quidam in nomine Domi-
ni corporum infirmitates curaverint, ac miraculis in-
clarauerint, non statim sequitur viros esse sanctos, nisi
cetera sint paria; ut diximus ad Lupum Ferrariensem.
Miracula ergo non sunt signa certissima sanctæ vitæ.
Nam si miracula attendimus; narrat Herodotus in li-
bro primo, Cræsum in ignem conjectum esse jussu Cyri

Perfarum Regis. Dein istum pœnitundine ductum, misisse qui virum flammis erigerent. Sed adeo latè patebat rogas, ut illum extinguere non potuerint missi à Cyro; donec Cræsi precibus, qui jam cognoverat pœnitentiam Cyri, subito erumpens imber extinxit rogam. De Vespasiano memorat Tacitus in quarto Historiarum libro, ipsius ope, absque ullis humanis remediis, cœco relaxisse diem. Tum ut huic narrationi sùdem conciliet, hæc addit: *Vtrumque qui interfusere nunc quoque memorant, postquam nullum mendacio pretium.* Miracula ab Imperatore Hadriano edita recenset in ejus vita Spartianus; ab Æsculapio verò vetus inscriptio Romana, quæ à Lipsio Baroniòque edita est. & Fl. Vopiscus in D. Aureliano tradit Apollonium Thyazum reddidisse vitam mortuis. Denique veterum libri pleni sunt istiusmodi narrationibus. Videndus Livius lib. 1. Dionysius Halicarnasseus lib. v 11. Plutarchus in vita Coriolani cap. x 1. Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. x 1. Lactantius lib. 1. cap. v 11. divinarum institutionum, & alij. Scio Baroniùm elevare istorum prodigiorum fidem. neque id sanè injuria. Absit enim ut quis in animum inducat hæc verè fieri potuisse à viris Deum verum nescientibus. Sed si quis neque paganus, neque rursus Christianus, sed qui vacuus religione atque affectibus humanis, seriò discuteret hujuscemodi narrationes, is homo fortassis eandem fidem adhiberet historiis Gentilium ac Christianorum. Cur enim potior apud illum auctoritas Christi, quàm Iovis? Ac ne quis exclamet me longiùs progredi quàm oporteat, neminèque esse posse qui tot tantaque Christianorum miracula, quæ passim leguntur, evenisse neget, adferam testimonium Iosephi Albonis Iudæi ex disputatione contra Christianos, quam Gilbertus Genebrardus Latine vertit. Sic ergo loquitur Iudæus ille: *Demonstratio vera fidei posita est in continuatione signorum, uti perpetuabatur in Israël, cum in sua ipsorum regione degerent; quam non reperias apud eos qui religioni Christiana aut Ismaëlica dediti sunt.* Nam & Gentiles miracula sua vera esse contendunt, ut vidimus apud Tacitum. Et Cæcilius apud Minucium Felicem defendens religionem paganorum, hæc inter alia ait: *Etiã per quietem deos videmus, audimus, agnoscimus, quos impiè per diem negamus, nolu-*

mus, pejeramus. Et paulò antea dixerat, ope deorum, quibus Romana civitas protegitur, dari *cautelam periculis, morbis medelam, spem afflictis, opem miseris.* Porro, quid de hæreticis dicemus, qui fidem suam miraculis quoque confirmatam volunt? Constat enim ex Terulliano Montanum novam suam disciplinam Paracletò & revelationibus tribuisse, & ex Augustino Donatistas ad statuendum errorem de baptismo suum visiones & ostenta jactasse. Ac memorat Sulpitius Severus, Valentem, hominem Arrianissimum, si ita loqui liceat, cum Constantio Imperatori, nuntiaret victoriam de Magnentio partam apud Morsam, angelum hujusce rei nuntium sibi fuisse dicere ausum, ut reverentiam sui adderet, securum de facilitate credentis. *Quin & in epistola cxxxv. Bonifacij Moguntini legimus Adalbertum impostorem & hæreticum miraculis quoque apud sectatores suos inclaruisse, ipsosque gravem adversus Bonifacium querelam excitasse, quòd eis abstraxisset virtutum factorem, & signorum ostensorem.* Miracula ergo, ut ad id redeamus unde digressi sumus, non sunt semper signa certissima sanctæ vitæ, quandoquidem & viri quoque mali prodigiis inclarescere possunt, immo inclaruerunt, ut docet Agobardus. Sed insignis est in eam rem locus B. Gregorij Papæ ex homilia xxxix. in Evangelia: *Nam corporalia illa miracula, inquit, ostendunt aliquando sanctitatem, non autem faciunt. Hac verò spiritalia qua aguntur in mente, virtutem vitæ non ostendunt, sed faciunt. Illa habere & mali possunt. Istis autem perfrui nisi boni non possunt. Vnde de quibusdam Veritas dicit: Multi mihi dicent in die illa, Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo demonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia non novi vos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Nolite ergo, fratres carissimi, amare signa, qua possunt cum reprobis haberi communia; sed hac que modo diximus, caritatis atque pietatis miracula amate: qua tanto securiora sunt, quanto & occulta.* Audiamus nunc clarissimum Gallicanæ Ecclesiæ sidus, Karolum Magnum, sententiæ B. Gregorij subscribentem. Sic enim loquitur in Capitulari de non adorandis imaginibus lib. III. cap. xxxv. *Multa etenim signa, multaque miracula, per angelos re-*

fugas, vel etiam per eorum sequaces fiunt: qui dum sint spirituales potentia, & ut ita dixerim, spirituales nequitia, & prophetias infelicibus quibusque impertiunt, & virtutes multas per suos satellites faciunt. de quibus erunt illi qui dicturi sunt: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo demonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Quibus aeternus arbiter dicturus est, Nescio vos. Quia igitur signa plerunque diabolico instinctu fiunt, ideo beatissimus Gregorius sancta Romana Ecclesia antistes dixit: Nolite, fratres mei, amare signa qua possunt cum reprobis haberi communia. Sanctissimus quoque Augustinus à demonibus miracula fieri, similia miraculis qua fiunt per sanctos servos Dei, his verbis testatur. Ait enim: Non oportet moveri cum magicis artibus miracula fiunt plerunque similia miraculis qua fiunt per sanctos servos Dei &c. Vetus auctor incognitus, quem penes me habeo manuscriptum: Signa & prodigia & sanitates etiam peccatores in nomine Domini facere ab ipso Deo didicimus. Et cum alios hac presumptione juvent, sibi per ambitionem humana gloria nocent; quia gloriantur in dato falso, non meritis debito. Signis & prodigiis clarum posse fieri Christianum, non tamen sanctum, si intemperatis & asperis moribus agat; temperatis autem & placidis moribus, etiam absque signorum efficacia, & sanctum & perfectum & Dei hominem fieri rectè credimus. Petrus Damiani in capite xvi i. libri qui appellatur Gratissimus: Quid mirum, inquit, si per malos ministros omnipotens Deus in Ecclesia sua propagari officium sacerdotale permittat, cum per eosdem etiam virtutum signa frequenter exhibeat, non videlicet ob religiosa vita meritum, sed propter acceptum sacerdotalis mysterij sacramentum. Denique valde considerandum est quod ait Augustinus, defuisse jam ævo suo miracula, quod necessaria non essent, quæ tamen necessaria fuerant in initio Christianismi. Hæc sunt enim verba Augustini in capite xxv. libri de vera religione: Sed accepimus majores nostros eo gradu fidei, quo à temporalibus ad aeterna conscenditur, visibilia miracula, non enim aliter potuerunt, securos esse: per quos id actum est, ut necessaria non essent posteris. Cum enim Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permessa sunt, ne animus semper visibilia quæreret, &

eorum consuetudine frigeret genus humanum, quorum novitate flagravit. Karolus M. libro IV. cap. XV. Ecclesia namque Catholica, inquit, ut ad fidem cresceret, miraculis erat nutrienda, & ut ejus novella plantatio convalesceret, assiduis erat invigationibus fovenda. Sic Aymo'inus Floriacensis in Prologo ad vitam S. Abbonis ingenuè profitetur miracula illa neminem sublevare, & absque iis homines posse esse sanctos. Si autem quispiam, inquit, idcirco ei crediderit derogandum, quòd in vita sua vix ullum mirabile fecerit signum; legat vitas excellentissimorum Doctorum Augustini & Hieronymi, & in eis non prodigia temporalium signorum, qua faciunt plerunque mali, sed vita puritatem, doctrina salubris eloquentiam, & fidei inveniet laudari constantiam. Quàm parvi porrò momenti esse debeat fama prodigiorum, docet auctor appendicis ad Annales Heinrichi Steronis. Loquens enim de quodam Armanno, qui ob celebritatem nominis magno in honore erat apud Ferrenenses, ita scribit ad annum M. CCC. II. Tunc corpus cujusdam nomine Armanni, quod XXXI. annis tanquam sanctum in Ecclesia Ferrenensi extiterat veneratum, fuit studio & mandato Inquisitorum haretica pravitate in illis partibus exhumatum & combustum, tanquam damnati haretici; & ejus ara pretiosa destruita fuit. Rerum humanarum curipum!

CAP. IV.

VERO PRODITORI] Loquitur de Iuda Iscarioth, qui erat unus ex duodecim. Otto Imp. & Romana synodus in epistola ad Ioannem XII. Papam, quæ extat apud Luitprandum lib. VI. cap. X. Iudas Domini nostri Iesu Christi proditor, immo venditor, cum ceteris prius ligandi atque solvendi potestatem à Magistro in hac verba accepit: Amen dico vobis, Quacunque ligaveritis super terram &c. Quandiu enim bonus inter discipulos fuit, ligare atque solvere valuit. Postquam verò cupiditatis veneno homicida factus, vitam occidere voluit; quem postea ligatum solvere, solutum ligare potuit, nisi se ipsum, quem infelicissimo laqueo strangulavit?

CAP. V.

NEC POPVLVS SAC. CVL. DEPVTA'RE] Notat imperiti popelli opinionem, qui ex miraculis

tantum æstimat vitam sacerdotum, cumque sacerdotem justum non esse putat, cujus preces pro publicis commodis effusæ non fuerint exauditæ à Deo; cum potius id populi ipsius pravis moribus & gravibus in Deum offensionibus veniat imputandum.

CAP. VII.

DIVINIS LITTERIS] Ita codex regius. Sed Marnæsius habet, *libris divinis*.

CAP. IX.

SI SACERDOS ALIUD DOXERIT] Itaque si sacerdotes hæresim doceant, aut quippiam contra bonos mores proponant, fas est populo resistere, & prædicationem eorum spernere. Licet ergo subjectis excutere sermones præpositorum, saltem quoties aliquid jubent quod nec sacræ Scripturæ congruat, nec traditioni. Eleganter, ut solet, hoc argumentum tractat D. Erasmus in illud è capite xxiii. Evangelij secundum Matthæum, *Super cathedram Moysi &c.* ubi sic loquitur: *Hunc locum quidam è torquent, quasi parendum sit omnibus qua præcipiunt Episcopi, aut præpositi, etiam impij, ob muneris auctoritatem; cum Christus de iis loquatur qui rectè docerent Legem Mosaicam, non qui suis constitutionibus illaquearent homines. Ita nunc quoque fortassis audiendus sit Episcopus, qui rectè doceat Evangelium, etiamsi ipse parum evangelicè vivat. Ceterum quis ferat eos, adversus Christi doctrinam, pro suo commodo fixis ac refixis legibus meram tyrannidem exercentes in populum, suoque quæstu ac majestate metientes omnia? Quæ constitutionibus ad quæstum, ad tyrannidem excogitatis irretiunt populum, non sedent in cathedra evangelica, sed in cathedra Simonis magi, aut Caipha. Vnde & graviter monet Goffridus Vindocinensis in epistola xxvi. libri i. ad Hildebertum Cenomannorum Episcopum scribens, non esse obediendum Prælati, si quid contra Scripturam aut Canones jubeant. Prælati quidem obediendum est, inquit, non tamen in omnibus qua ipse suggerit, sed in his tantum qua Deus præcipit. Nam si quid contra constitutionem Dei vel Patrum Prælati præcipiunt, statim auctoritatem præcipiendi amittunt, & in illa re nullatenus est eis obediendum. Ea nimirum semper fuit Ecclesiæ mens, debere populos esse subjectos Episcopis, imperiæque eorum exequi, ut maneat fraternæ concordie*

vinculum. Quòd si quid grave atque asperum subiectis imponant Præpositi, tenenda est patientia, neque statim adversus eos fremendum est; quibus, tamen si discolori sint, obediendum est, ne discidium excitetur, modò ne cogant ad impietatem. Audio quosdam dicentes nihil profici patientia, nisi ut graviora tanquam ex facili tolerantibus imperentur. Verum illud interdum, fateor. Sed malum quod tollere non possis, æquo animo ferendum est. Quanquam non requiro servilem patientiam, à qua procul abesse oportet eos qui in adoptionem filiorum Dei adscripti sunt. Sed ejusmodi volo esse patientiam, quæ Christi sectatoribus digna sit; hoc est, quæ non sit projecta, neque rursus contumax, sed constans, & generosa. Sic fortassis mitigabuntur feroces Præpositorum animi. Et si cetera remedia desint, licet quandoque subiectis monere dominantes, si quid est alicujus momenti, aut si peccent in publica commoda. Insignis est in eam rem locus Gregorij Magni in libro xxv. Moralium in Iob. cap. xx i. *Igitur dum salva fide res agitur, virtutis est meritum, si quicquid Prioris est, toleratur. Debet tamen humiliter suggeri, si fortasse valeat quod displicet emendari. Sed curandum summo opere est, ne in superbiam transeat justitia inordinata defensio; ne dum rectitudo incautè diligitur, ipsa magistra rectitudinis humilitas amittatur; ne eum sibi præesse quisque despiciat, quem fortasse contingit ut in aliqua actione reprehendat. Contra hunc tumorem superbia, subditorum mens ad custodiam humilitatis edomatur, si infirmitas propria incessanter attenditur.* Vide eundem Gregorium in libro 11. de cura pastorali cap. viii. Gregorium sequitur sanctus Bernardus Abbas Clarevallensis, qui sic ad Eugenium III. Papam scribit in libro 11. de Consideratione cap. 1. *Non est mea humilitatis dictare tibi sic vel sic fieri quicquam. Sufficit intimasse oportere aliquid fieri unde & Ecclesia consoletur, & obstruatur os loquentium iniqua.* Attamen illud in primis curare debent subiecti, ne ex eo quòd Præpositorum vita reprehensibilis in aliquo videtur, eos propterea contemnant. *Subtilis etenim via tenenda est rectitudinis & humilitatis, ut sic reprehensibilia magistrorum facta displiceant, quatenus subditorum mens à servanda magisterij reverentia non recedat; ut sanctus Gregorius admonet in eodem libro xxv. cap. xx i.*

DOMESTICVM SACERDOTE] Invaluerat ævo Agobardi mos ille, ut viri principes domesticos haberent sacerdotes, qui eis divina officia ac mysteria in possessionibus & agris celebrarent. idque factum antiquitus indulgentia Episcoporum, ut patet ex canone XXI. Concilij Agathensis. Verùm ævo Agobardi ea Episcoporum indulgentia verterat in necessitatem. Extat enim lex de non repellendis Clericis, quos laïci obtulerint Episcopis, ut Presbyteri fiant, libro 1. Capitularium cap. xc. & lib. v. cap. CLXXVII. Vide etiam Hincmari capitula data Presbyteris anno DCCCLXXIV. cap. v. Hinc factum, ut quoniam Presbyteri illi manebant apud magnates, Presbyteri illorum dicerentur. Quod graviter tulit Nicolaus I. Papa; ut patet ex ejus epistola ad Episcopum quendam Gallicanum, quæ extat in Chronico Hugonis Abbatis Flaviniacensis. *Illud autem, inquit, frater carissime, ridiculosum sonuit, quòd apicum tuorum gerulum nobis commendans, hunc Presbyterum esse Gerardi illustris Comititis perhibuisti. Verùm quid hoc scribens prudentia tua dicere voluerit, & quid super hujuscemodi verbo intelligeretis, fateor nos ignoramus. Numquid Gerardus Comes illum Presbyterum consecravit? Numquid de ipsius est diocesi? Vbi hoc legisti? Vbi hoc didicisti? Nisi quia Presbyteri non specialiter Ecclesia, Possessionis, aut Martyrij secundum sacras scripturas ordinantur, sed in domibus laïcorum constituuntur, cum secularibus conversantur; ut jam non Dei, nec Ecclesia cujuslibet, sed illius Comitatis, & illius Ducis esse dicantur. Hujuscemodi Clericos, qui manent in familiis magnatum, acephalos vocat canon XVII. synodi Ticinensis sub Lothario & Ludovico Augg. celebratæ circa annum DCCC. Nulla ratione Clerici aut sacerdotes habendi sunt, qui sub nullius Episcopi disciplina & providentia gubernantur. Tales enim acephalos, id est, sine capite, prisca Ecclesia consuetudo nuncupavit. Docendi sunt igitur seculares viri, ut si in domibus suis mysteria divina jugiter exerceri debeant, quod valde laudabile est, ab his tamen tractentur qui ab Episcopis examinati fuerint, & ab ordinatoribus suis commendatitiis litteris comitati probantur, cum ad peregrina fortè migrare est. Item Urbanus II. in canone IX. Concilij Mel-*

MAIORIS ORDINIS SACERDOTES] id est, Presbyteri quos nunc vocamus Rectores Ecclesiarum parochialium; quos verò Gregorius Magnus vocat Presbyteros Cardinales lib. II. epist. IX. ut à ceteris distinguat, itémque Valterius Episcopus Aurelianensis in capite secundo suorum Capitulorum. Quo etiam modo intelligendus est locus Leonis Papæ de sacerdotibus Cardinalibus, relatus in libro primo Decretalium Tit. XXIV. cap. II. Neque enim assentior Duareno, qui in libro I. cap. XIII. de sacris Ecclesiæ ministeriis hunc locum interpretatur de Presbyteris qui in maiore Ecclesia, quam Cathedrali dicimus, rōm divinam simul cum Episcopo suo faciunt, Canonici hodie vulgò appellati.

CAP. XII.

NUTRICIUS ECCLESIAS] id est, parochiales, apud quas inserti sumus corpori Christi, & in quibus educati sumus. Eandem dictæ sunt matrices in Concilio Cabillonensi quod anno DCCCXV. habitum est, cujus fragmentum edidit Severius, itémque apud Ivonem in epistola CLXXIII. In Concilio tamen Carthagine habito anno CDXVIII. can. XXXIII. matricis Ecclesiæ nomine intelligitur Cathedralis.

CAP. XIII.

ITA EST LANGUIDA] Loquitur de Ecclesia: Salvanus in principio libri primi ad Ecclesiam Catholicam: *Multiplicatis enim fidei populis, fides imminuta est; & crescentibus filiis suis, mater agrotat; factaque es; Ecclesia, profectu tuæ fecunditatis infirmior, atque accessu relabens, & quasi viribus minus valida.*

AD DICENDVM NEC TVTVM] Ea ergo fuit Agobardici sæculi infelicitas, ut sacerdotibus non liceret eloqui quod vellent, sed palpanda essent vitia subjectorum. quod est ultimum calamitatis. Præclarè itaque magnus ille vir, sanctus Cyprianus Carthaginiensis Episcopus in libro de Lapsis: *Qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, inquit, peccandi fomitem subministrat; nec comprimit delicta ille, sed nutrit. At qui consiliis fortioribus redarguit simul atque infruit fratrem, promovet ad salutem. Quos diligo, inquit Dominus, redarguo & castigo. Sic oportet & Dei sacerdotem non obsequiis decipientibus fallere, sed remediis salutariibus*

providero. Imperitus est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat; & in altis recessibus viscerum virus inclusum dum servat exaggerat. Aperiendum vulnus est & secundum & putraminibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur & clames licet, & conqueratur ager impatiens per dolorem, gratias aget postmodum cum senserit sanitatem. Emergit enim, fratres dilectissimi, novum genus cladis; & quasi parum persecutionis procella saevierit, accessit ad cumulum sub misericordia titulo malum fallens, & blanda pernicies.

IN UNUM CONVENERIMVS] Admonet Bernardum Episcopum Viennensem, adeo gravem esse hanc causam, ut in synodo plurium provinciarum merito tractanda sit. quod si occasio ingruat, non pratermittendam esse.

CAP. XIV.

ERVNT SEMPER IN ECCLESIA] Videtur coëtere promissionem Christi, qui pronuntiavit futurum se nobiscum omnibus diebus usque ad consummationem seculi, ad eos qui verè Christiani sunt, hoc est, sancti. Verùm non negat quin istud referatur ad Ecclesiam universalem, quam Christus non reliquit, sed semper gubernat.

CAP. XIV.

MALORVM PERVERSITATE] Existimat igitur Agobardus, sacrificio etiam sacerdotis impij confici sacramenta. Alia Cypriano mens fuit: qui in epistola LXVII. (ut illic adnotat Erasinus) omnino sentire videtur sacrificio sacerdotis impij nihil effici, immo magis inquinari populum. Optatus tamen in libro VI. apertè scribit posse aliquid sanctificari, etiamsi peccatoris operâ fiat divini nominis invocatio. Ergo *iam liquido apparet, inquit, ex invocatione nominis Dei posse aliquid sanctificari, etiamsi peccator invocet Deum.* Id ipsum in causâ Acacij sensit Anastasius Papa in epistola ad Anastasium Aug. cap. VII. & VIII. referturque ab Agobardo infrà in capite XVII. hujus libri. Atque ea auctoritate utitur Hincmarus Remensis in epistola XXVI. quæ data est ad Nicolaum Papam. Inde etiam sumpsisse videtur Liuthprandus Ticiensis lib. I. cap. VII. *Quoniam & ij, inquit, qui à Iuda Domini nostri Iesu Christi proditore ante prodicionem salutem seti bene-*

ditionem apostolicam perceperant, ea post prodicionem propriæ corporis suspensionem minimè sunt privati, nisi quos improba fortè defædarunt flagitia. Benedictio siquidem qua à ministris Christi impenditur; non per eum qui videtur, sed qui non videtur, sacerdotem infunditur. Neque enim qui rigat est aliquid, neque qui plantat, sed qui incrementum dat Deus. Sanè tempore Alexandri III. Ecclesia credebatur dominicum corpus æquè confici à malo sacerdote, & à bono; ut patet ex Sententia adversus Bonos homines lata à Gaucelino Lodovensi Episcopo nomine totius synodi, quæ extat apud Rogerium de Hoveden in parte posteriori Annalium.

SUMMI SACERDOTIS] id est, Christi.

CAP. XVII.

PAPA ANASTASIUS] in Decretis cap. VII. & VIII. Nam verba Anastasij decurtavit Agobardus.

CAP. XVIII.

OFFERENDISVE] Istud additum est ex codice Marnasij.

CRIMINOSOS PROVEHENDO] Vetitum illud. Eum enim qui ad sacerdotium promoveretur, integra fama esse oportet, juxta præceptum Apostoli. Quo factum est ut vetus Ecclesia procul à Clericorum collegio arcuerit eos qui flagitiis commaculati erant; ut patet ex Decretis Papæ Gelasij cap. XVI I. Atque id graviter dolet Alcuinus in Confessione fidei lib. III. cap. XXXVI. quòd vetusta hæc lex in desuetudinem jam tum venisset. *O infelicia tempora nostra, inquit, qua nec Deum timent, nec vim sacrorum Canonum reverentur! Nullus modo sacrilegus vel criminofus, ne ad sacri ordinis officium accedat, inhibetur.*

IGNORANTIA COECOS] Ait Agobardus, multò deterius esse, si ij qui indocti sunt, ad sacerdotium provehantur, quàm si criminofi. Sanè inter virtutes Episcopo necessarias Paulus enumerat doctrinam; *ut potens sit, inquit, exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* Itaque veteres eum omnino arcebant à sacerdotio qui doctus non erat. Hilarus namque Papa sic edixit in synodo Romana anni CCCCLXV. *Inscij quoque litterarum, necnon & aliqua membrorum damna perpessi, & hi qui ex pœnitentibus sunt, ad sacros ordines aspirare non audeant.* Item Gelasius in Decretis

cap. XVI. Illiteratos quoque, & nonnulla parte corporis imminutos, sine ullo respectu ad ecclesiasticum didicimus venire servitium, quod simul antiqua traditio & Apostolica Sedis vetus forma non recipit: quia nec litteris carens sacris esse potest aptus officiis, & viciosum nihil Deo prorsus offerre legalia precepta sanxerunt. Itaque de cetero modis omnibus hac vitentur, nec quisquam talis suscipiatur in Clerum. Vide Notas ad epistolam LXXIX. Lupi Ferrariensis.

CAP. XIX.

QUALITER CUNQUE VIVENTIVM] Anathematizandos ait illos sacerdotes, quorum vita tamen si aliquo modo sit irreprehensibilis, malè tamen docent. Atque hujusmodi exemplum vidimus supra in libro adversus Felicem Episcopum Vrgellensem.

GAP. XX.

GREGEM EIUS] id est, Christi. Quanquam enim interdum fideles uniuscujusque diœceseos dicantur grex Episcopi illius qui diœcesim regit, id fit per translationem. Nam propriè grex non est Episcopi, sed Christi. Vnde & Christianos oves & agnos suos ipse nuncupat in Evangelio, dum eos commendat Petro & ceteris Apostolis, id est, Episcopis.

VT IN TEMPLO EIUS] Hæc omnia, usque ad vocem *Amen*, desunt in editione Massoni. Et tamen extant in codice quo Massonus utebatur, itémque in Marcelliano.

AD LIBRVM

DE GRANDINE ET TONITRVIS.

CAP. I.

IN HIS REGIONIBVS] in agro nimirum Lugdunensi, & circumpositis regionibus.

TEMPESTARIJ] Alibi Sortiarij; qui fulgura, & tonitrua, aliásque aëris tempestates excitare se posse profitentur ope artis suæ. Karolus Magnus: *Ideo precipimus ut carcolatores, & incantatores, & tempestarij, vel obligatores non fiant; & ubicunque sunt, emendentur, vel damnentur.* Item ipse: *De incantationibus, auguriis, vel*

divinationibus, & de his qui tempestates vel alia maleficia faciunt, placuit sancto Concilio ut ubicunque deprehensi fuerint, videat Archipresbyter diocesis illius ut diligentissime examinatione consiringantur, si forte constentur malorum qua gesserunt. Sed tali moderatione fiat eadem districtio, ne vitam perdant; sed ut salventur in carcere afflicti, usque dum Deo inspirante spondeant emendationem peccatorum. Tempestuarios etiam vocat Herardus Archiepiscopus Turonensis in capite I II. suorum Capitulum. De maleficis, incantatoribus, divinis, sortilegis, somnariis, tempestuariis, & brevibus pro frigoribus, & de mulieribus veneficis, & qua diversa fingunt portenta, ut prohibeantur, & publica poenitentia multentur.

CAP. VII.

ILLVM DOMINVS IESVS] Ita omnino co-
dex regius. neque tamen dubito quin verior sit vulgata
lectio; quæ habet, *plantavit in illa Dominus insulas.*

CAP. XV.

APPELLANT HOC CANONICVM] nimirum eam frugum portionem, quæ Tempestariis tribuebatur annuatim à possessoribus, ut ab agris eorum depellerent tempestates.

CAP. XVI.

GRIMALDVM DVCEM BENEVENTANORVM] Duo per ea tempora Beneventanorum Duces fuere, quorum utriusque nomen fuit Grimaldo, & quorum alter alteri successit. Chronicon sancti Vincentij de Vulturno: *Defuncto dehinc Arichis apud Beneventum, Beneventanorum precibus Grimoaldus à Carolo receptus revocatur, & paternum ipse suscepit Ducatum. Iste multa dona Ecclesiis & Monasteriis servorum Dei contulit, sed præcipuè beatissimi Vincentij. Grimoaldo verò nostro mortuo, alter Grimoaldus ex adelfus ei succedit; & hoc decedente, Siso subrogatur. De priore intelligendum puto quod tradit Eginhardus ad annum DCCCII. Grimoaldus Beneventanorum Dux, inquit, in Nuceria Vvinigisum Comitem Spoleti, qui praesidio præerat, adversa valetudine fatigatum, obsedit, & in deditionem accepit, captumque honorifice habuit. Eadem quoque habet auctor Annalium S. Bertini. Posterior autem interfectus est anno DCCCXVII, ut habet idem Eginhardus. Imperator, inquit, cum Haristallium venisset, obvios habuit Legatos Sigonis Ducis Be-*

neventanorum, dona deferentes, eumque de nece Grimoaldi Ducis antecessoris sui excusantes. Vita Ludovici Pij: Imperator per Rotomagum & Ambianum urbem recto itinere se Aquisgrani ad hiberna contulit. Cui revertenti, & Heristallium palatium intranti, occurrere Missi Sigonis Beneventani Ducis, dona quammaxima deferentes, dominum suum à morte Grimoaldi prædecessoris sui purgantes. De utro autem horum capienda sit historia quam heic narrat Agobardus, affirmare non licet. Facilius tamen crediderim hæc in vulgus jactata sub priore Grimoaldo. Hæc enim acta sub Karolo Magno. Successerat autem Arigiso, qui anno D C C L X X V I I. mortuus est; ut tradit Eginhardus in Annalibus, ac post eum alij.

[INIMICVS IMP. CAROLO] Hinc patet librum istum fuisse scriptum in initio imperij Ludovici Pij, quando recens erat memoria belli quod adversus Grimoaldum Beneventanorum Ducem feliciter gestum est à Karolo Magno. Eginhardus ad annum D C C C X I I. *Pax cum Abula & Rege Sarracenorum facta. Item cum Duce Beneventanorum Grimoaldo; & tributum nomine x x v. millia solidorum auri à Beneventanis soluta, quam pacem postea firmavit Ludovicus Pius, ut docet Eginhardus ad annum D C C C X I V. Cum Grimoaldo Beneventanorum Duce pactum fecit atque firmavit, eo modo quo & pater, scilicet ut Beneventani tributum annis singulis v I I. millia solidorum darent.*

A D L I B R V M

C O N T R A O B I E C T I O N E S F R E D E G I S I .

C A P . I .

[FREDEGISO ABBATI] sancti Martini Turonensis post Alcuinum; cuius fuerat discipulus, ut patet ex vita Alcuini. Fuit etiam Cancellarius Ludovici Pij Imperatoris. Variè autem scribitur nomen ejus. Heic enim, itémque in Præcepto ejusdem Ludovici pro Hildebaldio Episcopo Matisconensi, vocatur Fredegisus. In Testamento autem Karoli Magni apud Eginhardum vo-

atur Fridugifus. & & quidem rectius, ut opinor. Nam sic quoque nominatur in Præceptis Ludovici Pij pro Ecclesia Parisiensi, itémque in Præcepto ejusdem Principis pro Ecclesia sancti Lamberti Trajectensis, quod editum est in Tomo primo Historia: Episcoporum Leodiensium pag. 154. ac demum in ejusdem Ludovici Præceptis pro monasterio Arulensi in diœcesi Helenensi & pro monasterio sanctæ Gratæ in diœcesi Virgellensi. Fregedis tamen, quod idem est ac Fredegifus, vocatur à Theodulfo Episcopo Aurelianensi, ex quo etiam discimus Diaconum fuisse. Vide Sirmondam in Notis ad Theodulfum pag. 292.

CAP. VII.

TESTIMONIO PRISCIANI] insignis Grammatici, qui manibus eruditiorum hominum maximè terebatur per eas tempestates. Hunc porro locum laudat etiam Lupus Ferrariensis in epistola xxxiv. & in libro de tribus quæstionibus pag. 235.

CAP. IX.

AQUILA] Karolus Magnus in Capitulari de non adorandis imaginibus lib. i. cap. xiii. *Nova post Septuaginta interpretes, Theodotionem & Symmachum & Aquilam, sive etiam beatum Hieronymum, legis quaratur translatio.* De Theodotione porro, qua ætate vixerit, videndus vir clariss. Henricus Valesius in Annotationibus ad Eusebium lib. v. cap. viii. Hist. Eccles.

CAP. XI.

MULTO INIUSTIVS] Sic legi debere admonuit Massonus in Erratis. prorsus bene. Nam in codice Ms. disertè scriptum est, *multos injustos.*

CAP. XII.

ESAIAS QVOQUE PROPHEETA] In Ms. itémque in editione Massoni scriptum erat *Esaias quoque Philosophus &c.* Itaque quum constaret vitium esse librarij, non verò Agobardi, locum illum liberè correximus.

CAP. XIX.

POTATLSVMVS] Locus est Pauli ex epistola prima ad Corinthios. Et in contextu Pauli { prout etiam laudat Agobardus in capite xxxvii. libri adversus Felicem, & in cap. vii. libri de modo regiminis ecclesiastici, itémque in capite vii. Sermons exhortatorij.

ad plebem) legitur, & omnes in uno spiritu potati sumus. In codice tamen regio, & in editione Massoni, legitur, & omnes in uno spiritu baptizati sumus. quod mutari debere visum est. Nam paulò post Agobardus, replicans locum illum, ac petens quinam potus sit ille, ait: uno spiritu potati sumus.

CAP. XX.

MULTI MARTYRES] Sentiebat ergo Agobardus, eos qui pro nomine Christi contumeliam mortis passi erant, rectà in cœlum ferri, tamenetsi baptizati non fuissent. Eadem fuit sententiã vetusti scriptoris libri de singularitate Clericorum, qui vulgò tribui solet Cypriano. Ideo enim *martyrium*, inquit, *appellatur tam corona quàm baptisma, quia baptizatus pariter & coronatur.* Item Alcuini in Confessione fidei lib. III. c. XXXVIII. *Nullum autem catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam habere eternam dicimus; excepto martyrio, ubi tota Baptismi sacramenta complentur. Sanguine enim, vel igne, vel pœnis aliis baptizantur Confessores.* Vetus quoque scriptor suprà laudatus, atque hactenus ineditus, in Confessione fidei: *Nullum catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam eternam habere credamus; excepto martyrio, ubi tota Baptismi sacramenta complentur. Baptizandus confitetur fidem suam coram sacerdote, & interrogatus respondet. Hoc & martyr coram persecutore facit, qui & confitetur fidem, & interrogatus respondet. Ille post confessionem vel aspergitur aqua, vel tinguitur; & hic vel aspergitur sanguine, vel tinguitur igne. Ille manus impositione Pontificis accipit Spiritum sanctum, hic habitaculum efficitur Spiritus sancti.*

CAP. XXI.

NON ESTIS CHRISTIANI] Hic Fredegisum graviter refellit Agobardus, quòd dixerit Patriarchas veteris testamenti non fuisse Christianos. Et consentaneos habet Agobardus Iustinum martyrem & Augustinum, quos laudat Baronius in initio Apparatus ad Annales Ecclesiasticos. Vide librum adversus Amalium cap. xv.



AD EPISTOLAM

AD PROCERES PALATII.

HILDVINO SACRI PALATII ANTISTITI] *H*id est, Archicapellano, vel Summo Capellano, quo modo vocatur in Præcepto Ludovici Pij pro Hildebaldo Episcopo Matisconensi, quod extat in Bibliotheca Cluniacensi. Habebant enim Principes nostri in Palatio suo quempiam ecclesiastici ordinis virum, qui ceteris præmineret, dictum ob hoc sacri Palatii antistitem; vel sacri Palatii Archiepiscopum, si Episcopus esset. Sic Hildebaldo Colonienfis Archiepiscopus vocatur *sacri Palatii Archiepiscopus* in Præfatione Concilij apud Moguntiam habiti anno DCCCXIII. is ipse nimirum Hildeboldus quem in Palatio suo habere post Angilramnum cupijt Karolus Magnus, ut patet ex canone LVI. Concilij Francofordiensis. Antistitem ergo sacri Palatii Hilduinum vocat, quod summus esset Capellanus. eandemque ob causam Lupus Ferrariensis hunc ipsum Hilduinum in epistola cx. vocat Ecclesiasticorum Magistrum. Nam Abbates, si rerum summam tenerent, prælatos olim fuisse Episcopis, etiam in synodis, jam antea adnotavimus ad Concilium Vernense. Neque id adeo vetus est, quin & Sugerij quoque ævo in usu fuerit; ut pater ex vita ejus cap. II.

VVALE ABBATI] Corbeÿensi in diocesi Ambianensi, uti diximus ad librum de baptismo Iudaicorum mancipiorum.

CHRISTIANISSIMI IMPERATORIS] Ludovici Pij.

VNUM SEMPER] id est, Hilduinum. Nam istum necesse erat residere in Palatio, propter causas ecclesiasticas. Vide quæ de munere Archicapellani diximus ad Lupum Ferrariensem.

ALTERVM FREQUENTER] id est, Vvalam, quo plurimum utebatur Ludovicus in administranda republica, ut patet ex Paschasio Radberto in vita Adalhardi.

V T M A N C I P I V M I V D A I C V M] Optimo Jure excandescit Agobardus adversus Præceptum illud, quod erat contrarium vetustis canonibus & legibus Principum. Nam etiam in nostra Gallia Concilium primum Matisconense servis potestatem fecerat suscipiendi baptismum, etiam in vicis dominis. Et Constantinus Aug. ad Felicem P. P. scribens, Iudæis in universum permisit Christianam religionem amplecti, vetuitque ne propter hoc facinus quicquam à Iudæis inquietudinis vel molestiæ patiatur is qui Christo nomen dederit. Itaque probabile Agobardo visum non est, Præceptum illud a Ludovico Imperatore, qui Pius per antonomasiam dictus est, editum fuisse, quo manifesta contumelia irrogabatur nomini Christiano.

I N T E R. H O M. A D I M A G I N E M S V A M] Agobardus ergo similitudinem Dei quæ est in homine, constituit in anima, non autem in corpore. Vide Notas ad epistolam xxx. Lupi Ferrariensis & ad librum de tribus quæstionibus pag. 471. Alia fuere Iudæorum deliramenta, qui corpus humanum ad imaginem Dei factum putabant, ut Agobardus scribit in libro de Iudaicis superstitionibus cap. x. Quo loco Massonus adnotavit in margine, hæc Iudæorum figmenta in Cabala quoque legi.

M A G I S T E R I N F. I V D A O R V M] Evrardus. Vide suprâ in Notis ad librum de baptismo Iudæicorum mancipiorum.

M I S S O S D E P A L A T I O] id est, Missos Dominicis.

P U B L I C E S V P P L I C A T V R] nimirum pro Iudæis, pro quorum conversione singulis annis orat Ecclesia in diebus Passionis Dominicæ, ut ait Agobardus, id est, feriâ quartâ majoris hebdomadæ. Extat enim oratio quæ tum temporis publicè à sacerdotibus in Ecclesia recitatur pro hac causa. Rhabanus in libro contra Iudæos cap. i v. loquens de Iudæis: *Immo & peiores hæreticis; sicut eos Ecclesia catholica esse judicat, qua in diebus Dominica Passionis post hæreticos, & schismaticos, & prope paganos, pro eis orat.* Item cap. l i x. *Immo eorum veram salutem, pro qua Ecclesia sollemniter orare consuevit, veraciter inquirentes, servemus erga eos ecclesiasticam sinceritatem.*

AD EPISTOLAM

AD BARTHOLOMÆVM

EPISCOPVM NARBONENSEM.

CAP. I.

BARTHOLOMÆO EPISCOPO] Narbonensi post Nibridium. Interfuit autem Concilio apud Tolosam habito anno DCCCXXVIII. unà cum Nothone Arelatensi Archiepiscopo, & Agiulfo Bituricensi. Tum circa annum DCCCXXXIV. subscripsit Privilegio Aldrici Senonensis Archiepiscopi pro monasterio sancti Remigij Senonensis, quod extat in Tomo II. Spicilegij Domni Lucæ Dacherij. Postea quum Lotharius Aug. adversus Ludovicum patrem rebellaret, Bartholomæus Lotharij partes fovit; abeun-
tēque Lothario in Italiam anno DCCCXXXV. Bartholomæus, relicta contra sacras regulas sede sua, cum comitatus est, ut Flodoardus tradit lib. II. cap. XX. Historiæ Remensis. Mansit ergo Bartholomæus in Italia usque ad annum DCCCXLIV. Tum verò quum Ludovicus Lotharij filius Romam pergeret, mandata patris ad Pontificem Procerēsque Romanos perlaturus de ordinationibus Pontificum Romanorum, illuc quoque Ludovicum comitatus est. Et cum is unctus fuisset in Regem Langobardorum, Bartholomæus arrepta hac occasione Sergium I. Pontificem oravit unà cum Ebbone Remensi ut eos reconciliare ac Pallium eis tribuere dignaretur. Quos etiam idem Prasul nec communionem inter Clericos dignos esse suscipere dicebat, sed inter communem populum communicandi licentiam tantummodo haberent. Ita enim docet auctor Gestorum Pontificum ab Hincmaro laudatus in capite XXXVI. posterioris operis adversus Gothescalcum pag. 326. Itaque dejecto Bartholomæo, Berarius in ejus locum susceptus est: quem Narbone sedisse reperio an. DCCCXLIV. XI. Kal. Iulij in Præcepto Karoli Calvi Regis eo die dato pro Ecclesia Narbonensi, cujus partem edidit Ca.

tellus, sed quod nos habemus integrum ex authentico descriptum. Ceterum libri sive epistolæ istius ad Bartholomæum Narbonensem Episcopum meminit Amulo Lugdunensis in epistola ad Theodboldum Lingonensem.

HILDIGISVS] Hinc constat hunc Hildigisum fuisse ex clero Lugdunensi. Et haud dubiè Presbyter erat, cum post illum nominetur Florus, qui Diaconus tantum fuit.

FLORVS] Diaconus Ecclesiæ Lugdunensis, vir, quantum ferebat illa ætas, eruditissimus, editis etiam lucubrationibus clarus, de quibus diximus in Notis ad Lupum Ferrariensem. Extat autem libellus ejusdem Flori de electionibus Episcoporum, qui à Massono editus est ad calcem operum Agobardi, quemque nos eam ipsam ob causam prodire volumus cum eisdem operibus.

QVIDAM VENERANDVS FRATER] Episcopus nimirum Vcticensis in prima Narbonensi, ut ego quidem arbitror. Sedebat autem tum apud Vctiam Elefantus, ut patet ex Manuali Duodenæ.

IN QVADAM ECCLESIA] in civitate Vcticensi sita, ut constat ex epistola Amulonis ad Theodboldum.

FIRMINI] Vcticensis Episcopi, qui an. D XL. & D LV. in ea cathedra sedit, cujusque meminit Araftor Subdiaconus in epistola ad Parthenium à Sirmondo edita post Notas ad Ennodium. Habemus porrò nos vitam ejus, à viris eruditis laudatam, nondum tamen editam, quam olim Tolosæ descripsimus ex pervetusto codice MS. Collegij Fuxensis.

CAP. XII.

MELIUS ENIM FACERENT] Videtur damnare eos qui donarijs illustrent memorias martyrum, dum ait eos meliùs facturos, si sua pauperibus & hospitibus erogarent. Hi enim sunt viua Christi templa. Neque tamen arbitror hinc sumpsisse Erasnum, cum in Colloquio de peregrinatione religionis ergò ait quamplurimos invisere quidem divorum templa, sed nihil aut quàm minimum donare, *disidentes eam pecuniam rectius collocari in egenos*. Sanè subveniendum est necessitati pauperum, quis negat? sed tamen interim negligenda non est domus Dei; uti diximus ad librum

V I. Salviani de gubernatione Dei. Vide porrò antidotum Erasmi in Epitaphium Paulæ ab Hieronymo conscriptum, & Launoium in cap. V I. libri de cura Ecclesiæ pro miseris & pauperibus.

HOSPITIBVS] Hospitalitas magno tum in usu erat apud Ecclesiam. Lib. I. Capitular. cap. LXXV. *Es hoc nobis competens & venerabile videtur, ut hospites, peregrini, & pauperes susceptiones regulares & canonicas per loca diversa habeant.* Vide capitula Karoli Calvi Tit. VI. cap. XL. & Tit. XXI I. cap. X. Lupum Ferrariensem ep. XI. XLI I. XLV. LV. LXXI. Ionam Aurelianensem in lib. II. de institutione laicali cap. XXI X. & alios. Hospitalitatis porrò encomium enarrat Hildebertus in pluribus epistolis. Vide Launoium in capite V I I. libri mox laudati.

VNGENDI OLEO] eo nimirum quo ardebant lampades ad sepulcra martyrum appensæ. Nam multa miracula per hujusmodi oleum fieri consuevisse ex Augustino, Theodoreto, & alijs adnotat Baronius ad annum Christi LV. Adferam tantum locum Augustini ex cap. V I I. libri XXI I. de civitate Dei: *Rursum ibidem apud nos Irenæi cujusdam collectarij filius, agritudine extinctus est. Cumque corpus jaceret exanime, atque alijs gementibus & plangentibus exequia pararentur, amicorum ejus quidam inter aliorum consolantium verba suggestit ut ejusdem martyris (Stephani) oleo corpus perungeretur. Factum est, & revixit.*

NEC PAUPERIBVS SVCCVRRITVR] Existimabat ergo Agobardus, oblationes quæ fiunt ad memorias martyrum, rem esse pauperum, neque inventas esse ad alendam præpositorum avaritiam, aut luxum, vel ad vitam commodiùs transeundam. itaque eas oblationes esse convertendas in solatium pauperum. alioqui enim pessimum esse earum usum. At hodie quotus quisque tandem est eorum qui ad aras sanctorum sedent, cui persuasum non sit nihil ex oblationibus decidere debere pauperibus, quisque pro donarijs illis conservandis non laboreat tanquam pro aris & focus? Denique plurima loca sunt, incluta certè per indigenas advenasque, quibus non alius certior aut luculentior fundus est, quàm qui ex oblationibus provenit. Et laude istorum pietatem. Sed valde optandum esset ut aliquam

A D E P I S T O L A M

A D M A T F R E D V M.

MA T F R E D O] Vel ex solo istius epistolæ titulo patet virum fuisse magnæ dignationis & auctoritatis in Palatio Ludovici Pij. Nam & Ludovicus ipse cum vocat virum inlustrem in Præcepto pro monasterio Gratae in S. diœcesi Vrgellensi, cujus partem aliquam anno superiore edidimus in Notis ad epistolam x x i x. Lupi Ferrariensis. Sic ergo ait Imperator: *Matfredus Comes vir inluster adiens serenitatem culminis nostri &c.* Ac Comitem quidem Aurelianensem fuisse constat ex Adrevaldo Flôriacensi lib. 1. cap. xx. de miraculis S. Benedicti, & ex vita Ludovici Pij ad an. D C C C X X I X. Illo itaque tempore Ionas Episcopus Aurelianensis ad eum misit libros tres de institutione laicali, qui à Domino Luca Dacherio editi sunt in tomo primo Spicilegij; cùm antea editi fuissent Duaci anno M. DC. XLV. ex veteri codice MS. Sancti Amandi in Pabula; cura D. Ildephonsi Goetghebueri Bibliothecarij ejusdem monasterij. Anno dein. D C C C X X X. (ut in capite trigesimo sexto narrat Theganus) cum Pippino Aquitaniae Rege, ac proceribus Palatij, conspiravit adversus Ludovicum Pium, quem de regno expellere volebant. Sed huic pessimo facinori obstitit Ludovici filius Ludovicus. Rursum in partes Lotharij cum ceteris perduellibus transfregit anno D C C C X X X I I. cùmque fugientem in Italiam secutus, illic obiit anno D C C C X X X V. ut tradit auctor vitæ Ludovici Pij. Vide Sirmondum in Notis ad Theodulfum pag. 301.

M I N I S T R V M I M P. E T I M P E R I I] id est, Ministrum Palatij & Regni. Ministrum Palatij; quia non discedebat à latere Principis, principemque locum apud eum obtinebat, secretorum ejus particeps & consiliorum. Ministrum Imperij sive Regni; quia præter

Comitatum Aurelianensem, cui speciali cura invigilare tenebatur, maxima pars curarum Ludovici in administrando imperio erat penes Matfredum.

RE RVM SYMMAM REGENTIS] id est, Ludovici Pij Imperatoris, à cujus latere non discedebat Matfredus, uti jam diximus.

QVIEVIT TIMOR REGVM] Sic Lupus Ferrariensis conqueritur in epistola cxxvi. ad tantam libertatem vitia prorupisse ævo suo, ut vindicata impunitate apertis quibusque, nec Deus, nec Rex, nec Episcopus timeatur. Et videndæ sunt omnino Notæ nostræ ad hanc epistolam.

CAVSIDICOS] id est, eos qui causas referunt ad Principem; adeoque in eorum potestate est provincialium delicta publicare, aut silentio tegere.

PARENTES] id est, consanguineos, vel affines. Et putabam istud esse ex infima Latinitate, parentumque vocabulo olim patrem tantum matrèmque fuisse comprehensos; ut dictum est in Notis ad librum 111. Salviani ad Ecclesiam Catholicam. Verum Sallustij auctoritas nunc facit ut aliter sentiam, apud quem Sulla Bocchum Mauritanie Regem sic alloquitur: *Dein, quod parentes abundè habemus. amicorum neque nobis neque cuiquam omnium satis fuit.*

CYPRIANVS] in epistola ad Donatum. Sed locum ex ea epistola valde decurtavit, ut assolet, Agobardus.

COEPIT LICITVM ESSE] Eleganter Cyprianus in eadem epistola: *Madet orbis mutuo sanguine; & homicidium cum admittunt singuli, crimen est; virtus vocatur, cum publicè geritur.* Sic apud Pseudoplaurum Querolus ait licitum esse quod commune est, id est, quod vulgò fit. LAR. *Quid de falso dicimus?* QVEROLVS. *Hem, quis autem verum dicit? Istud commune est, abi.* LAR. *Idcirco crimen non est? Quid de adulterio?* QVER. *Attat, etiam hoc crimen non est.* LAR. *Quando autem licitum esse cæpit?* QVER. *Men'rogas? quasi tu nescias. Hoc est quod nec permitti nec prohiberi potest.*

COMITEM NOSTRVM BERTMUNDVM] Lugdunensis provincie Præfectum, ut in libro primo vocat Nithardus.

T A L E M V I R V M] id est, Vicecomitem. Vnde patet Vicecomitum institutionem fuisse per eas tempestates in arbitrio Comitum.

S E N I O R I S S V I] id est, domini, Comitis Lugdunensis.

N O N E S T O F F I C I I M E I] nimirum accusatio. Nam Episcopi non debent esse accusatores. Arcadius & Honorius AA. ad Theodorum Praefectum Praetorio: *Provincia moderator sacerdotum & Catholica Ecclesia ministrorum, loci quoque ipsius, & divini cultus injuriam capitali in convictos sive confessos reos sententia noverit vindicandum. Nec expectet ut Episcopus injuria propria ultionem deponat, cui sanctitas ignoscendi soli gloriam deliquit.* Extat hæc lex in Codice Theodotiano l. 31. *De Episcopis.* ac relata deinde est in librum VI. Capitularium cap. CCCIV. Theodoretus Episcopus Cyrensis in epistola XLII. *Angor sanè, ac doleo vehementer, quòd scribere adversus hominem cogor, cujus delicta propter nomen sacerdotij occultare par erat. Scribo tamen, ut oppressos ab eo pauperes vindicem.*

A D E P I S T O L A M

A D L V G D V N E N S E S

D E M O D O R E G I M I N I S E C C L E S I A S T I C I .

C A P . I .

V N U S E S T S P O N S V S] id est, Christus, verus & unus sanctæ Ecclesiæ sponfus. Vide suprâ in Notis ad epistolam ad Nibiridium.

C A P . I I .

C O M M E N D A T B . P E T R O] id est, Episcopis, ut explicant veteres. Vide Notas ad ep. LXXXIV. Lupi Ferrariensis.

C A P . V I I .

C O R P V S C A P I T I] id est Christus Ecclesiæ. Christus enim est caput Ecclesiæ. Episcopi autem sunt membra corporis Christi, quod est Ecclesiæ. Sic enim scribit Gregorius I. Papa ad Ianuarium Archiepiscopum Calaritanum lib. I. epist. LX. *Si ipse Dominus*

Dominus noster viduarum se maritum orphanorumque patrem Scriptura sacra proficitur testimonio, nos quoque membra corporis ejus ad imitandum caput summo debemus mentis affectu intendere. Vide eundem Gregorium lib. 11. epist. xxxviii. & lib. vii. epist. cx.

C A P. I X.

LOCVM REGIMINIS SUSCEPIT] Audiant Episcopi. At Agobardus, cum qui prædicationis officium & locum regiminis suscepit & negligit, operamque dat venationi, aucupationi, piscationi, ceterisque seculi oblectamentis, hunc Episcopum non esse, sed destructorem operis Dei, ac per hoc adiutorem Antichristi. Non abhorrebat à sententia Agobardi Arnulphus Episcopus Aurelianensis, quum hæc adversus Episcopum Romanum eloqueretur in synodo Remensi adversus Arnulphum cap. xxviii. *Quid hunc, inquit, Reverendi Patres, in sublimi solio residentem, veste purpurea & aurea radiantem, quid hunc inquam esse censeatis? Nimirum si caritate destituitur, solaque scientia inflatur & extollitur, Antichristus est in templo Dei sedens, & se ostendens tanquam sit Deus. Et semper visum est alienum à dignitate sacerdotali, secularibus negotiis & sollicitudinibus mundi occupari: Istud enim etiam in seipsis culpant Episcopi in synodo Parisiensi congregati anno dccxxix. ad Ludovicum Pium scribentes: Sacerdotes partim negligentia, partim ignorantia, partim cupiditate, in secularibus negotiis & sollicitudinibus mundi ultra quam debuerint se decupaverunt.*

IN DIVITIIS] Damnat divitias in Episcopo, ut qui Christi pauperis locum in Ecclesia teneat. Sed intelligit, opinor, cum Episcopum esse culpandum, qui divitiis male utitur; ad luxum videlicet, ad libidinem, avaritiam, & cetera malorum mentium vitia. Nam qui pauperes nutrit, Ecclesias ædificat; mittit qui populos in fide instruant, is verò nunquam sat dives erit, tamen si immensos habeat thesauros.

ORNAMENTIS METALLICIS] Istud ipsum graviter exprobrat malis Episcopis sanctus Bernardus Abbas Clavallensis, ad Henricum Senonensem Archiepiscopum scribens: *Clamant vetò nudi, clamant famelici, conqueruntur, & dicunt: Dicite Pontifices in frano quid facit aurum? Numquid aurum à frano repellit frigus sive esurienti*

Iumenta gradiuntur onusta gemmis, & nostra non curatis crura nuda caligulis? Annuli, catenula, tintinnabula, & clavata quedam corrigia, multaque talia tam speciosa coloribus, quam ponderibus preciosa, mulorum dependent cervicibus; fratrum autem lateribus nec semicinctia miserantes apponitis. Neque ab institutore & patre suo dissentit Petrus Clarevallensis in epistola quam sub nomine Iesu Christi scripsit ad Innocentium VI. Papam & Curiam Romanam anno M. ccc. l. i. i. Nam in capite xxx. ita loquitur: Exhortamur quod non nimium sitis curioso spectabiles equitatu, non circa vos discurrentes hinnientium frendentes acies caballorum, non auro curiose tingantur frana, nec ex sericis lora componantur filis, non argento calcaria rutilent, non squarletis spectabilive purpura tegantur sella, nec preciosi pendentes confibulent zonas clavi micantes auro, nec muricis earundem corrigiarum ornatus soleant vedolere tinturam, non eboris pulcritudine obrizi vel argenti metallive preciosi cuiusvis alterius gumphis sellarum conclavet amictus, non micanti perforalia tegantur ostro, nec febescens ex auro gesteris franos, non radiantibus fastuosi sonipedes onerentur gemmis &c. Ex pervetusto codice nostro MS. unde fragmentum aliud anno superiore editum est in Notis ad Lupum Ferraricensem pag. 478.

IN VENATIONIBVS] Quippe vetitum Episcopis alere canes, aut venationem exercere. in quam rem valde celebris est canon l. v. synodi Agathensis: *Episcopis, Presbyteris, Diaconibus, canes ad venandum, aut accipitres, habere non liceat. Quod si quis talium personarum in hac voluptate detectus fuerit; si Episcopus est, tribus mensibus suspendat à communione; Presbyter, duobus mensibus se abstineat; Diaconus vero, ab omni officio vel communione cessabit.* Vide etiam canonem quartum Epaonensem, & x. i. i. canonem Concilij Matifconensis secundi. Karlomannus Princeps in synodo cui martyr Bonifacius interfuit: *Necnon & illas venationes, & sylvaticas vagationes cum canibus, omnibus servis Dei interdiximus, similiter ut accipitres & falcones non habeant.* Venationem enim in Episcopo graviter reprehendit Nicolaus I. apud Gratianum dist. 34. cap. *Quorundam.* itémque Nicolaus I. in Decretis cap. v. i. *Ut Episcopi & Clerici arma non ferant; neque venatui neque aucupio*

studeant. Itaque eos qui venatione delectantur, lubens revocaverim ad ea quæ singulis Christianis ait Prosper in peroratione libri de gloria regnòque sanctorum: *Si venandi est affectio, inquit, habes montes altissimos, cervos velociter Apostolorum Prophetarumque dicta percurrentes. Habes & in campis petram, refugium erycijs & leporibus, quos in simplicitate cordis Christus Dominus per suos canes venatur, ut spinis careant delictorum.* Vide Iohannam Aurelianensem in libro II. de institutione laicali cap. XXIII.

COMESSATIONIBVS] Mirum est tam sollicitos in hoc fuisse veteres, ut nullam occasionem prætermiserint admonendi Episcopos ut à comessationibus & ebrietate abstinere, juxta præceptum Pauli, qui edixit Episcopum debere esse non vinolentum. Insignis est Hieronymi locus ex commentario in Michæam Prophetam, relatus à Gratiano dist. 35. cap. 4. *Ecclesia principes, inquit, qui delicijs affluunt, & inter epulas atque lascivias pudicitiam servare se credunt, propheticus sermo describit, quod ejiciendi sint de spatiosis domibus, lautisque convivijs, & multo labore epulis conquistis, & ejiciendi propter malas cogitationes & opera sua. Et si vis scire quod ejiciendi sunt, Evangelium lege; in tenebras scilicet exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium. Annon confusio & ignominia est, Iesum crucifixum, magistrum pauperum, atque esurientem, factis predicare corporibus, jejuniorumque doctrinam rubentes buccas eminentiæque ora proferre?* Et Magnus ille Gregorius lib. I. epist. XI. V. acriter objurgat Natalem Episcopum Salonitanum, quod derelicta pastorali cura, solis se convivijs occuparet. Unde & eundem Natalem (qui reprehensionem Gregorij in jocum verterat; exemplum adferens Abraham & Isaac, quorum unus angelos convivio exceperat, alter verò satiatus benedictionem filio dederat) postea rursus admonuit abstinere à convivijs, scripta ad eum elegantissima epistola, quæ est XXXVI. ejusdem libri. Et patet convivia illa non fuisse admodum Christiana; cum præter temulentiam & voracitatem, etiam à Christianorum diffamatione non abstinere, nemòque ex irrisione reprehenderetur. Nam convivia Episcoporum debent esse seria.

IN OCVLIS TAMEN DEI NON EST] Ait
Z ij

ergo, eum qui ad episcopatum vocatus est, si seculi oblectamentis indulget, in oculis Dei non esse sacerdotem, tamen si personam Episcopi gerat coram hominibus adeoque Episcopus esse videatur. Sic sanctus Ambrosius in capite tertio libri de dignitate sacerdotali, loquens de malo Episcopo, ait: *pronuntiat enim Episcopus huiusmodi ad populum, dicens, Pax vobis. Oculis quidem carnalibus videtur quasi Episcopus magnus, & divinis intuitibus inspicitur leprosus magnus.* Sic Marcellinus & Faustinus in Libello Precum pag. 46. aiunt quosdam Episcopos perfidiae Arrianorum subscripsisse, *ut episcopale nomen apud homines retinere viderentur, quod utique iam apud Deum post subscriptiones impias non habebant.* Sic Fulgentius Ruspensis Episcopus in capite primo contra Sermonem Fastidiosi, ait eum, tamen si Presbyterij honorem in conspectu hominum ceperit, coram Domino non habuisse. Eadem fuit sententia hæreticorum Albigenisium: qui, ut Rogerius de Hoveden tradit, dicebant quòd *essent ordinandi in Ecclesia Episcopi & Presbyteri; & si tales non ordinabantur quales precipiebant, non essent Episcopi, nec Presbyteri, sed lupi rapaces, hypocrita, & seductores.* Verum rectè adnotatum est à viris eruditissimis, eam esse constantem Ecclesie Catholice sententiam, ex doctrina & traditione apostolica descendente, etiam improbum hominem, canonicè ordinatum, verè sacerdotem ac Dei adiutorem esse. Nam si hæc regula non esset certa, horrenda confusio turbasset Ecclesiam, etiam in initijs Christianismi. Nam & Iudas malus erat, qui tamen Apostolus Christi fuit. Et multos postea varijs temporibus malos Episcopos fuisse nemo negaverit. Denique Christus ait Scribas & Phariseos sedisse super Cathedram Moysi. Itaque sic scripsisse videtur Agobardus vehementer, ut Episcopos admoneret sui officij, & ut intelligerent quantum Deo displiceat mala Episcopi vita.

C A P. X I.

PRÆDICANT UT ACCIPIANT] Tum enim, quod meritò damnat Agobardus, erant nonnulli, qui verbum Dei prædicabant quæstus causa, non tam solliciti de cura animarum, quam de colligenda pecunia. Et omnino accepisse ista videtur Agobardus à sancto Papa Gregorio, cuius hæc sunt verba ex libro XIX. in Iob cap. XI. *Imyto pedes lavantur, dum sanctis prædicantori-*

Bus debita ab audientibus stipendia conferuntur, & quos fatigat injunctus prædicationis labor, exhibita à discipulis pinguedo boni operis fovet, non quod ideo prædicent ut alantur; sed ideo alantur ut prædicent, id est, ut prædicare subsistant; non ut intentionem sumendi victus transent actio prædicationis, sed ad utilitatem prædicationis deseruiant ministeria sustentationis. Vnde à bonis prædicatoribus non causa victus prædicationis impenditur, sed causa prædicationis accipitur victus. Neq; verò dixerim nihil prædicatoribus debere dari ab auditoribus. Nam dignus est operarius mercede sua; & justum est ut qui spiritalia nobis seminant, carnalia nostra metant; ut ad Corinthios scribit Paulus Apostolus. quem locum attulit idem Gregorius Homilia xvi. in Evangelia, ut ostenderet æquum esse ut populus Christianus alimenta sustentationis suppeditet prædicatoribus. Hoc enim, ut dixi, justum est, & prorsus æquum. Sed quis ferat prædicatores quosdam, qui nihil non agunt ut cathedras occupent majores, & ex quibus majus salarium provenit. Quasi constaret verbum Dei non valere, nisi quantum æstimatur.

IN PROPRIAM LAUDEM] Taxat alterum genus concionatorum æquè odiosum, eos nimirum, quibus hæc unica cura est, ut bellè concionari videantur, cujusmodi nimium multi sunt. atque utinam nulli essent. Tum admonet, vitandum id esse. Præclare sanctus idem Gregorius in Homilia paulò antè laudata: *Quisquis namque ideo prædicat, inquit, ut hic vel laudis vel muneris mercedem recipiat, aterna proculdubio mercede se priuat.* Vide rursus eundem Gregorium Homilia xx. in Ezechielem.

CAP. XII.

PASTOREM PASTORVM] id est, Christum. quo etiam modo eum nominant Prosper, Petrus Chrysologus, Iulianus Pomerius, Ruricius Lemovicensis, Gregorius Magnus, Hincmarus, alij. Sic, quod idem est, alibi vocatur Princeps pastorum, Sacerdos Sacerdotum, Pontifex Pontificum, Episcopus Episcoporum. Posterioribus tandem seculis Episcopus quoque Romanus vocatus est Episcopus Episcoporum. Quod ita intelligi debet, ut quia caput est omnium Domini sacerdotum, & præcipuus totius orbis Episcopus, privilegio

sedis suæ, intelligatur ob hoc ipsum constitutus super reliquos orbis Episcopos, ideóque quodam modo sit Episcopus Episcoporum, præsertim cum ad eum pertineat cura & sollicitudo universalis Ecclesiæ. Neque tamen existimandum est hanc appellationem fuisse tributam antiquitus Episcopo Romano; tametsi quidam ita se colligere putent ex libro Tertulliani de pudicitia, & ex Cypriano in præfatione Concilij Carthaginiensis. Nam, si quid in his rebus video, Tertullianus heic Pontificem Romanum satyrico sale defricat. certè palpo non percutit. Et in Cypriani sensu manifestum est eos falli. Neque enim ait Cyprianus, removendam esse præsumptionem Episcopi Romani, qui se Episcopum Episcoporum diceret. Sed ait: *Neque enim quisquam nostrum Episcopum se Episcoporum constituit.* id est. Non arbitror quemquam Episcoporum, qui heic præsentis sumus, eò præsumptionis excedere, ut se supra omnes collegas suos efferat, sententiámque sui ipsius unicam, ut tyranni solent, prævalere debere contendat adversus sententiam plurimorum, præsertim quoties fidei causa ventilatur. Hunc ego genuinum verborum Cypriani sensum esse arbitror. Sumptum est autem istud loquendi genus ex rhetorum disciplina. Alioqui enim si qui supra Episcopos sunt, Episcoporum Episcopi dici debent; dubium non est quin Primas Africæ, nimirum Episcopus Carthaginiensis, dici debuerit Episcopus Episcoporum. Nam si istud loquendi genus quippiam haberet auctoritatis, multum detraheret de dignitate Episcopi Romani, cum quo nonnulli Episcopi paria facere viderentur. Sidonius enim libro v. i. epist. 1. Lupum Trecentem Episcopum vocat patrem patrum, & Episcopum Episcoporum. Et Ennodius lib. 1. Carm. xv. Ambrosium Episcopum Mediolanensem vocat pastorem antistitum. Et tamen nemo dixerit Pontifices Romanos, qui Lupi & Ambrosij ævo floruerunt, Lupo Ambrosioque fuisse subiectos. Quin & Karolus ipse Magnus vocatur Episcopus Episcoporum à monacho Sangallensi in libro primo de ecclesiastica cura ejusdem Karoli cap. xxv. i. Et Edgarus Angliæ Rex, qui anno dcccclxvi. vivebat, pastor pastorum vocatur à synodo provinciali Angliæ sub Dunstano celebrata. Sic Eusebius in libro primo de vita Constantini cap. xli. v. Constantinum

vocat communem omnium Episcopum; & Clodoveum Regem, regionum Præsulem, Remigius Remensis Episcopus, quos tamen Episcopos fuisse nemini hæctenus in mentem venit. Atque id ideo visum est adnotare, ut planum omnibus fieret quonam modo accipienda sint verba Tertulliani ac Cypriani. Littera enim occidit, spiritus vivificat.

CAP. XIV.

AB ILLO QUI SEDET IN SOLIO] id est, Episcopo. Nam is in throno sedet in Ecclesia, id est, in cathedra sublimiore. Et cathedram illam episcopalem, solium quoque vocat Sulpitius Severus in capite primo secundi dialogi, augendam ad invidiam. *Quendam nuper, inquit, non sine meo pudore vidi, sublimi solio quasi regio tribunali, celsa sede residentem.* Addam verò locum celeberrimi viri Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis: qui explicans canonem LIII. Collectionis Africanæ, hæc ait: *Significat typhum secularem & tumorem quorundam Episcoporum, qui dominatum in Clero exercebant; & in cathedram elevati, ac si esset solium quoddam regium, & arx velut imperij, tyrannicam sibi dominationem vindicabant.* Tum statim ferme sequitur: *Sane cathedra episcopalis sublimior erat, & velut in fastigio constituta, unde possent Episcopi de superiori loco fideles monere.* Sumptum autem istud videri potest ex Augustino, cujus hæc sunt verba ex enarratione in psalnum cxxvi. *Ideo altior locus positus est Episcopis, ut ipsi superintendant, & tanquam custodiant populum.* Et paulò post: *Quomodo enim vinitori altior sit locus ad custodiendam vineam, sic & Episcopis altior locus factus est.* Vide Henricum Valecium in Annotationibus ad Historiam Ecclesiasticam Eusebij lib. VII. cap. xxx.

QUI LABORAT AD MOLAM] id est, usque ad inferioris ordinis pastores & præpositos. ne quis putet hæc dici Episcopis tantum. Et paulò post addit hæc scripta esse, non solum propter Episcopos, sed etiam propter Abbates, Præpositos, & Presbyteros, quos pastorum & rectorum nomine intelligi debere ait. Itaque Diaconos etiam excludit à pastorum munere. Et tamen in his quoque sacerdotium agnovit Cyprianus, aliisque veteres.

AD LIBRVM

DE IMAGINIBVS.

IN VALVERAT ævo Agobardi pessima superstitio, ut existimarent nonnulli imaginibus sanctorum ita ut Deificæ Trinitati seruitium aut adorationem impendi debere. Quod adeo impium visum est Ecclesiæ Gallicanæ, ut & Episcopi in synodo Francofordiensi congregati damnauerint secundam synodum Nicænam, quæ adorationem illam imaginum videbatur imperasse, & Karolus ipse Magnus stilum quoque aduersus eam strinxisse putetur. Ludouico deinde Pio, Karoli filio, regnante, emicuit rursus in hoc argumento ardor Episcoporum Galliæ: qui cum adorationem illam imaginum ferre non possent, nihil intemptatum reliquerunt, quo mentes fidelium ab eo errore reuocarent. Et omnino, dum studebant veritati, videbantur facere contumeliam imaginibus, quibus crederes asseuerasse nullum cultum deberi; retinendas tamen, ut ex earum aspectu fideles excitarentur ad imitationem sanctorum hominum. Vnus multorum huic operi incubuit Agobardus, sed adeo vehementer, ut propterea existimaverint nonnulli librum hunc non esse quomodocumque catholicum. Sed tamen quidam pij eruditique viri, post rem istam accuratè discussam, senserunt nihil in eo esse quod aperte violet fidem Ecclesiæ, adeoque ab Agobardo summo verunt auctoritatem Censuræ Hispanicæ ac Cardinalis Baronij. Ego crediderim Agobardum scripsisse quod omnes tum in Gallia, ut etiam à Sirmondo observatur est, sentiebant. Sanè instituti mei non est pronuntiare de arduis hisce quæstionibus. Attamen silere non possum mihi valde placere Decreta Concilij Cameracensis habiti anno M. D. L X V. sub Maximiliano à Belgis Archiepiscopo Cameracensi, quod sic statuit in cæta imaginum. *Imagines in templis nulla statuantur, nisi Episcopi consensu & iudicio. Si que autem erecta fuerint, ac pre se ferant quicquam quod non deceat, neque prototipo congruat, tolli eas aut mutari iubeto. Docentur prater ea populus imagini nullum cultum deberi aut propter ma-*

teriam, aut propter elegantiam, aut propter precium operis, aut propter quidvis aliud quod sit in artificio, aut imaginis substantia; sed propter rem significatam, ad quam hic cultus & honos precipuè refertur. Et sic admonendus est, animum orantis aut venerantis in rem signatam referri, & non in signum, quod nec audit, nec videt, nec sentit. Vide Gulielmum Durandi in libro secundo de modo generâlis Concilij celebrandi cap. LVII.

CAP. X.

SCHISMATE VIGILANTII] Celebris est hic homo ob aculeatas Hieronymi in eum scriptiones. Et constat hominem fuisse valde hæreticum, ac meritum ut adversus eum exanderet Hieronymus. Ac vulgò putant hominem fuisse Hispanum. Sed illam opinionem esse falsam evincit illustrissimus vir Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis in Dissertatione de patria Vigilantij, quam olim in publicum exire facimus. Probat autem Aquitanum fuisse.

CAP. XI.

NEC IN ALICVIUS HONOREM] Sic ait Agobardus, non licere cuiquam dedicare templum in honorem alicujus sancti, sed tantum solius Dei. Sed opinor mutaturum fuisse sententiam, si hoc nostro seculo vixisset, quo receptum est Ecclesias dedicari in honore sanctorum. Olim Ecclesiæ dedicabantur in honorem Dei; & in eis erant memorie martyrum,

CAP. XVI.

AD MELIORA QVIS TRANSEAT] Sic Polycarpus apud Eusebium lib. IV. cap. XV. ait: *Neque enim nobis à melioribus ad deteriora mutabilis mens est. Pulchrum quidem atque honestum ducimus à vitiis ad virtutem transcurrere.* Ex versione viri clarissimi Henrici Valelij.

SANCTAS APPELLANT IMAGINES] Indignatur Agobardus, & meritò, quòd sanctas imagines dicerent, sanctitatem rebus inanimatis tribuentes, & operibus manuum suarum. Nihil tamen vetat, quin aliquo modo dici possint sanctæ, habita ratione personarum quæ in tabulis illis pictæ sunt, vel factæ. Atque ob eam causam eas sanctas vocat Beda in Historia Abbatum Viremuthensium nuper edita,

SANCTORVM MEMORIAS] id est, templa, in quibus sanctorum corpora jacent sepulta, vel ubi solennis eorum memoria agitur.

IN GESTIS B. SYLVESTRI] Hunc quoque locum laudat Karolus Magnus in Capitulari de non adorandis imaginibus lib. II. cap. XIII. itémque synodus Parisiensis habita anno DCCCXXIV. & Vvalafri-
 dus Strabo in capite octavo libri de rebus ad Ecclesiam pertinentibus. Verùm Karolus Magnus censet librum illum actuum beati Silvestri, ubi de imaginibus Constantino Imperatori delatis scribitur, nullius esse auctoritatis, eò quòd inter catholicos libros recensitus non sit in Decretali Gelasij.

QVENDAM PRESBYTERVM] Sulpitium Severum Primuliacensem Presbyterum; ut patet ex epistola octava Paulini ad Severum, in qua sic scriptum est: *Quid enim tibi de illa petitione respondeam, qua imagines nostras pingi tibi mittique jussisti? Obsecro itaque te per viscera caritatis, qua amoris veri solatia de inanibus formis petis?* Verùm istud nihil facit adversus adoratores imaginum. Nam Severus imagines Paulini & Therasiæ postulaverat, non tanquam adoraturus, sed ut quos absentes amabat, præsentem eo modo semper haberet; ut etiam agnoscit Agobardus. Neque verò puto quemquam velle culpare hunc affectum.

FOROJULIENSEM EPISCOPVM] Puto memoria lapsus Agobardum, próque Sereno Massiliensi Episcopo, quem variis epistolis objurgavit Gregorius ob fractas imagines, Forojuliensem Episcopum dixisse. Vide S. Gregorium lib. VII. Indictione II. epist. c. IX. & lib. IX. Indict. IV. epist. IX.

LIBRO SACRAMENTORVM] Intelligit Librum Sacramentorum sancti Gregorij, cujus exemplum habemus in illo quem vir clariss. Hugo Menardus monachus Benedictinus edidit in hac urbe Parisiensi ante hos viginti annos. Et ipse quidem existimavit esse ipsum librum Sacramentorum sancti Gregorij. Sed nobis longè aliud persuasum est. Nam in officio feriæ quartæ post Palmas, extat mentio disertæ Imperij Fran-

corum. quod evincit hunc codicem esse scriptum post annum DCCC. atque adeo non esse librum sancti Gregorij. Quod fugisse miror Menardum, qui in Præfatione sua hinc quoque auctoritatem conciliare conatur huic codici, quòd scriptus sit, ut ipse ait, ante Karoli Magni imperium, *cùm in illo nulla sit Imperatoris mentio*. Libri istius Sacramentorum vetus jam erat usus in Ecclesia Romana, adeoque in Gallicana. Nam Gelasius Papa hujuscemodi librum scripserat, in epitomen postea redactum à Gregorio Magno; ut docet Ioannes Diaconus in vita ejusdem Gregorij, prout citatur à Bernone Augienfi in cap. primo libri de quibusdam rebus ad Misiam spectantibus. *Sed & Gelasianum codicem de Missarum solemnibus, inquit Ioannes, multa subtrahens, pauca convertens, nonnulla superadjiciens, in unius libelli volumine coarctavit, quod volumen, Librum Sacramentorum pratitulavit*. Sed & in veteri codice M. S. monasterij Ripullensis in Catalonia sic legitur: *Incipit LIBER SACRAMENTORVM, editus à sancto Gelasio Papa Romano, emendatus & breviatus à B. Gregorio Papa Sedis Apostolica*. Vide Præfationem Menardi in eum quem diximus Librum Sacramentorum. Sacramentarium vocatur in libro VII. Capitular. cap. CCCV.

CAP. XXXI.

[NON PONAMVS SPEM N. IN HOM.]
 Quid? An damnat invocationem sanctorum? Non arbitror. Tum enim persuasum omnibus erat invocari debere sanctos, eos verò plurimùm posse pro nobis apud Deum. quod & ipse Agobardus scribit in capite sequenti. Intelligit ergo sanctos non esse adorandos, cùm & ipsi homines sint; exemplo haud dubiè Petri Apostoli, ad cujus pedes cùm Cornelius procidisset, eum adoraturus, incanduit Petrus, & dixit: *Surge. Nam & ego homo sum*. Quem locum adduxit etiam Hieronymus adversus capitalem martyrum hostem Vigilantium, dicens: *Quis enim, ô insanum caput, aliquando martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum? Nonne Paulus & Barnabas, cùm Lycaonibus Iupiter & Mercurius putarentur, & eis vellent hostias immolare, sciderunt vestimenta sua, & se homines esse dixerunt? non quòd meliores non essent olim mortuis hominibus Iove atque Mercurio. sed quòd sub gentilitatis errore honor eis Deo debitus du-*

92 STEPHANI BALVZII
ferretur. Quod & de Petro legimus; qui Cornelium se ado-
rare cupientem manu subleuavit, & dixit: Surge. Nam
& ego homo sum. Vide Hincmarum in epistola secunda
ad Karolum Calvum Regem cap. VI II.

C A P. XXXII.

GESTA SYNODALIA] Hinc discimus, illic
sblitos olim pingi confessus Episcoporum, ubi habita
fuerant Concilia, ut tantæ rei memoria inhæretet animis
mortalium, fidemque faceret erroris prostrati.

C A P. XXXIII.

ANTHROPOMORPHITAR. HÆRESI]
Hos Epiphanius in hæresi LXX. Audianos vocans, non
inter hæreticos recenset, sed inter schismaticos, dans
veniam rusticitati. Nam eorum error hic erat, ut Deum
sibi fingerent humana specie, secundum quam creaverit
hominem ad imaginem & similitudinem suam. Tum
Pascha, more Iudæorum, luna XIV. celebrari debere
aiebant. Ejus sectæ auctor Audæus è Mesopotamia, vir
planè sanctus, ac prisca moris, ut constat ex eodem
Epiphanio. Vide Prædestinatum libro I. cap. L.

ORTHODOXIS PATRIBVS] Episcopis in
synodo Eliberitana congregatis circa annum CCCV. qui
picturas decreverunt in Ecclesia esse non debere; ne
quod colitur, & adoratur, in parietibus depingatur. qui
canon mirè torsit ingenia hominum cruditorum.

A D L I B R V M

DE DISPENSATIONE
ECCLESIASTICARVM RERVM.

C A P. I.

SEPTIMANIA] Septimanix nomine heic, ut &
apud Ionam Aurelianensem, intelligi puto, non so-
lùm primam Narbonensem, sed Vrgellensem quoque
diæcesim, quæ tum sub Metropolitano Narbonensi erat.
Nam in Præceptis Ludovici Pij, & Karoli Calvi, Ec-
clesiæ & Monasteria illius tractus accensentur Septima-
niæ; ut alibi dictum est à nobis. Et constat Felicem Epi-

scopum Vrgellensem, virum sanctissimæ vitæ, magis laborasse pro erudiendis in vera fide, ut putabatur, plebibus sibi subjectis, quàm ceteris populis Gallie Narbonensis. Et tamen Ionas in libro primo de cultu imaginum ait: *Felix, cum multis apud Septimaniam eundem haustum pestiferum propinaverit, eum tamen Gallia Germanique, quantum in illo fuit, propinare voluit.* Porro Septimaniæ vocabulum recens, & serò repertum, nimirum post pullos à Gotthis Romanos, non à Biterra Septimanorum sumpsit originem, ut plerique putant, sed ab ea Septem Provinciarum portione quæ Gotthis cesserat jure belli; quam Sidonius, hujus vocis auctor, ob hoc ipsum vocat Septimaniam Gotthorum. Sed novam hanc de Septimaniæ vocabulo opinionem, quæ est Illustrissimi viri Petri de Marca, fusè ipse executus est in libro primo Marce Hispanicæ.

PROVINCIA] id est, secunda Narbonensis, quæ nunc quoque Provincia dicitur. vulgò *Provence*. Et ex epistola LXVII. Cypriani fortassis tentari posset jam tum sic dictam fuisse.

CAP. II.

IN ATTINIACO] Synodum illam fuisse celebratam anno DCCCXXII. mense Augusto tradit Eginhardus, itémque auctor vitæ Ludovici Pij.

DISTINCTIS CAPITVLIS] numero XXVIII. editis in Attiniaco, quæ nunc quoque exant. Assentior enim Sirmondo, qui de his Capitulis heic agi putat.

CAP. III.

ADALARDVS] Abbas Corbeicensis. de quo vide quæ diximus ad librum de baptisimo Iudaicorum mancipiorum.

A TEMPORE REGIS PIPINI] Nam in hujus aula educatus est Adalardus, ut supra diximus. Unde constat verissimum esse quod ait Agobardus, Adalardum tunc fuisse valde senem quum synodus illa habitata est apud Attiniacum. Nam eum vocat venerandum senem. quod epitheton vulgò non tribuitur senibus, nisi qui ævi sunt longævi. Pippinus porro Rex mortuus est anno DCCCLXVIII.

CAP. IV.

DE REBUS ECCLIS.] Hæc omnium per eas

tempestates querela, quam graviter in hoc libro inculcat Agobardus, res ecclesiasticas injustè possideri à laïcis, cum id vetuerint canones. Respicit autem, opinor, præter Gallicanos canones, ad synodum Romanam sub Papa Symmacho; quæ distractionem bonorum ecclesiasticorum prohibuit; edixitque ne laïcis traderentur.

INLIBATOS CONS. DEB. CANONES]
 Agnosco vehemens studium antiquitatis in Agobardo. Cuncta enim revocari cupit ad normam priorum regularum. Et patet hominem fuisse peritum canonum ac disciplinæ ecclesiasticæ. Nulli autem magis cupiunt inlibatos servari canones, quàm qui studium operamque suam ponunt in sacrorum canonum discendis tententis. Gravissimam porrò rationem adfert Agobardus, cur canones debeant esse intemerati & illibati. *Quia, inquit, firmati sunt spiritu Dei, consensu totius mundi, obedientia Principum, consonantia Scripturarum.* Vnde discimus quænam patribus nostris mens fuerit per illas tempestates, quoad legitimam Conciliorum auctoritatem. Primùm necesse erat canones decerni, ea moderatione servata, ut nihil in eis sanciretur quod sacre Scripturæ contrarium esset. Deinde necessarius erat fidelium consensus, & Principum auctoritas, (quam modestiore vocabulo obedientiam vocat Agobardus) ut rerum definitarum executio sequeretur. Nam in causis disciplinæ, magni ponderis semper visa est auctoritas Principum, & populorum consensus. Denique multa posteriores synodi, in quibus etiam Romani Pontifices præsidebant, constituerunt, quæ observata non fuere etiam ab iis ipsis quorum ævo constituta fuere; ut alibi adnotatum est à nobis. Et quoad seculum Agobardicum, constat eos solos Gallicanos canones fuisse observatos, qui Principibus placuerant, ceteros non admisos. id quod vel unico synodi Meldensis, quæ sub Karolo Calvo habita est, exemplo probari posse nemo negaverit.

ISTÆ NECESSITATES] Aiebant enim Principes, se necessitate quadam adactos tribuere laïcis res ecclesiasticas, ut his bonis adjuti, faciliùs morari possent in servitio Principum, id est, militare officium exercere. de qua re paucis diximus in Notis ad Lu-

pum Ferrariensem. Vide librum v. Capitularium cap. c l x x x i. Capitula Karoli Calvi Titulo x x i i i. cap. v i i. Lupum Ferrariensem epist. l x x i. & Flodoardum lib. i i i. cap. i v. Historiæ Remensis.

PRÆCESSORES EIVS] id est, Karolus Martellus, novi hujusce juris repertor, tum Pippinus, & Karolus Magnus.

CAP. V.

IN COMPENDIO PALATIO] Anno itaque sequenti post conventum Attiniacensem, id est, anno d c c c x x i i i. habita est synodus apud Compendium, in qua rursùm actum est de rebus sacris illicite usis. quam synodum miror à nemine hæctenus agnitam fuisse. Certè Conventus habiti in Compendio Palatio anno d c c c x x i i i. mense Novembri, ut edictum fuerat in Conventu Francofordiensi, mentionem facit Eginhardus, in eoque Legatos Papæ Paschalis auditos fuisse. Cujus rei meminit etiam auctor vitæ Ludovici Pij, itémque auctor annalium S. Bertini. Ne quis verò causetur Conventum fuisse merè politicum, non autem ecclesiasticum, adeoque nec synodum, testis est Agobardus in capite sequenti, ei conventui interfuisse etiam Episcopos. Vigebat autem hic mos per eas tempestates, ut Episcopi in conventibus illis regis tractarent de rebus sacris & ad religionem pertinentibus, seorsùm à laïcis, si res esset merè spiritualis; simul verò, si res ad disciplinam ecclesiasticam pertineret. Quo fiebat ut decreta dein in publicum ederentur, quæ Concilij episcopalis auctoritate & dignitate erant instructa; ut pluribus ostendit Marca in libro v i. De concordia cap. x x v. Quare dubium non est quin hic Compendiensis conventus, in quo actum docet Agobardus de rebus sacris illicite usis, referri debeat inter synodos ecclesiasticas, non secùs ac aliæ quæ seculo illo celebratæ fuerunt.

DIMITTAMVS CAUSAM DEO] id est. Quoniam illi cedere nolunt veritati, cedamus nos temporì. Deus porrò, cui omnia nota sunt, veritatem patefaciet, quum ita rebus humanis expedire viderit.

CAP. V I I.

SI VIDVAM] Sumptum istud ex canone x v i i i. apostolico, in quo sic scriptum est: *Si quis viduam & ejetam acceperit, aut meretricem, aut ancillam, vel ali-*

quam de his quæ publicis spectaculis mancipantur, non potest esse Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aut ex eo numero qui ministerio sacro deserviunt. Innocentius I. in epistola ad Victricium Episcopum Rotomagensem: *Ut viduam Clericis non ducat uxorem; quia scriptum est. Sacerdos uxorem virginem accipias, non viduam, non ejetam. Vtique qui ad sacerdotium labore suo & vita probitate contendit, cavere debet, ne hoc præjudicio impeditus pervenire non possit.* Hilarus Papa in synodo Romana: *Cavendum ergo in primis est ne ad sacros gradus, sicut gradibus prioribus ante præscriptum est, quisquam, qui uxorem non virginem duxit, aspiret.* Gregorius Magnus lib. II. epist. XXV. *Præcipimus autem, ne unquam illicitas ordinationes facias, ne bigamum, aut qui virginem non est sortitus uxorem.*

IN DECRETO VETERI] id est, in veteri testamento, ubi ista præcepta sunt, non in novo. Leviticus cap. XXI. *Virginem ducet uxorem, nimirum sacerdos. Viduam autem, & repudiatam, & sordidam, atque meretricem non accipiet, sed puellam de populo suo.* Ezechielis cap. XLIV. *Et viduam & repudiatam non accipient uxores, sed virgines de semine domus Israël.* Nam in novo testamento nihil aliud præscriptum est, nisi ut Episcopus sit vir unius uxoris, ut rectè notatum est ab Agobardo, °

C A P. X I V.

IN SERVITIVM REVOCANT] Vetitum illud. Servum enim libertate donatum revocare in servitutem non licet, nisi rirulo ingrati. Verùm nullo modo posse revocari eos qui Ecclesiæ delegati sunt, decrevit synodus Arausicana prima can. VII. *In Ecclesia manumissos, vel per testamentum Ecclesia commendatos, si quis in servitutem, vel obsequium, vel ad colonariam conditionem imprimere tentaverit, animadversione ecclesiastica coercatur.* qui canòn postea repetitus est in Concilio Arelateni secundo. Manumissum porrò in Ecclesia, à domino non potuisse ad servitutem revocari, etiam titulo ingrati, docet nos canon XXXI. ejusdem Concilij Arelateni. Impium enim est, ut quod in Ecclesia Dei consideratione à vinculo servitutis absolvitur, irritum habeatur; ut loquitur canon VII. Concilij v. Aurelianensis. Vide etiam Concilium Matissonense secundum.

ECCLESIE CVM POSSESS. VENVN-
 ▶ ANTVR] Origo mali istius petenda est ex concessio-
 ne rerum ecclesiasticarum, quæ viris secularibus facta
 fuerat. Nam illi Ecclesias sibi datas cum possessionibus
 retinebant, & ad heredes suos transferebant; ut patet ex
 lib. I. Capitularium ca. cx. & libro v. cap. xli v. Rece-
 pro autem semel hoc jure, dubium non fuit quin, sicut in-
 ter heredes dividi poterant, distrahi quoque & vendi pos-
 sent; si res ita ferret. Quod hodie quoque in Gallia ob-
 tinet quoad decimas quas vocant infeodatas. Eas enim
 possessores transmittunt ad heredes suos, aut aliis ven-
 dunt, prout animus tulerit.

PRO SECVLTVRIS] Ex hoc fonte ut plurimum
 prodierunt possessiones, latifundia, & agri, ex quibus
 ditata & amplificata est Ecclesia. Existimabant enim fi-
 deles melius sibi futurum post hanc vitam, si virorum
 ecclesiasticorum precibus adjuvarentur. Atque ut id
 apud eos obtinerent, curabant in primis corpora sua se-
 peliri ad Ecclesias, quæ transire solebant viri ecclesia-
 stici, ut defunctorum memoria quotidie in eorum men-
 tibus renovaretur. Interim res suas delegabant Ecclesiæ;
 ut vel ex hac temporali retributione facilius homines
 excitarentur ad implorandam Dei misericordiam pro
 illis qui dederant, quique jam defuncti erant. Vide li-
 brum vi. Capitularium cap. cclxxxv. ccxciii.
 cccxxii. & librum vii. cap. cxcix.

CAP. XVIII.

LEGES SECVLI] id est, leges civiles. Extat au-
 tem hæc lex in libris Pandectarum, l. 9. D. ad l. Iuliam
 pecul. ubi hæc verba Pauli I. C. referuntur ex libro sin-
 gulari de judiciis publicis. *Sacrilegi capite puniuntur.*
Sunt autem sacrilegi, qui publica sacra compilaverunt.
At qui privata sacra, vel adiculas incustoditas tentave-
runt, amplius quàm fures, minus quàm sacrilegi meren-
tur. Quare, quod sacrum, quòdve admissum in sacrilegij
crimen cadat, diligenter considerandum est. Labeo trige-
simo octavo posteriorum peculatum definit pecunia publica
aut sacra furtum, non ab eo factum cujus periculo fuit.
 & ideo adituum in his quæ ei tradita sunt peculatum non
 admittere. Ad hunc locum respexisse videtur Augusti-
 nus in Tractatu quinquagesimo in Ioannem. *Eccè inter*

sanctos est Iudas, inquit, ecce fur est Iudas; & ne contemnas, fur sacrilegus, non qualiscunque fur; fur loculorum, sed dominicorum; loculorum, sed sacrorum. Si crimina discernuntur in foro qualiscunque furti & peculatus, (Peculatus enim dicitur furtum de re publica, & non sic iudicatur furtum rei privata quo modo publica) quanto vehementius iudicandus est sacrilegus fur, non undecunque tollere, sed de Ecclesia tollere. Laudatur hic locus in libro VI. Capitularium cap. cccii.

SACRILEGII NOMINE CENSETUR] Exat enim ea de re lex in libro VI. Capitularium cap. cccxxiii. *Sciendum est omnibus quod sacrilegium sit res Ecclesie quocunque modo injuste ab Ecclesiis quibus iure debentur auferri, & in aliud transferri. Vide libro eod. cap. cclxxxv. & cccv.*

CAP. XIX.

SACRI CANONES] Quippe veteri Ecclesie consuetudine, quæ & à Conciliis & à Romanis Pontificibus confirmata est, res Ecclesiarum quadrifariam divisæ erant; ut heic quoque notat Agobardus. Harum portionum prima pertinebat ad Episcopum, altera ad Clericos, tertia ad alendos pauperes, quarta demum expendebatur ad reparationem Ecclesiarum. Et hæc quidem sunt notissima. Sed tamen si quis ea probari velit, habet quem consulat librum clarissimi viri Ioannis Lunoij Theologi Parisiensis de cura Ecclesie pro miseris & pauperibus.

SED NEC DISPENSATORES] Libro VI. Capitular. cap. ccxciv. *Laicis quamvis religiosi nulla de ecclesiasticis facultatibus aliquid disponendi legitur unquam attributa facultas.*

OECONOMOS DE PROPRIO CLERO] Sumptum istud ex canone xxvi. Concilij Chalcedonensis. qui canon postea confirmatus est ab Imperatoribus, usuque per omnes ubique provincias receptus; ut Marca ostendit in libro octavo De Concordia capite xviii.

CAP. XX.

GALLICANOS CANONES] Iam antea adnotavimus ad librum adversus Legem Gundobadi, magnam antiquitus fuisse reverentiam Canonum Gallicanorum. neque nunc ea repeti est opus. Illud in præsen-

tiarum admonuisse sufficiat, ex hoc Agobardi loco constare non credidisse majores nostros necessariam fuisse præsentiam Legatorum Pontificis Romani in Conciliis regionalibus aut provincialibus, canonésque in eis decretos perinde valuisse, ac si illi interfuissent. Vnde confirmatur interpretatio quam verbis Benedicti Levitæ adhibet Marca in lib. sexto De Concordia cap. xxvii. Benedictus enim in Præfatione libri quinti Capitularium ex eo quoque valde se commendare putat hæc capitula, quòd & in synodis à Bonifacio Moguntino Sedis Apostolicæ Legato celebratis condita fuerint, adcoque apostolica auctoritate firmata, & quòd sequentia etiam capitula sint maxima ex parte roborata eadem auctoritate. Id enim intelligendum est de tribus postremis Capitularium libris, ut ipsemet Benedictus docet in libro vii. cap. cclxxvii. *Maximè trium ultimorum capitula istorum librorum apostolica sunt cuncta auctoritate roborata, quia his cudendis maximè Apostolica interfuit Legatio.*

CONSONANTER SANCTIS SCRIPTURIS] Itaque sic persuasum erat, nullius momenti esse regulas ecclesiasticas, etiam in synodis editas, nisi consonarent sanctis Scripturis. Quo fiebat, ut quoties Romani Pontifices ad synodos mitterent epistolas in causa fidei, Episcopi congregati examinarent an epistolæ illæ congruerent sacris Scripturis; ut fusè ostendit Marca in libro v. De Concordia.

EORVM SENSIBVS ANTEPONIT.] Agobardo consentit vetus auctor Collectionis Canonum, hætenus ineditus, quem apud me habeo: qui, postquam in Præfatione locutus est de divisione Collectionis suæ in tres libros, demum hæc addit: *In quibus se quisquam aliquid invenit de talibus Conciliis qua aut despicienda aut non recipienda judicat, ignoscat paupertati sensus nostri. Nos tamen dignum deputamus, plurimorum sententiam, singulorum suspicionibus præferendam. Et in quibuscunque rebus generalium Conciliorum auctoritatem non habemus, magis earum synodorum, qua per singulas provincias facta sunt, quàm proprium nostrum sensum sequendum. Denique ipsa sacra & generalia canonum decreta præcipiunt, ut bis in anno per singulas provincias Episcoporum celebretur Concilium, & plenariam synodum.*

dicunt esse ubi cum suis diocesaneis Metropolitanus fuerit Episcopus. Cùm ergo ita specialia Concilia ex generalium auctoritate sunt, constat nullum posse de eorum aliquis improbare statutis, nisi eum qui apertis indicis potuerit convincere eos aliqua contra fidem aut mores bonos constituisse. Hactenus vetus ille Collector: quem si Agobardi cœtaneum fuisse dixerò, fortassis non aberrabo. Nam nullos canones citat, quàm eos ipsos quos laudare potuit Agobardus, id est, Canones & Decreta Pontificum quæ tum extabant in Codice Canonum Ecclesiæ Gallicanæ. Quod autem Agobardus & Collector iste vetus, ut regionalibus & provincialibus Conciliis auctoritatem addant, aiunt eorum celebrationem esse imperatam à magnis & generalibus Conciliis, ut bis in anno habeantur, sumptum est ex canone v. Nicæno, xx. Antiocheno, & xix. Chalcedonensi. Addit vetus Collector aliam rationem, nempe synodum illam esse plenariam cui Metropolitanus Episcopus interfuerit cum suis diocesanis. Istud verò sumptum est ex canone xv. Antiocheno, in quo sic scriptum est: *Perfectum verò Concilium illud est, ubi interfuerit Metropolitanus antistes*, cujus etiam mentionem facit Ferrandus in Breviatione Canonum Tit. cxli. v. itémque Gratianus, Burchardus, Ivo, alij. Ut valde mirum sit id non animadversum à R. P. Ludovico Cellotio, qui in notis ad caput xxv. Concilij Duziacensis reprehendit Hincmarum sæpiuscule, ut ipse ait, proferentem hunc canonem Antiochenum, cùm tamen conceptis verbis non extet in synodo Antiochena. Multa quidem de Metropolitanorum dignitate, juribusque, sapientissimè variis canonibus decrevisse synodum illam Antiochenam, sed nusquam pronuntiare, perfectum illud esse Concilium, cui Metropolitanus interfuerit. Hactenus Cellotius. Vnde constat res quoque minutissimas interdum excidere etiam illis qui se sapientes putant. Nam legendi tantùm erant canones Antiocheni. Sed quia tum Cellotius erat occupatissimus, satis habuit titulos canonum illius synodi relegere. Ea causa fuit errandi. Nam lemma canonis xv. hæc tantùm habet apud Dionysium: *De vacantibus Episcopis*. Nihil de perfecto Concilio.

CAP. XXVIII.

VEL SI QVA FIDELIS] Hæc non extant apud

Paulum. Itaque existimo peccatum esse librarij : qui cum divinare non posset quidnam potius legendum esset, *Si quis fidelis, vel si qua fidelis*, utrumque posuit, lectori iudicium integrum relinquens. Id enim frequenter accidisse veteribus librariis admonuimus ad Salvianum & Lupum Ferrariensem.

CANIBVS ET CAVALLIS] Hinc patet laicos, qui res ecclesiasticas possidebant, iis usos esse ad luxum, non ad necessitatem. haud dubie extra conscientiam Principum. alioqui non erant laruri.

CAP. XXIX.

SED ETIAM DE EPISCOPIIS] Taxat Episcopos & sequentes Prælatos, qui rebus ecclesiasticis utuntur ad luxum, neque considerant quid de rebus Deo dicatis statutum sit à patribus. Neque solos Prælatos percellit, sed etiam Clericos in univèrsum. Vnde intelligere debemus, quotquot in sortem Domini adscripti sumus, nobis quidem creditam à Domino & ab Ecclesia curam proventuum ecclesiasticorum, sed ut iis utamur quemadmodum lex jubet, non in vanis seculi pompis aut oblectamentis, sed in alendis egenis, reparandis Ecclesiis, libris quoque qui ad comparandam pietatem & eruditionem necessarij aut utiles sunt emendis, aliisque id genus. In primis tamen ea mens Ecclesiæ semper fuit, ut Clericus ante omnia tantum sumat de redditibus ecclesiasticis, quantum ei alendo opus est. Quod ideo dico, ne quis ad invidiam trahat ea quæ superius dicta sunt.

SIVE QUIBUSLIBET CLERICIS] Nam Clericorum nomine comprehenduntur quotquot in Clerum adscripti sunt, etiam Presbyteri, & Diaconi. Gregorius Magnus lib. xi. Indict. vi. epist. liv. *Ne verò obijciatur, quia ecce de eodem Clerico loquitur, non de Presbytero; sciendum est quia in eadem constitutione xix. capitulo legitur in appellatione Clericorum & Presbyteros & Diaconos contineri.* Tum adfert verba Novellæ cxxxi. Imperatoris Iustiniani, in qua hæc leguntur cap. xix. *Presbyteros autem, & Diaconos, & Subdiaconos, Cantores, & Lectores, quos omnes Clericos appellamus.* Diù tamen post hæc tempora dubitatum est apud Ruscinones, Gallix Narbonensis populos, an Clericorum nomine intelligerentur Episcopi, Abbates, & ceteri gradus ec-

102 S T E P H A N I B A L V Z I I
clesiastici. quam dubitationem edita constitutione sustu-
lit Guido Episcopus Helenensis in synodo sua diœcesana
habita anno M, C C C. X X X I X. die octava mensis
Aprilis.

H I C T A L I S] Ait Episcopum, tamen si doctus sit,
ac populum diligenter instruat, æternis pœnis addictum
iri, si pompis seculi deditus sit, & sacris rebus abu-
tatur.

C A P. X X X.

I O C U L A R E S] Histrionum genus, tibiis præter-
ea fidibusque aut alii instrumentis canentes. Hos se-
quens ætas Gallico tum recepto vocabulo vocavit *Ion-
gleurs*. Dicti autem jocularis à jocis & ludis quos po-
pulo faciebant.

A D L I B R V M

C O N T R A I V D I C I V M D E I.

Æ G R E ferens Agobardus iniquitatem legis Gundo-
badæ, quæ causis finem imponi præcipiebat singula-
ri certamine sive duello, quod stultè prorsus ac perpe-
ram vocabant *Judicium Dei*, congerit in hoc libro sen-
tentias ex utroque testamento, ut ostendat legem illam
esse impiam, valdèque contrariam pietati ac simplicitati
Christianæ. Et omnino eruditus est hic liber, & Ago-
bardo dignus. Porro duos ex isto libro fecerat Masso-
nus; Sententiâsque distinxerat ab hoc libello contra fi-
dem tituli, contraque testimonium Agobardi. Nos,
quod res postulabat, rursus conjunximus. Sed & illud
re monendum existimavi, Lector, Agobardi adnotatio-
nes quæ respondent Sententiis, in margine positas esse
in codice operum Agobardi. Quo factum est ut ama-
nuensis, quo Massonus utebatur, cum non intelligeret
ad quem quæque adnotatio locum esset referenda, om-
nia turbaverit. Nos sua quæque locis restituimus.

C A P. I.

M A G I S T R O S] id est, Magistratus. qua etiam si-
gnificatione usurparatur infra in capite sexto hujus libri.

P R O B A R E T V R M V L I E R A D V L T E R A]
nimirum per judicium aquæ frigidæ, quod tamen judi-

cium à Karolo Magno vetitum est, ut patet ex Capitulari edito anno x v i. Meminit autem hujus legis Hincmarus in opusculo de divortio Lotharij & Tetbergæ, itémque in epistola xxxix. ad Hildegarium Episcopum Meldensem, in qua ex professo tractat de judicio aquæ frigidæ. Vide V. C. Franciscum Iurem in Notis ad epistolam lxxiv. Ivonis Carnotensis, ubi multa videbis de examine aquæ frigidæ vel calidæ. Nos verò heic tibi exhibemus illustre exemplum hujus judicij, editum, non in vili persona, (ut putabat Iureus istiusmodi judicia usurpari tantùm solita in vulgares plebeiasque personas) sed in femina principe, quæ procurati abortus calumniam purgavit rudi hoc quærendæ veritatis experimento. Hujus rei memoriam debemus auctori libri de miraculis B. Mariæ Rupis-Amatoris apud Cadurcos, cui se femina voverat in hoc vitæ famæque periculo. Extat hic liber Parisiis in Bibliotheca S. Germani de Pratis, quem mecum pro singulari humanitate sua communicavit Dominus Lucas Dacherius ejusdem monasterij Bibliothecarius. Sic ergo loquitur hic auctor in libro i. cap. xxxvi. Post decessum Guastonis de Baer-
 ne, quæ ejus fuerat vxor, soror Regis Navarriæ, Leo-
 foas nomine, gravida remansit; sed non multò post obi-
 tum viri, abortivum emisit. Nobiles, ignobiles, om-
 néque promiscui sexus vulgus planctum nimium super
 eum fecerunt, & quasi jam factam, futuram populi
 stragem, Ecclesiarum destructionem, totius denique re-
 gionis desolationem prænuntiabant. Et sicut exitus proba-
 vit acta, conjectura falsa, falsò mulierem Rex Pampilo-
 niæ Sancius & Regis Consilium in causam vocantes,
 pueri ante tempus natale editi imponebant crimen. Qua-
 re diverso tormento affici, vel igne cremari, vel sub
 undis ligatam mergi decreverunt. Illa verò pro morte
 instanti, ab hoc immunis facinore, Virginem nostram
 Dominam Rupis-Amatoris, ut in auxilium suum inten-
 dret, exorabat. Nec petitioni ejus defuit. Enim vero in
 modum subituræ judicium aquæ ligata, ab altissimo pon-
 te castri Salvaterra nomine projecta est in profundum
 torrentem. Ad spectaculum illud doloris, immo imma-
 nitatis, plusquam tria millia virorum ac mulierum,
 naufragium non naufragantis præstolantium, convenerant, alij insultando, alij compatiendo Dominum pro

ca precabantur. Illa verò super undas profundissimi tor-
 rentis miseratione Domini & ejusdem matris gloriosis-
 simæ subventionē, plusquam ter posset arcus jacere sine
 mersione delata confedit arenis, unde sui cum gaudio re-
 portaverunt liberatam ad propria. Igitur autem ad lau-
 dem & gloriam liberatricis suæ, pannum operosum con-
 ficiens, ipsum per Abbatem G. Rupis-Amatoris misit
 ad Ecclesiam.]

CONSTITVTE CRUCES] Hæc etiam est una ex
 vulgaribus purgationibus quæ tum in usu erant. Vocatur
 autem *Judicium crucis* in Carta divisionis imperij Fran-
 corum quam Karolus Magnus fecit. *Volumus ut ad de-
 clarationem rei dubia, judicio crucis, Dei voluntas & ve-
 rum veritas inquiratur.* Lib. 1. Capitularium ca. CVIII.
*Sancitum est ut nullus deinceps quamlibet examinationem
 crucis facere presumat; ne Christi passio, qua est glorifica-
 tio, cujuslibet temeritate contemptui habeatur.* Libro V.
 cap. CXV. *De eo qui perjurium fecerit, ut nullam redem-
 ptionem solvat, sed manum perdat. Quod si accusator con-
 tendere voluerit de ipso perjurio, stet ad crucem. Et si jura-
 tor vicerit, legem suam accusator emendet.*

CAP. II.

IUDICIUM DEI] Sic etiam vocatur apud Gre-
 gorium Turonensem lib. VII. cap. XIV. *Tu, o Rex
 piissime, ponens hoc in Dei judicio, ut ille discernat cum
 nos in unius campi planitie viderit dimicare.* Sed res adeo
 nota est, ut non egeat testimoniis. Adversus impiam il-
 lam ac parricidalem consuetudinem fortiter heic disputa-
 rat Agobardus.

ADINVENTIONIBVS HOMINVM] Purgatio-
 num illud genus adinventionem quoque supersticiosam
 vocat Stephanus V. Papa ad Lambertum Episcopum
 Moguntinum scribens: *Quod sanctorum patrum docu-
 mento sancitum non est, superstitiosa adinventionem non est
 prasumendum.*

QVOD VTIQVE FORENSIVM EST] Non
 puto heic intelligi eos qui in foro litigant, sed eos qui fo-
 ris Ecclesiam sunt, id est, non Christianos. Nam fo-
 renses opponit religiosis, id est, Christianis. Et his non
 interdicit litis contestationem, modò fiat coram judi-
 cibus & magistratibus. Ac dicet paulò post judicia inter
 homines esse necessaria.

HÆRETICVS GVNDOBADVS] Vide suprâ in libro adversus legem Gundobadi cap. xiii.

PONENDÆ SVNT SENTENTIÆ] Vel unicus hic locus ostendit Sententias quæ sequuntur, non esse dividendas ab hoc libro. quod tamen fecit Massonus, qui hunc titulum de suo adjecit. *Agobardi expositiones hinc & illinc è Scriptura, de pace, de sedandis cordis affectibus, & apprimè de tota Ethica Christiana, de Antichristo, de Inferis, de Persecutionibus.* Nam in codice veteri nihil legitur istiusmodi. nec opus erat. Nos tamen ut viam lectori complanaremus, hæc addidimus hæc verba, *Sequuntur Sententia.*

MANDATVM NOVVM DO VOBIS] Nulla sententia mihi videtur aptior aut opportunior ad commendandam mutuam inter Christianos concordiam & dilectionem, quàm supræ illa Christi Domini verba quæ hæc describit Agobardus. Res autem tanti momenti visa est Christo, ut etiam velut supræ voluntatis tabulis eam Apostolis ac Discipulis suis voluerit esse commendatam; idque non ob aliud toties repetierit atque inculcaverit, nisi ut ostenderet sibi maximè in votis esse ut Apostoli & Discipuli (in quibus omnes Ecclesiarum Præsules docebantur, ut in epistola quarta ait sanctus Leo) vivant concorditer, exemploque suo populum stimulent ad mutuam dilectionem. Præfigebat enim divinus ille animus, quod non obscurè prædixit. apud Evangelistas, futurum ut quum ipse reliquisset terras, inimico hominis superfeminante zizania, controversiæ rixæque orirentur inter Christianos, & non solum in populo, sed etiam inter ministros. Quidni? quandoquidem & ipsi Apostoli, viri spiritu illo Christi pleni, & adhuc à Christo calidi, quisque exemplo Domini nihil aliud spirabant ac prædicabant quàm pacem & concordiam, usque adeo retrorsum abierunt, ut invicem quasdam velut inimicitias miscerent? Neque verò dico aliquem de plebe Apostolorum, absit verbo invidia; sed duos illos Apostolorum principes, Petrum & Paulum, quorum hic se mirum in modum gloriatur esse imitatore Christum. Et hic tamen Christi imitator, hic ipse Paulus nos docet, se, cum venisset Petrus Antiochiam, atque id quidem post acceptum Spiritum san-

ctum, ei restitisse in faciem, quia reprehensibilis erat. Numquid etiam inter Paulum & Barnabam, Antiochiæ quoque, eò usque incanduit certamen, ut desineret in divortium? Et Corinthij, novellæ adhuc Christi plantæ, nonne redarguuntur à Paulo, quòd inter ipsos jam tum essent discidia, dissensiones, æmulatio, & contentiones? Exortæ deinde sunt hæreses, exorta schismata, quæ tunicam illam inconsutilem lacerarunt, pacem Ecclesiæ turbarunt, & concordiam fraternitatis penè interfecerunt. Et hæc quidem fervente Christianismo, quum adhuc Ecclesia innocens vagiebat in cunis, quum grex adhuc esset pusillus, quum gloriæ ducebatur pro nomine Christi contumeliam pati. At postea quàm fascias ablegavit Ecclesia, positæque puerili prætexta, jam facta robustior, adolescentiam ingressa est, excidit paulatim à cordibus Christianorum amor fraternitatis, inrepsitque pervicax nocendi fallendique invicem studium. Hinc ortæ lites, hinc jurgia, hinc bella, & cædes, & quicquid exitiabile esse potest concordia Christianorum. Ex eo fonte prodijt lex Gundobada, quæ lites certamine singulari præcepit finire, ubi aliæ probationes desunt; adversus quam acriter, ut res postulabat, invehitur Agobardus, tanquam Christianæ pietati ac simplicitati valde contrariam. Et tamen, quæ est rerum humanarum vicissitudo, recepta est postea hæc lex per omnes ubique provincias; adeo ut etiam causæ Ecclesiarum ac Monasteriorum, quæ obscuræ erant, duello singulari finirentur, datis ab utraque parte campionibus. sic enim vocabant bellatores. Tandem Dei providentia factum est ut pessima hæc lex aboleretur edictis Principum, & canonibus Conciliorum. Sed ut mala magis vincunt, retinetur hodie, non quidem ad finiendas lites, sed ad finienda jurgia & rixas. Ac licet severissima adversus immanem consuetudinem edicta prodierint, ac nuperrimè sapientissimus Regum Ludovicus XIV. ea renovaverit, durat tamen pertinax isthæc & insuperabilis rabies pugnandi, nemòque unus cedit legibus. Quòd si monitionibus & hortationibus revocari possent homines ab ea feritate, admonendi essent multum Christo cordi esse fraternam concordiam, ac sinceram minimèque fucaram dilectionem, illùmque præcepisse suis sectatoribus ut quemadmodum ipso

illos dilexerat, ita ipsi inuicem diligere. Hanc enim esse veram notam discipulorum Domini, si dilectionem habeant adinvicem. Hoc fuit novum & ultimum mandatum Christi Domini.

MATARVM TENENS] Amanuentis quo Mafsonus utebatur, non intellexit quid esset matarus. Itaque vocem illam peregrinam vel potius corruptam putavit. quæ causa fuit ut pro *matarum tenens*, ediderit *manum tenens*. Matarus est tale genus, minus lancea, id opinor quod *missile* vocatur in vita Ludovici Pij. Nam hodieque Vascones, aut saltem Basculi Vasconum portio, hujusmodi tela gestant in itinere, ac alibi.

IUBET HOMINEM PATIENTEM] ad exemplum Christi videlicet, cujus imitatores esse debemus, si veri illius discipuli videri volumus. Dedit enim ille profectò grande patientiæ documentum, quum nihil ad maleficia & injurias reponeret, nec in quemquam manus intentari voluerit ob vindicanda opprobria. Ut intelligeremus omnes, quanto studio quantaque cura devorare debeamus injurias, ac malorum hominum perpeti contumelias, quum & ipse Dominus & Deus noster inimicos suos reliquerit inultos. Præclare admodum Cyprianus in epistola Lxv. loquens de calumniis quas Christus pertulit à sacerdotibus Iudæorum, ait: *Qua omnia ab eo ideo facta sunt humiliter atque patienter, ut nos humilitatis ac patientia haberemus exemplum*. Sic nos videlicet efformabat ad pacem, & ad tenendam in calumniis & contradictionibus patientiam; quæ bonum Christi est, ut idem Cyprianus ait in libro de bono patientiæ. Vnde & Tertullianus in libro de patientia Christum vocat dominum patientiæ & magistrum.

NECESSARIIS INDIGENT] Traditum id de Lactantio. Eusebius in Chronico: *Cristum Latinis literis erudit; vir omnium suo tempore eruditissimus, sed adeo in hac vita pauper, ut plerunque etiam necessariis indiguerit. Quia plerunque ij qui studiis literarum dediti sunt, neque apti neque proclives sunt ad rem faciendam*.

DE ECCLESIE PRINCIPIBVS] id est, Episcopis. Sic enim vocantur Episcopi à veteribus, & ab ipsis Pontificibus Romanis; ut dictum est ad Lupum Ferrariensem.

AD LIBRUM

DE FIDEI VERITATE.

CAP. XVIII.

MORS SINE MORTE] Sumptum est istud
 ex sancto Gregorio in libro nono *Moralium* in
Iob cap. XLVIIII. Vide *Notas nostras ad librum III.*
Salviani de gubernatione Dei.

AD EPISTOLAM

FLEBILEM.

IN codice regio nullus hoc loco titulus extat. Itaque
 cum retinimus, qui à Massono inventus est. Quan-
 quam animus erat istud quoque mutare. Sed quia titu-
 lus hic jam prævaluit, & flebilis epistolæ nomine cita-
 ri consuevit hic libellus, visum est mutari non debere.

CAP. III.

ANNO PRÆSENTI] id est, anno DCCCXXXIII.
 Tunc enim Ludovicus filiorum rebellionem compesce-
 re meditatus, exercitum adversus eos collegit, infelici
 prorsus eventu; ut tradunt scriptores illorum temporum.

PATER VESTER ET AVVS] Karolus Magnus,
 & Pippinus.

CAP. IV.

PARTICIPEM NOMINIS VESTRI] Con-
 tigit istud anno DCCCXVII. ut Eginhardus tradit.
 Ludovicus Imperator, inquit, *generalem populi sui con-*
ventum Aquisgrani more solito habuit; in quo filium suum
primogenitum Lotharium coronavit, & nominis atque im-
perij sui socium sibi constituit. Sed fusius ista profecquitur
 auctor *Chronici Moissiacensis*, qui fidem etiam adstruit
 rebus quas heic enarrat Agobardus. *An. DCCCXVII.*
Ludovicus Imperator, inquit, apud Aquis Palatium ce-
lebravit Pascha. Et in ipsa astate iussit esse ibi conventum
populi de omni regno vel imperio suo, apud Aquis sedem

regiam; id est, Episcopos, Abbates, sive Comites, & majores natu Francorum. Et manifestavit eis mysterium consilij sui, quod cogitaverat, ut constitueret unum de filiis suis Imperatorem. Habebat enim tres filios ex uxore Ermengarda Regina. Nomen uni Clotarius. nomen secundū Pipinus, & nomen tertij Ludovicus. Tunc omni populo placuit ut ipse, se vivente, constitueret unum ex filiis suis imperare, sicut Karolus pater ejus fecerat ipsum. Tunc tribus diebus jejunatum est ab omni populo, ac Letania factæ. Post hoc jamdictus Imperator Clotarium, qui erat major natu, Imperatorem elegit, ac per coronam auream tradidit ei imperium, populis acclamantibus, & dicentibus, Vivat Imperator Clotarius. Facta est autem latitia magna in populo die illo. Et ipse Imperator benedixit Dominum, dicens: *Benedictus es Dominus Deus noster, qui disti hodie ex semine meo confedentem in solio meo, videntibus oculis meis.* Actum id III. Kal. Augusti scribit auctor ineditus Annalium Anianensium.

DESIGNASTIS PARTES REGNI] Pippino videlicet Aquitaniam, Ludovico Bajoariam.

VT UNVM REGNVM ESSET, NON TRIA] Aliter tamen dein evenit. Nam triplex ex uno Francorum regnum factum est, post Ludovici mortem; uti dictum est ad epistolam C. Lupi Ferrariensis.

ROMAM MISISTIS] Ne quis existimet id factum fuisse statim post conventum Aquisgranensem, neque ideo missum Lotharium ut coronam imperij à Pontifice Romano acciperet, ac si tum necessaria novo Imperatori fuisset approbatio Summi Pontificis, adferam verba Eginhardi, viri in aula educati, & negotiorum publicorum gnari, majestatisque jurium callentissimi ac temperantissimi scriptoris. Postquam ergo dixit Lotharium à patre in Italiam missum fuisse an. DCCCXXII. ut rem publicam illic administraret, hæc demum ait ad annum DCCCXXIII. Lotharius verò cum secundum patris jussionem in Italia justitias faceret, & jam se ad revertendum de Italia properaret, rogante Paschale Papa Romam venit; & honorificè ab illo susceptus, in sancto Paschali die apud sanctum Petrum regni coronam & Imperatoris & Augusti nomen accepit. Inde Papiam regressus, mense Junio ad Imperatorem venit. Id ipsum scribit etiam auctor vitæ Ludovici Pij, itemque alij.

IVRARE OMNES IVSSISTIS] Ex isto præcipuè loco evincere conatur R. P. Theophilus Raynaudus Agobardum debere eximi à culpa, tametsi rebellionem Lotharij fovērit adversùs patrem. Nullo modo ferenda est, inquit, procacitas & petulantia recentiorum, qui metientes de suo ingenio ceteros, Agobardum tanquam factiosum & seditiosum traducunt, iisque eum floribus conspergunt, ut, si illos audimus, maligna omnino ac pessima voluntate versatus sit in negotio proposito; contra quàm apertè habetur ex ipsiusmet Agobardi epistola ad Ludovicum Imperatorem; ex qua manifestè liquet Agobardum, metu potius violandi numinis & temerandi iuramenti auctore ipso Ludovico prestiti filio, quàm malo erga Ludovicum affectu, aliquid molitum. Quasi verò non constet neminem se reum fateri, & quicumque rebellionem cœptant aut fovent, justis se de causis facere non profiteantur. Denique si deest prætextus boni publici, obtenditur infractio pactiorum, violatio iurjurandi, aut aliquid simile. Quòd si illa Theophili Raynaudi argumentatio valeret, facilè ostenderem extra culpam esse Episcopos omnes qui exauctorationem Ludovici peregere. Quid enim in speciem sanctius, quid religiosius, quid episcopali gravitate dignius, quàm Acta impiæ illius ac nefandæ exauctorationis? Et tamen posteritas istos culpavit, neque quisquam hæctenus infamem illam Principis optimi dejectionem excusare aggressus est, eorum nimirum qui post illos vixere. Nam vel unus Agobardus exemplo erit, non destitutas fuisse Lotharij partes viris eruditissimis, qui manu linguæque rebellionem fovērent. Ego veneror Agobardum ex animo; sed hominem fuisse credo. & quæ perperam egit, ea neque probo, neque excusare conor.

AMBORVM IMPERATORVM NOMINA] Earum litterarum hoc initium erat: *Hludovicus & Hlotharius divina ordinante providentia Imperatores Augusti.*

NOMEN OMISSVM EST] Accendit haud dubiè contumelia illa animum Lotharij. Cur enim se confortem imperij fecisset pater, si postea nomen suum in consortio paterni, quod per multos annos usurpatum fuerat, nollet admitti.

AD LIBRVM

DE COMPARATIONE VTRIVS QVE
Regiminis.

Liber iste in alijs editionibus, præter istam Agobardi ad Ludovicum Imperatorem epistolam, complectebatur etiam epistolam Gregorij I V. ad Episcopos regni Francorum, & librum apologeticum pro filio ejusdem Ludovici. Verùm & res ipsa & vetusti codicis auctoritas suaserunt vt hæc tria distingueremus. Nam certum est epistolam ad Ludovicum scriptam terminari in his verbis, *Hujus rei nisus merita vestra adpropinquare faciat apostolicis meritis*. Tum sequi debuit, sed non in eodem libro, epistola seu veriùs fragmentum epistolæ Gregorij I V. ad Episcopos partis Ludovici: quæ vel ob hoc ipsum in eodem fasciculo alligari non debuit, quòd nulla illius mentio extet in epistola ad Ludovicum. Liber demum apologeticus proculdubio ab utraque epistola disjungi debuit. Nam nihil aliud est quàm liber in publicum emissus, ac per omnes ubique provincias, ut patet, vulgatus, ad probandum justas fuisse causas quibus moti Lotharius fratresque ejus arma adversùs patrem moverunt. id quod nos hodie Gallica lingua vocaremus *Vn Manifeste*. Et, quod jugulum petit, tres illæ lucubrationes disjunctæ ac divisæ sunt in codice regio; incipiuntque omnes à majuscula littera, ut solent initia librorum. Verùm quia posteriores Agobardi lucubrationes nullum titulum habent in veteri codice, amanuensis, ad cujus fidem prodiiit editio Massonica, putavit hæc conjungi debere. Ceterùm, istius quoque libelli titulus nullus erat in veteri codice. Itaque retinuimus eum quem Massonus fecit, non aliam ræmen ob causam, quàm quia jam obtinuit ut eo titulo laudetur ab eruditis.

CAP. I.

COMMOTIONES HVIVS TEMPORIS] id est, bella & dissensiones quæ in regno Francorum erant anno DCCCXXXIII. ob divisionem Ludovici filiorumque ejus, ceu antea diximus.

[C V I V S R E V E R E N T I Æ D E B I T O R E S] Ludo-
vicum instruit Agobardus de reverentia quæ Sedi
Apostolicæ debetur. Verùm necessaria fortassis non erat
hæc Agobardi opera. Nemo enim, arbitror, in tota
Gallia hæcenus fuit, eorum nimirum qui constructione
Sedi Apostolicæ juncti fuerunt, qui non existimaverit
magnam Sedi Apostolicæ deberi reverentiam. Certè, avò
Agobardi, Episcopi ex synodo Parisiensi scribentes an-
no D C C C X X I V. ad Ludovicum & Lotharium Im-
peratores, ita loquuntur : *Nos his qui in sacra sede beati
Petri Apostoli resident, dignam honoris reverentiam jurè
tribuendam non dubitamus.*

P E L A G I V S P A P A] hujus nominis primus. Epi-
stola autem illa data est ad Episcopos Tusciæ, extatque
in tomis Conciliorum.

C V M F A M V L O T V O P A P A N O S T R O]
Vetus est in Ecclesia consuetudo, ut Episcopi catholi-
ci, præcipuè verò Romanus, inter mysteria nominen-
tur, ut inde constet fidelibus Pontifices esse junctos com-
munionem cum Sede Apostolica. Istud obsequium ab Epi-
scopis illis prætermissum conquerebatur Pelagius, &
meritò conquerebatur. Boni enim Episcopi est impa-
tienter ferre, si quis in Ecclesia Dei schisma ac divisio-
nem facere tentet. Manifestum autem schismatis argu-
mentum est, cum quis se communioni subtrahit Aposto-
licæ Sedis; à qua in omnes venerandæ communionis ju-
ra dimanant, ut loquuntur Patres Concilij Aquileien-
sis in epistola ad Gratianum Imperatorem scripta.

F V N D A M. E C C L E S I Æ I N A P O S T O L.
S E D I B.] Quoniam in Notis ad Lupum Ferrariensem
polliciti sumus plura nos ad Agobardum dicturos de di-
gnitate & auctoritate sedium apostolicarum, res postu-
lare videtur ut fidem nostram liberemus; præsertim cum
res hæc tanti momenti sit, ut vix ulla dignior esse vi-
deatur quæ piorum ac eruditorum lectorum oculos men-
tisque occupet. Ecclesias igitur apostolicas, illas dico,
secundùm Augustinum, quæ apostolicas sedes habere &
epistolas accipere meruerunt; id est, quæ & ab Aposto-
lis fundatæ sunt, & scriptæ extant ad illas epistolæ Apo-
stolorum. Plures illæ numero fuere, ut Corinthiensis in
Achaia, Thessalonicensis & Philippenfis in Macedo-
nia,

nia, Ephesina in Asia, Romana in Italia. Has enim Apostolicas Ecclesias enumerat Tertullianus in libro de præscriptione hæreticorum. Præter illas verò, Alexandrinam quoque & Antiochenam inter apostolicas recenset Gelasius in Decreto de libris canonicis. Neque dubium est quin & ipsæ fuerint apostolicæ. in quem numerum etiã veniunt Hierosolymitana & Ancyrana, ac etiã Colossensis in Phrygia majori. Ac sanè tanti momenti visa est veteribus dignitas illarum Ecclesiarum, ut nihil grave in Ecclesia decerni posse putarent extra conscientiam Episcoporum sedibus illis præsidentium, præsertim verò Romani, Alexandrini, & Antiocheni, eumque hæreticum ac schismaticum judicarent qui Ecclesiis illis communione junctus non esset. Hinc factum ut quum Orientis Concilia inconsulto Episcopo Romano damnassent Athanasium Episcopum Alexandrinum & Marcellum Ancyranum, Iulius oburgatoriam ad eos epistolam miserit, conquerens de hoc agendi modo, judiciumque irritum esse contendens. Episcopos enim illos non esse vulgarium Ecclesiarum Episcopos, sed earum Ecclesiarum quas ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerant. Itaque Athanasij & Marcelli causam judicari non potuisse inconsulto se ac Romana synodo; sed necessarium ante omnia fuisse scribi de ea re ad Occidentales, ut communi dein omnium consensu componi possent magnæ Ecclesiæ. Hunc enim esse verum ac genuinum sensum epistolæ Iulij ad Orientales ostendit Marca. Prærogativam illam Ecclesiarum apostolicarum agnoscit etiã Augustinus in epistola c l x i i. ubi agens de Cæciliano Carthaginienſi Episcopo ejusque collegis, adversus quos, tamenetsi absentes, synodus Donatistarum protulerat sententiam damnationis, ait judicium hoc esse irritum, Episcoposque illos posse causam suam reservare iudicio aliorum collegarum, præsertim verò eorum qui præsidebant Ecclesiis apostolicis; adeoque tutum esse Cæcilianum ab insidiis inimicorum suorum, quandoquidem communione junctus erat Ecclesiæ Romanæ, & aliis Ecclesiis, unde Evangelij fides fluxerat, id est, apostolicis. Hæc rursum Marca. Nam lubenter ejus auctoritate utimur, neminem honore suo fraudantes, multò minùs illum, cui me tantum debere semper & ubique profiteor, quan-

tum deberi homini potest ab homine istarum rerum studioso. Sed & Pelagius quoque 1. Papa Romanus in epistola ad Valerianum Patriçium, cum ageret adversus Aquileiensem & Mediolanensem Episcopos, in causis Ecclesiæ generalibus sedi suæ nihil speciale reservat, nisi quatenus una est ex sedibus apostolicis: adeo ut si quod dubium oriatur adversus constituta synodorum universalium, recurrendum esse dicat ad sedes apostolicas pro recipienda ratione. *Sed quotiens, inquit, aliqua de universali synodo aliquibus dubitatio nascitur, ad recipiendam de eo quod non intelligunt rationem, aut sponte hi qui salutem anima sua desiderant ad apostolicas sedes pro recipienda ratione conveniant &c.* Tum paulò post addit, cum citra controversiam esse schismaticum, qui ab apostolicis sedibus est divisus: *Quisquis ergo ab apostolicis divisus est sedibus, in schismate eum esse non dubium est, & contra universalem Ecclesiam altare conatur erigere.* Ex his ergo constat magnam fuisse olim dignitatem & auctoritatem Ecclesiarum apostolicarum. Nec immeritò; cum, ut post Augustinum Pelagius Papa docet, fundamentum Ecclesiæ sit in apostolicis sedibus. Eam porrò ob auctoritatem Eutyches in synodo Constantinopolitana damnatus à Flaviano an. **CDXLVIIII.** provocavit quidem ad synodum Romanam, sed non solam. Nam appellavit etiam synodos Alexandrinam, Hierosolymitanam, & Thessalonicensem; ut egregiè probatum est in libro **VII.** De Concordia Sacerdotij & Imperij cap. **VI.** Sed tamen Romana Ecclesia semper prælata est reliquis Ecclesiis apostolicis, quòd eam Petrus & Paulus sanguine suo consecraverint, & apud Romam Christi martyrio fuerint consecrati. Eadem ob hoc ipsum dicta est per antonomasiam Sedes Apostolica, etiam à veteribus. Præcipuè verò patres Occidentalis Ecclesiæ, quum Sedem Apostolicam simpliciter dicunt, Romanam semper intelligunt, quòd ea sola apostolica esset in Occidente. Neque tamen propterea assentior Illustrissimo Cardinali Baronio, qui Turonensem ac Burdegalensem Ecclesias, quæ apud Gregorium Turonensem libro quarto cap. **XXVI.** (ubi de Concilio Santonensi agitur, quod anno **DLXVI.** habitum est) vocantur Sedes apostolicæ, ob hoc dictas putat apostolicas, non quòd ab Apostolis fuerint institutæ,

sed quòd eisdem ab Apostolica sede Petri concessa per Pallium apostolica inesser auctoritas. Respexit videlicet Baroni-
 us ad mores posteriorum seculorum. Nam postea persuasum fuit Pallij honorem decretum fuisse Metro-
 politanis, *propter apostolicam vicem*, id est, ut ex con-
 cessione Pallij intelligerent Metropolitanani vicarios se
 esse Sedis Apostolicæ; ut ex Rhabano Marca observa-
 vit. Sed istud valere non potuit tempore istius synodi
 Santonensis, quo nondum quisquam Episcoporum Gal-
 licanorum, si Arelatensem excipias, Pallium ab Epif-
 copo Romano acceperat. Conturbasset profectò Baro-
 nius, si probare coactus fuisset missum illud ante hæc
 tempora fuisse ad Archiepiscopos Turonensem ac Bur-
 degalensem. Sed ideo dictæ sunt apostolicæ, quòd per
 illas tempestates Ecclesiæ omnes episcopales dicerentur
 apostolicæ, juxta observationem Tertulliani, quòd fi-
 dem suam ab apostolica illa prima sede accepissent
 quam Apostoli fundaverant. Vnde cum vides Ruricum
 Lemovicensem Episcopum à Fausto Reicensi dici apo-
 stolica sede dignissimum, intelligere non debes Roma-
 nam, sed Lemovicensem, cui dignissimè præsidebat
 Ruricius, ideo sede illa dignissimus. Vide porrò Notas
 nostras ad Vincentium Lirinensem.

CAP. III.

PER VICARIOS SVOS] id est, per Romanos
 Pontifices, qui frequenter vocantur Vicarij Apostolicæ
 Sedis. Gelasius Papa in epistola ad Anastasium Augu-
 stum: *Et qualiscunque Apostolica sedis vicarius, quod-
 cunque plena fidei catholica deesse comperero, pro meo mo-
 dulo suggestionibus opportunis supplere contendo.* Itē Sym-
 machus in Apologetico ad eundem Anastasium: *Vbi te,
 rerum humanarum princeps, qualiscunque Sedis Aposto-
 lica Vicarius contestari voce non desino &c.* Episcopi in
 synodo Romana congregati anno d c c c. in causa Leo-
 nis Papæ: *Nos Sedem Apostolicam, qua est caput omnium
 Dei Ecclesiarum, judicare non audemus. Nam ab ipsa
 nos omnes & Vicario suo judicamur.* Et alibi pluries. Sic
 vocantur etiam Vicarij B. Petri, & Vicarij Apostolo-
 rum Petri & Pauli; ut alibi pluribus dictum est à no-
 bis. Quin & Cyprianus in epistola l x v i. Stephanum
 Papam vocat vicarium & successorem Cornelij Lucij-
 que Pontificum Romanorum.

GREGORIUS PAPA] hujus nominis quartus, qui tum in Galliam cum Lothario venerat, in ejus partes transgressus contra patrem, uti dicemus infra.

PUGNATUS ET REPULSUS RECEDET] Evenisse id quod ominabatur hoc loco Agobardus patet ex Hincimaro, qui sic loquitur in epistola xli. ad Hadrianum 11. scripta; *Et quomodo Gregorius subreptus cum Lothario patre suo repugnante in Franciam venit, & pax postea in Francia ut antea non fuit, & ipse Papa cum tali honore sicut decuerat, & sui antecessores fecerunt, Romam non redijt.*

IN APOSTOLICA SEDE ROBORATVM] Non quòd approbatio Romani Pontificis esset necessaria; sed quia Paschalis Papa id valde cupijt; ut suprà diximus in Notis ad epistolam flebilem.

CAP. V.

APOSTOLICI] id est, Romani Pontificis, qui tum erat Gregorius quartus. Nam per eas tempestates hæc appellatio soli Romano Pontifici competebar. Olim tamen singuli Episcopi dicebantur Apostolici; ob eam videlicet causam, quòd successores Apostolorum cum essent, sedes suas apostolicis præditi virtutibus regebant; ut verbis Iuliani Pomerij utamur in capite xxv. libri primi de vita contemplativa. tum etiã quia cum omnes sedes vocarentur apostolicæ, consequens erat ut præsidentes dicerentur apostolici. Deinde verò paulatim titulus ille ademptus simplicibus Episcopis, peculiaris factus est Metropolitanorum. Tandem & his quoque demptus est, totaque hujus nominis dignitas in Episcopum Romanum transfusa. Itaque jam ab aliquot sæculis solus ille vocatur Apostolicus.

AD EPISTOLAM

GREGORII IV.

E Pistola ista, seu veriùs fragmentum epistolæ, magni momenti est; & quo primùm tempore in publicum prodijt, exercuit industriam doctorum virorum. Massonus sanè, qui primus illam edidit, scriptam pu-

tavit ab Agobardo, quem Primatem Aquitanix vocat, adversus Episcopos partis Ludovici. Goldastus iisdem vestigijs insistens, hunc ei titulum fecit: *Rescriptum ad epistolam synodalem Episcoporum Francorum ex Germania & Gallia congregatorum pro causa Ludovici Fij Imperatoris*. Tandem divini ingenij vir, Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis, deprehendit epistolam illam esse, non Agobardi, sed Gregorij I V. Romani Pontificis. quod probavit tot argumentis, ut valde luciosus sit oportet qui lucem veritatis heic non videat. Ea de causa nos titulum illi epistolæ sic fecimus: *Epistola Gregorij I V. Papa ad Episcopos regni Francorum*. Eam porrò, cum multis in locis esset corrupta, diligenter ac fideliter emendavimus ad fidem codicis manuscripti.

[FRATREM] ex veteri more, cujus retinentissimus est Cyprianus. nec aliter Concilia Africæ, aut ipse Augustinus. Sed vetustiora erant exempla, quàm ut hisce temporibus potuerint esse valida. Baronius porrò ad annum c d x i x. loquens de libris Augustini adversus Iulianum agnoscit morem illum qui antiquitus obtinebat, ut singuli Episcopi Romanum appellarent fratrem, nihil detrahere de dignitate ac majestate ejus. Et omnino mihi placet Erasmi observatio, qui in Commentario ad epistolam Cypriani ad Antonianum suspicatur fratris cognomen heic non arguere dignitatis æqualitatem, sed societatem communionis.

[LÆTARI VQS DICITIS] Ita omnino codex vetus. Sed quoniam vox *latari* sic scripta est [*la&ari*] existimavi amanuensis omissam fuisse aliquam litteram, & pro *latari* legendum esse *lamentari*, quemadmodum habet editio Massoni. Necessariam porrò esse hanc emendationem patet ex ijs quæ infrà ait Gregorius: *Deinde, postquam dixistis vos latatos esse de adventu nostro &c.* Rursum paulò pòst editio Massoni habebat, *Principi scilicet subjectis futurum*. nullo sensu. Rectius itaque codex regius, in quo scriptum disertè est *profuturum*.

[OCCVRSVM V. N. N. NEGANDVM] Motus quippe tum erat, ut quoties Romanus Pontifex ad Comitatum veniebat, Episcopi Francorum ei obviam procederent, honoris causa. Verùm quia Gregorius non veniebat ut hospes, sed ut hostis, adeoque absque consen-

fu Ludovici, prohibiti sunt à Principe, ne obsequio illo officioque defungerentur erga Pontificem. Vnde & postea Romam reversus est inglorius, & non cum tali honore sicut antecessores sui fecerant; ut admonuit Hincmarus.

EXCOMMUNICATIONEM] Ea tum fama erat, venire Gregorium, ut tam Ludovicum quàm Episcopos ei faventes excommunicaret, nisi prompta obedientia implerent mandata ejus. Sed invenit Gregorius Episcopos haud ignavos, sui que gradus memores. Itaque palam edixerunt, irritam fore eam excommunicationem, & in auctorem recasuram. Insignis est ea de re locus, à viris doctis saepe laudatus, in vita Ludovici Pij, in qua sic scriptum est: *Quum verò rumor usquequaque diffusus sereret de ceteris quod verum erat, de Papa verò Romano, quòd ideo adesset, ut tam Imperatorem quàm Episcopos excommunicationis vinculis irritare vellet, si qui inobedientes essent sua filiorumque Imperatoris voluntati; parum quid subripuit Episcopis Imperatoris praesumptio audacia, asserentibus nullo modo se velle ejus voluntati succumbere; sed si excommunicaturus adveniret, excommunicatus abiret, quum aliter se habeat antiquorum canonum auctoritas.* Rectè profectò. Nam excommunicatio illa caritura erat omni ratione, immo contra rationem facta fuisset.

MINORATIONEM] In editione Massoni legitur *Dominationem*, nullo, ut arbitror, sensu. Codex regius habet *diminuationem*. ex quo veram lectionem nos confecimus. quam tamen si quis non probat, pro *minorationem* reponere potest *diminutionem*. Alterutrum enim legi necesse est.

MANENTE APOST. SED. HONORE] Iam tum ergo distinguebant inter sedem & sedentem, id est, inter Cathedram Romanam, & Pontificem huic sedi praesidentem. Neque nova est hæc distinctio. Illius enim manifesta claraque indicia extant apud Leonem Magnum in epistola LIII. *Aliud enim sunt sedes, aliud praesidentes.* Item in epistola LXII. *Et si enim diversa nonnunquam sunt merita Praesulum, tamen iura permanent sedium.* Ita sentiebant Episcopi in synodo Parisiensi congregati anno DCCCXIV. Scribentes enim ad Ludovicum & Lotharium Imperatores, loquentisque

de Romano Pontifice, quem fama erat favere eorum opinioni qui adorandas putabant imagines, aiunt: *Credimus sanè, quia quanquam aliqua ex parte superstitosam sibi consuetudinem forè vindicare velint, nullatenus tamen ab eadem sede aliter quàm auctoritas & veritas se habet, mandare in aliquam partem præsumet. Verebitur siquidem potestatem vestram, AVCTORITATEM SEDIS, & testimonia veritatis.* Auxilius, qui sub Formoso Papa floruit, libro II. de ejus ordinationibus cap. xviii. *Aliud sunt Pontificales sedes, aliud præsidentes.* Discrimen illud agnovit etiam Baronius in causa Marcellini Papæ; dum ait lapsum ejus, quantumlibet evenisse putetur, nullum præjudicium afferre catholice veritati; adfertque locum Tertulliani, ex libro de præscriptione hæreticorum, ubi sic scriptum est: *Ex personis probamus fidem, an ex fide personas?* Quæ Baronij scriptio absurda vanaque esset, nisi constaret jura sedium permanere, tametsi interdum diversa sint merita præsidentium, id est, nisi sedes distingueretur à sedente in ea. Hinc Feñerius Francorum Regis in Tridentina synodo Legatus, conquerens de Pio IV. Papa, dignitatem tamen & auctoritatem Romanæ sedis disjungit à Pio. Hæc sunt ejus, verba: *Sedem Apostolicam, Summum Pontificem, sanctam Romanam Ecclesiam, pro cujus dignitate augenda majores nostri sanguinem fuderunt, & adhuc hodie in Gallia acriter pugnatur, veneramur, rex eremur, suspicimus, & maximis ad calum laudibus efferimus. Pij autem quarti imperium detrectamus, quæcunque sint ejus judicia & sententias reiicimus, respicimus, & contemnimus.*

SINE CRIMINE DVNTAXAT] Ita omnino vetus codex. Pro quo Massonus sic edidit: *exhonoratur sine crimine, dum taxatur, cathedra ejus &c.* Sed præterquam quod audacia illa Massoni in re tanti momenti tolerari non potest, manifestum est sensum etiam ipsum auctoris repugnare huic emendationi. Ludit enim auctor epistolæ in vocibus *honoratur & honorata.* Ait enim *Nulla enim modo fieri potest, ut si is qui locum B. Petri tenet, exhonoratur, cathedra ejus honorata permaneat.* Sed addit hanc clausulam, quæ est magni momenti, *sine crimine duntaxat.* ac si diceret; *præsertim quando sine crimine est is qui exhonoratur.* Nam etiam si malus esset Ponti-

120 STEPHANI BALVZII
fex, honoranda tamen semper est Cathedra, & pro-
pter Cathedram sedens in illa. quod probat exemplo
Caiphæ.

IVRISVRANDI CAUSA FIDEI] Conten-
debant ergo Episcopi Francorum, Gregorium Papam in
initio Pontificatus sui fecisse Ludovico sponsonem fi-
dei, interposito etiam iurejurando. Neque verò id ne-
gat Pontifex, neque fatetur verum esse. Sed nos osten-
turi mox sumus valde probabile esse id factum à Grego-
rio. Hunc porrò locum malè de Agobardo interpreta-
tur vir alioqui eruditissimus, Franciscus Florens, ad
Titulum VI. *De electione & electi potestate.*

PERIVRI ESTIS } Quid? Iuramentum fidelitatis,
quod Episcopi tum præstabant Principi, hoc etiam ca-
put complectebatur, ut intelligerent Episcopi se iure-
jurando obstrictos esse ne quid adversus Christi fidem
fieri pateantur à Principe? Ioannes Saresberiensis in
epistola CLXX. *Numquid enim fideles opinaris, qui
peccandi vias Domino Regi expediunt, & in eo studiosi
sunt, ut prosperetur in his qua adversus Domini iustitiam
presumuntur? Vter tibi videtur fidelior, an qui ad nutum
erronei ministrat culpas, an qui perniciosas abigit volupta-
tes? Sentiatur unusquisque quod voluerit. Ego nunquam Do-
mino Regi (sic omnino legendum; non autem, Domi-
num &) amicum reputabo fidelem, qui sic illius obtempe-
rat voluptati, ut salutis & vite dispendium afferat. Et vi-
dendæ omnino Iureti observationes ad epist. XXXV.
Ivonis Carnotensis.*

RERVM OPPORTVNITATEM] In veteri
codice, itèmq; in editione Massoni, scriptum est, *jux-
ta Regum opportunitatem.* Verùm hunc locum esse depra-
vatum vel sensus evincit. Præterea paulò pòst, cùm ista
retractantur, ait Gregorius: *Ista enim commutatio, quam
vos dicitis juxta rerum opportunitatem factam &c.* Itaque
visum est emendari debere.

IN VESTRIS PARROCHIIS] id est, diœ-
cesibus; uti pluribus diximus in Notis ad Lupum Ferra-
riensem. Porrò, quis non heic miretur libertatem Epif-
coporum Gallicanorum Romano Pontifici minitantium
impedituros scè ne quid agat in suis diœcesibus, si se ab
eorum communionem subtrahat? Sed & illud valde no-
tatu dignum est, quòd etiam dicere palam & apertè au-

si sunt, & quidem Romano Pontifici scribentes, non roleraturos se, si Papa Gregorius aliquem Principi subiectum aut fidelem vellet excommunicare. Qui locus utilis esse potest ad defendendam Galliam à sententia Interdicti, si eam ferri contingeret.

I N L E G A T I O N E P A C I S] Sic enim aiebat Gregorius, seu vera seu falsa promeret, venisse se in Galliam, ut concordiam Ludovicum inter & filios revocaret. Verùm istud persuaderi non potuit Episcopis partis Ludovici, qui omnino putabant Gregorium in partes filiorum transisse contra patrem, quod & sequens quoque ætas verum putavit.

E C C L. G A L L I C. E T G E R M A N I C A M] Vtramque Ecclesiam conjungit ob eam causam, quòd cum regnum Francorum ex utraq; gente constaret, quoties synodus congregabatur, ad eam Episcopi ex utraque gente conveniebant. Quod contigerat in synodo è qua missa est epistola Episcoporum partis Ludovici ad Papam Gregorium, cujus ista responsoria est.

P E R I C U L U M G R A D V S] id est, depositionem ac dejectionem è Romana cathedra. Rectè verò miratur Gregorius hanc Episcoporum Gallicanorum confidentiam, Romano Pontifici minitantium depositionem.

P R O P T E R H O M I C I D I V M] Respicit ad canonem xxv. apostolicum; in quo, ut quidem citatur à Gregorio Turonensi, sic legitur: *Episcopus in homicidio, adulterio, & perjurio deprehensus, à sacerdotio divellatur.* Sed apud Dionysium Exiguum aliòsque veteres collectores nihil de homicidio. Vnde Marca coactus est suspicari corruptum fuisse hunc canonem ad premendum Prætextatum Episcopum Rotomagensem, qui se designati homicidij reum esse, spe veniæ professus est in synodo Parisiensi. Et fieri potest ut hæc quoque clausula, quòd æquissima sequentibus temporibus visa fuerit, recepta dein vulgò sit in novis editionibus canonum apostolicorum, addito etiam nomine sacrilegij. Nam hanc quoque clausulam habuisse videtur Gregorius in suo codice. Itaque graviter errant Correctores Romani, qui clausulam de homicidio primùm adjectam putant ab Episcopis in synodo Triburiensi congregatis anno dcccxcv. eamque fuisse causam cur Gratianus, qui post ea tempora vixit, eam quoque clausulam addiderit

nobis Deus noster, cui occulta cordis manifesta sunt, ut plus etiam quàm prefati nostri prædecessores Pontifices, in vestra à Deo protecti regni vestri Francorum caritate & dilectione, atque sincera fidelitate, cum omni nostro populo firma constantia erimus permansuri. Hinc factum ut Paschalis I. timens ne si vera ostenderentur quæ de ipso ad Imperatorem Ludovicum Pium perlata erant, scilicet eo auctore Theodorum Romanæ Ecclesiæ Primicerium & Leonem Nomenclatorem fuisse occisos ob fidelitatem Lotharij, quem Ludovicus nuper fecerat imperij consortem; timens, inquam, ne si vera hæc ostenderentur, ipse de gradu suo dejiceretur, placandum statim censuit Principem; ad eumque Legatos mittens, expurgaturum asseveravit suspiciones de se injectas. id quod paulò post præstitit Romæ coram Legatis Ludovici, ab interfectorum nece, inquit auctor vitæ Ludovici Pij, se cum plurimis Episcoporum purgans, id est, adhibito, ut Theganus tradit, x x x i v. Episcoporum juramento, qui testarentur Paschalem cædis illius reum non esse. Quam historiam narrat etiam auctor Annalium Bertinianorum. Mortuo tandem Paschali successit Eugenius II. qui juramentum fidelitatis Ludovico & Lothario Augustis præstitit more majorum, atque insuper Clerum populumque Romanum eo inter alia jurejurando teneri voluit, haud dubiè ex pactis: *Et quòd non consentiam ut aliter in hac sede Romana fiat electio Pontificis, nisi canonicè & justè, secundum vires & intellectum meum: & ille qui electus fuerit, me consentiente consecratus Pontifex non fiat, priusquàm tale sacramentum faciat in præsentia Misi Domini Imperatoris & populi, cum juramento, quale Dominus Eugenius Papa sponte pro conservatione omnium factum habet per scriptum;* ut docet continuator Pauli Diaconi, editus à Marquardo Frehero. Existimandum tamen non est, tum primùm inventum esse hoc jusjurandum. Antea enim fieri solitum patet ex Eginhardo ad an. DCCCXVII. ubi sic legitur: *Cui (id est, Stephano Papæ) Paschalis successor electus, post completam solenniter ordinationem suam, & munera & excusatoriam Imperatori misit epistolam; in qua sibi non solum nolenti, sed etiam plurimum renitenti, Pontificatus honorem velut impostum asseverat.* Exculavit videlicet præcipationem ordinationis, quòd

ea peracta esset inexpectato Misso sive Legato Imperatoris. Verum quia Eugenius eadem præcipatione fuerat ordinatus, occurrere huic audaciæ volens Imperator, exemplumque statuere in futurum, *Lotharium filium imperij socium*, verba sunt Eginhardi, *Romam mittere decrevit, ut vice sua functus ea qua rerum necessitas flagitare videbatur, cum novo Pontifice atque Romano populo statueret ac firmaret.* Itaque tum revocatum jusjurandum de non ordinando Pontifice Romano extra conscientiam Principis, præstitumque ab Eugenio Papa juramentum fidelitatis. Valde autem probabile est sequentes tum Pontifices, qui vivo Ludovico vivere, non omisisse hanc partem sui obsequij, adeoque verum esse quod Gregorio IV. objiciebant Episcopi Gallicani, eum in initiis sui Pontificatus fecisse Ludovico sponsonem fidei, interposito etiam jurejurando; tametsi ille factum illud neque fateatur, neque neget. nam in ambiguo relinquit. Sed cur agimus conjecturis in re manifesta? Ecce quomodo loquuntur Annales Bertiniani de electione & ordinatione ejusdem Gregorij: *Eugenius Papa mense Augusto decessit. In cujus locum Valentinus Diaconus à Romanis electus, & ordinatus, vix unum mensem in Pontificatu complevit. Quo defuncto, Gregorius Presbyter Tituli sancti Marcelli electus; sed non prius ordinatus est, quam Legatus Imperatoris Romam venit, & electionem populi qualis esset examinavit.* Et manifestum est, ni fallor, non consensisse Legatum ordinationi Gregorij, donec is scripto juramentum fecisset de fide erga Principem, juxta exemplum Eugenij. Itaque cum defensionem suam titubare ex eo capite intelligeret Gregorius, ac tamen gradum suum retinere vellet, ad alias artes confugit, nimirum ad incompetentiam judicum. Nam, quod in primis observandum est, non ait degradari se non posse ob violatam fidem Principi obligatam; sed Episcopos illos, qui perjuri sunt, esse judices incompetentes. Episcopos enim partis Ludovici perjuros esse contendebat Gregorius. Itaque si nihil nævi fuisset in illis Episcopis, non negasset Gregorius quin ad illos pertinuisset cognitio criminis quod ei objectabatur. Adeo autem verum est jus illud Principum fuisse constantissimum, ut etiam centum triginta post annis Ioannes XII. ob violatæ fidei Ottoni Imperatori præstitæ

crimen depositus fuit in synodo Romana; ut docet Continuator Luitprandi lib. v. cap. x. At postea quàm Imperatorum auctoritas eviuit, in noménque illi Germanorum transiere; tum verò Romani Pontifices movere cœperunt lacertos, & à capite suo summovertunt potestatem Principum. quod non contigerat imperantibus Francis. Paulatim dein intravit in Ecclesiam regnum; & qui per multum ævi fuerant subjecti Principibus, eis postea illuserunt, calcantes etiam pedibus colla dominorum. Rerum humanarum curipum! Sed antè quàm discedam ab hoc loco, res postulare videtur, ut quoniam diximus ordinationes Romanorum Pontificum fieri olim non potuisse extra præsentiam Legatorum Imperatoris, hanc quoque observationem probemus aliquot exemplis posteriorum temporum. Illustre hujus rei testimonium extat in Annalibus Bertinianis ad annum DCCCXLIV. *Gregorius Romana Ecclesia Pontifex decessit. Cui Sergius succedens in eadem sede substituitur. Quo in Sede Apostolica ordinato, Lotharius filium suum Hludovicum Romam cum Drogone Mediomatricorum Episcopo dirigit, acturos ne deinceps decedente Apostolico quisquam illic præter sui jussione, Missorumque suorum præsentiam, ordinetur antistes. Qui Romam venientes, honorificè suscepti sunt. Peractòque negotio, Hludovicum Pontifex Romanus unctioe in Regem consecratum cingulo decoravit.* Gravis tamen semper duraque Romanis visa est hæc lex; ideòque eam variis temporibus infringere tentarunt. Itaque non multò post hæc tempora, quum mortuo Nicolao I. Romana Sedes vacaret, ei Hadrianus II. substitutus est invocatis inconsultisque Missis Imperatoris: qui tum erat Ludovicus hujus nominis secundus, Pij nepos. *Quod audientes Missi Ludovici Imperatoris, molestè tulerunt, indignatè scilicet quòd dum præsentibus essent, non fuerunt invitati, nec optata à se futuri Prasulis electioni interesse meruerunt. Quò accepta ratione, quòd non causa contemptus Augusti, sed futuri temporis prospectu omissum hoc fuerit, (ne videlicet Legatos Principum in electione Romanorum Prasulum expectandi mos per hujusmodi fomitem inolesceret) omnem indignationem medullitus sedaverunt, & ad salutandum electum etiam ipsi humiliter accesserunt.* Apud Gratianum Dist. 63. ca. *Cum Hadriani.* & apud Ivonem parte v. cap.

AD LIBRVM APOLOGETICVM.

HVIC libro nullus est titulus in veteri codice. Itaque istum facere placuit. Est enim revera Apologeticus pro Lothario fratribusque ejus adversus Ludovicum Pium.

CAP. II.

IUVENEM CONIUGEM] Iuditham, postremam Ludovici Pij conjugem, Karoli Calvi matrem, quam Ludovicus duxit anno DCCCXIX.

SECUNDVM APOSTOLVM] Extat hæc Pauli admonitio ad maritos in capite septimo epistolę primæ ad Corinthios. Adeo autem magnæ auctoritatis est hic locus, ut dein statutum fuerit in synodo Liptinensi, dirimendum esse matrimonium, si vir ejus sit frigiditatis, ut uxori debitum reddere non possit; ut observatum est ad epistolam LXXXI. Lupi Ferrariensis.

MULIER RESOLVI IN LASCIVIAM] Ea fuit bellorum civilium occasio. Iudith Augusta plurimum auctoritatis habebat apud Ludovicum, ut conjux. Movit istud bilem Lothario, dum gratiam illam novercæ ferret impatienter. Conquisitis ergo causis querelarum, objectum est mulieri crimen adulterij. Fortè Bernardus Comes maxima apud eam gratia flagrabat. Hinc vulgatum, hunc esse qui thorum Augusti commaculaverit. Et quia obtrectatio & livor pronis auribus accipiuntur, ut Tacitus observavit; sparsa primùm apud nonnullos opinio hæc, magna illico fama surrexit. Ventum est ad arma. Capta mulier, & in monasterio conclusa. Bernardus sibi fuga consuluit. Theganus in capite XXXVI. de gestis Ludovici Pij: *Et voluerunt Dominum Imperatorem de regno expellere. quod prohibuit dilectus aquirvocus filius ejus. Supradicti impij objicientes ei multa contraria, dixerunt Iudith Reginam violatam esse à quodam Duce Bernardo, qui erat de stirpe regali, & Domini Imperatoris ex sacro baptismo filius. Mentientes omnia, suscipientes Reginam Iudith, eamque vi velantes, & in monasterium mistentes.*

ALIIS COMPREHENSIS] Conrado nimirum & Rudolfo, Reginæ fratribus; ut idem Theganus

tradit. Item Heriberto Bernardi fratre, & Odone confratris illius; ut est in vita Ludovici Pij.

ALIIS EFFUGATIS] præcipuè verò Bernardo Duce; qui fuga sibi consulens, in Marcam Hispanicam, cujus ipsi custodia commissa erat, se contulit. Annales Fuldenfes ad annum DCCCXXX. *Commotio contra Imperatorem à primoribus Francorum in Compendio exorta propter Bernardum, quem in Palatio esse noluerunt. Quo inde depulso, atque fugato, in gratiam cum eo redierunt.* Auctor vitæ Ludovici Pij: *Affuit etiam Bernardus, qui modo prædicto, fugiendo se salvans, diù in finibus Hispania exulaverat.* Fines Hispaniæ dicit, id est, Marcam Hispanicam, quæ nunc Catalonia dicitur; ob hoc dicta confinium Hispaniæ, quòd tum temporis ea Hispaniarum portio pertineret ad regnum Francorum; ut alibi dictum est à nobis. Sed de Bernardo, quoniam occasio incidit, res poscere videtur ut nonnulla dicamus; ne qui tot motuum ac bellorum occasio fuit, diutiùs lateat in obscuro. Virum magnæ nobilitatis fuisse hinc constat, quòd cum Theganus tradit ex stirpe regali ortum esse; & Ludovici Pij Imperatoris ex sacro baptismo filium. Filium fuisse constat Gulielmi Comitis, qui monasterium Gellonense fundavit in prima Narbonensi, quod nunc ex ipsius nomine vocatur monasterium sancti Gulielmi de Desertis. Anno DCCCXXX. Beræ Comite Barcinonensi dejecto ob crimen majestatis, Bernardus ei Comitatus præfectus est ab Imperatore Ludovico Pio. Anno XI. imperij Ludovici, (id est, anno DCCCXXXIV. ut manifestè colligitur ex Eginhardo) Kalendis Iulij, uxorem in Aquisgranensi Palatio duxit Duodenam, nobilissimam feminam; exque ea biennio post suscepit filium Vvilelmum, natum III. Kalend. Decembris. Interim furentibus Ludovici filiis adversus Iuditham Reginam, filiumque ejus Karolum, civiliâque bella meditantibus; Ludovicus, *ut subsidium aliquod in aula haberet* (Transcribo heic, & quidem lubens, verba magni viri Petri de Marca Archiepiscopi Parisiensis ex libro tertio Marcæ Hispanicæ) *consiliorum suorum participem & regni administrum, Bernardum quemdam Ducem Septimaniæ, inquit Nithardus, in supplementum sibi assumens, Camerarium constituit, eique Karolum commendavit, secundumque à se in Imperio*

perfecit. At verò quidam ex aulicis perfidi, tres fratres ed sceleris adegerunt, ut coacta valida rebellium manu, depellendo à regno patre cogitarent. Oidio quæstus color, Bernardi Comitis cum Iuditha familiaritas; quam in perversum interpretabantur; cum tamen ex munere palatini necessitate sequeretur, tum quia Bernardus datus erat rector Carolo. Hactenus Marca. Pulsus ergo Bernardus, Barcinonem se contulit anno DCCCXXX. Sed anno sequenti revocatus est à Ludovico, & pristino honori redditus. Anno DCCCXLI. nova prole auctus est XI. Kal. Aprilis. quo die Duodena alterum Bernardo filium peperit apud Verciam civitatem in prima Narbonensi. Quum autem bellum exarsisset inter filios Ludovici, Bernardus in partes transgredi noluit. Hinc mota Karoli ira. Tandem quum Tolosam venisset Karolus anno DCCCXLIV. Bernardum ad se accersit, nihilque ab eo mali suspicantem occidit; ut tradit auctor Annalium Fuldensium: Sed pleniùs hanc eadem exequitur Odo Aribertus, cujus hoc nobis fragmentum ex veteri codice pro singulari sua humanitate suppeditavit vir clarissimus Gulielmus Masnavius Senator Tolosanus. Pace & que cum sanguine eucharistico separatim per Regem & Comitem firmata & obsignata, Bernardus Comes Tolosanus ex Barcinonensi Tolosam venit, & Regem Carolum in cænobio sancti Saturinni juxta Tolosam adoravit. Cumque Rex manu lava, tanquam sublevandi gratia, Comitem apprehendisset, altera pugione in latus ejus adactò eum crudeliter interemit, non sine crimine fidei & religionis violata, nec sine suspitione patrati parricidij. Filius quippe Bernardi vulgò credebatur, & os ejus mirè ferebat, Natura adulterium maternum prodente. Post tam nefandam necem, Rex de solio sanguine maculato descendens, & pede cadaver percutiens, sic exclamavit: Va tibi, qui thalamum patris mei & domini tui fœdasti. Vide Castellum in Historia Comitum Tolosanorum cap. VIII.

AVCTRICE MALORVM] Iuditha Augusta.

INDVTO HABITV SANCTIMONIALI] Actum istud anno DCCCXXX. ut patet ex vita Ludovici Pij. Sed tamen adnotandum est, eam, tamenetsi velum sibi super caput posuerit, (seu volens id fecit, ut tradit auctor vitæ Ludovici; sive per vim, ut Theganus scribit) attonsam non fuisse. Inclusa autem fuit in

130 STEPHANI BALVZII
monasterio sanctæ Radegundis Pictaviensis. Illic femina tot tantæque pietatis argumenta præbuit sanctimonialibus, ut illæ publicè profiterentur velle se Augustæ exemplum sequi. Ita enim docet auctor Annalium Metensium : *Qua in Pictavensem urbem compulsæ est ire, ibique in monasterio sanctæ Crucis est retrusa: ubi & ipsa Domino nostro Iesu Christo studiosissimè famulari die noctisque totis nisibus studuit; atque inibi Domino famulantibus ita placuit, ut omnes profiterentur se eam velle imitari.*

ALIQUANTVLÆ HONESTATI] Hic fuit belli civilis prætextus. Dehonestari Palatium adulterio Augustæ cum Bernardo; quod adeo publicum esset, ut ne silentio quidem aut dissimulatione tegi posset. Purgandum Palatium à sordibus facinorum. & Ludovicum reddendum menti ac dignitati suæ. ac si dementatus fuisset uxoris beneficio. Porro, Lotharium non debere ferre tantum dedecus paterno nomini illatum. Auctor vitæ Ludovici : *Oportere ergo dicebant bonum filium indignè ferre dedecus paternum, ablatisque è medio, restituere patrem & menti & dignitati; & hoc agentem non solum fama virtutis prosequeretur, sed etiam amplificatio regni terrestris, hoc nomine prætextentes culpam. His ergo incitamenti alleciis juvenis &c.*

REVOCATA EST IN PALATIUM] anno DCCCXXXI. ut tradit auctor vitæ Ludovici, & auctor Annalium S. Bertini. Æquissimum sanè erat ut Juditha, *qua injustè ac sine lege & iudicio ei ablata fuerat, ut tradit auctor eorundem Annalium, Ludovico restitueretur. Itaque misit qui eam ex Aquitania reducerent. Quam tamen conjugis honore non est dignatus, inquit auctor vitæ ejus, donec se legali præscripto modo ab objectis purgaret.* Congregata ergo synodo apud Noviomagum ad Vahalim fluvium, jussione Imperatoris, & apostolica auctoritate, mense Octobri, cum nullus adversus eam accusator existeret, illaque se jurejurando purgasset secundum legem Francorum, judicatum est ab Episcopis eam reddi marito debere, velut legitimam conjugem. Auctor Annalium S. Bertini ad annum DCCCXXXI: *Ad quod Placitum Domna Imperatrix, sicut jussum fuerat, veniens, & in conspectu Domni Imperatoris ac filiorum ejus assistens, de cunctis se objicientibus purificare vel-*

le aiebat. Percunctatusque est populus, si quislibet in eam aliquod crimen objicere vellet. Cùmque nullus inventus esset qui quodlibet illi malum inferret, purificavit se secundum judicium Francorum de omnibus quibus accusata fuerat. Auctor Annalium Metensium: Postea tenuit Imperator Placitum suum mense Octobrio in villa Niumaga. In eodem ergo Placito, per auctoritatem apostolicam, & per consensum Episcoporum, consideratum & canonicè definitum est ut Imperator suam reciperet conjugem. Infrà: Peracto quoque Placito in Niumaga, Imperator inde reversus, ad Aquasgrani Palatium ad hyemandum pervenit; ubi & suam conjugem prædictam Iudith Imperatricem recepit, atque eam pristino honori restituit. Theganus capite xxxvii. Inde venit Dominus Imperator Aquis ad sedem suam; & supradicta conjux venit ibi obviam ei: quam honorificè suscepit, jubente Gregorio Romano Pontifice cum aliorum Episcoporum justo judicio. Hunc Thegani locum laudat Illustrissimus Archiepiscopus Parisiensis in libro tertio Marce Hispanicæ, ut ostendat Iuditham marito redditam fuisse judicio ecclesiastico, non autem ex decreto Conventus publici. Hæc sunt ejus verba: Enimvero quia velo imposito detrusa fuerat in monasterium, pœnitentia publica causa; post crimen per sacramenta dilutum, necesse erat ut pœnitentia inditio injusta rescinderetur. Id autem fieri non poterat auctoritate regia, ex decreto Conventus publici, sed judicio & potestate ecclesiastica. Quod factum quoque Theganus observavit; cum ait Reginam Aquis ab Imperatore honorificè susceptam, jubente Gregorio Romano Pontifice, cum aliorum Episcoporum justo judicio. Tum, ne quis ex eo facto præjudicatum putaret in omnibus causis ecclesiasticis Principum necessariam esse interventionem auctoritatis Romani Pontificis, hæc prudenter eruditèque pro more suo subdit idem Archiepiscopus. Romani Pontificis auctoritas adjuncta est judicio Episcoporum Francia, solo Augustorum intuitu, quorum dignitas causam istam majorem efficiebat. De majoribus autem causis Sedem Apostolicam consulendam docuit olim Innocentius Primus. Ex eadem personarum dignitate profectum, ut de divortio Lotharij Regis & Theutperga actum fuerit coram Nicolao I. Adeo ut qua hodie sunt in causis Regum ecclesiasticis ad Summum Pontificem relationes, non caveant suis exemplis: qua crebriores facta,

postquam Pontificum rescriptis à jurisdictione ordinaria Principes exempti sunt. quibus tamen privilegiis, si res ita ferat; quin ad tempus renuntiare possint, & ratio juris & exempla dubitare non sinunt. Olim quoque perpetuum non erat ut in causis omnibus ecclesiasticis Principum expectaretur auctoritas Summi Pontificis; ut patet ex pœnitentia publica per vim indicta ab aliquot Episcopis Ludovico Pio Imperatori; qua ab Episcopis aliis soluta est, non consulto Romano Pontifice; restitutis Principi armis & corona & vestibus regis, quibus ob pœnitentiam privatus fuerat. qua restitutio confirmata est à synodo plenaria an. DCCCXXXV. ut docet auctor vita Ludovici, Nithardus, & Annales Bertiniani. Hactenus Marca. In eadem porrò Noviomagensi synodo, cujus auctoritate Iudith marito reddita est, Iesse Ambianensis Episcopus, ut Theganus tradit, iusto iudicio Episcoporum depositus est. Quam Iesse depositionem ab Ebbone Remensi Archiepiscopo peractam fuisse docet Flodoardus lib. II. Hist. Rom. cap. XX. idque pro infidelitate Imperatoris.

CAP. III.

REGI FRATRI] id est, Ludovico Regi Germaniæ, qui Lotharij frater erat.

PVERO] Karolo cognomento Calvo; qui tum erat admodum puer, ut patet ex vita Ludovici Pij ad annum DCCCXXXIII. Ipsum verò Lotharius ad suum Carolo admodum puero deduxit. Narus autem erat anno DCCCXXXIII. mense Iunio, ut tradit idem auctor vitæ Ludovici.

CAP. IV.

VT VIDERE NOLIT QVIB. MALIS] Hæc tum in vulgus jactata. Auctor vitæ Ludovici: Porrò patrem adeo quibusdam praestigiiis elusum, ut hac non modo non vindicare, sed nec advertere posset.

DISPERTIANT SIBI REGNUM] Sic Capito Cossutianus, vir animo ad flagitia præcipiti, dum Neronem excitaret ad mortem Thraecæ, hæc inter alia ait apud Tacitum in libro XVI. Annalium: *Vt imperium evertant, libertatem præferunt. Si perverterint, libertatem ipsam aggredientur.* Proprium sanè humani ingenij est, vitia scèctari sub nomine virtutum, consiliaque mala tegere sub specie boni. Et qui bella civilia movent, bonum semper publicum prætexunt. Gallustius in

Catilina : *Namque, uti paucis verum absolvam, per illa tempora quicumque rempublicam agitavere, honestis nominibus, alij, sicuti jura populi defenderent, pars, quò senatus auctoritas maxima foret, bonum publicum simulantes, pro sua quisque potentia certabat.*

CAP. V.

DOMINA PALATII SENIORIS } id est, Palatij Ludovici Pij, qui paulò antè dictus est Imperator senior; Lotharius verò, Imperator junior. Nam postquam Lotharium Ludovicus imperij consortem fecit, Irmingardique Augustæ sociavit, divisa est familia regnatricis; Ludovicusque citra Alpes remansens, Lotharium regere Italiam jussit. Hinc duplex domus, sive Palatium. Palatium senius, domus Ludovici. aliud, Lotharij domus. Iudith ergo, quæ Ludovici conjux erat, domina fuit Palatij senioris.

PLERISQUE CONVDENTIBVS } Damnati Episcopos qui cum Iuditha ludebant pueriliter, itémque eos qui puerilia illa oblectamenta spectabant, ac fortassis laudabant. Istud ipsum etiam in Presbyteris hæc ipsa ætate damnavit Romana synodus sub Eugenio I. celebrata, quæ sic sancivit cap. XI. *Sacerdos enim sedulè divina debet perscrutari & ammonere eloquia, ut inveniat beatum de quo Psalmista ait: Et in lege ejus meditabitur die ac nocte. Quamobrem ludos aliquos coram se fieri non deleatur. Transgressor quippe inventus, ammonitione Episcopi ulterius agere desinat. Sin autem; canonicè judicetur.*

SVAVIS ET BLANDA } Hinc patet Iudith feminam fuisse insignis comitatis & urbanitatis; non verò ferocem, ac superbam, ut feminis contingere solet quæ in summam fortunam evhantur. Sed videretur hæc Agobardus commemorare augendam ad invidiam, ac si hinc colligi posset Iudith esse adulteram ac meretricem. Nam & apud Senecam lib. I. Controv. 11. Iunius Gallio de puella quadam, quæ in prostibulo fuerat, sic ait: *Si quis dubitat an meretrix esset, audiat quàm blanda sit.* Hinc illud Juvenalis: *Vox blanda & nequam digitos habet.*

PROPTER SOLAM PVLCRITVDINEM } Formosa ergo erat Iudith. Theganus capite xxvi. de ea loquens: *Erat enim pulchra, valde.* Annales Metenses

ad annum DCCCXXIX. Imperator Ludovicus habebat quendam Reginam pulchram nimis nomine Iudith, & sapientia floribus optimè instructam, sociatam sibi in conjugio. Ex quo interim loco patet eam à marito cultam non fuisse propter solam pulcritudinem, ut ait Agobardus, sed etiam ob præclaras virtutes quibus ornata erat. Sed aculeata illa scriptio condonanda est studio partium. Sane magnam ac peculiarem feminarum gloriam esse pulcritudinem apud omnes ubique gentes in confesso est. Itaque nemo hæctenus fuit qui formam corporis accusaverit in mulieribus. Præclarè Tertullianus in libro secundo de cultu feminarum; *Nam etsi accusandus decor non est, inquit, ut felicitas corporis, ut divina plastica accessio, ut anima aliqua vestis bona; timendus est tamen propter injuriam & violentiam sectatorum, quam etiam pater fidei Abraham in uxoris sua specie pertimuit.* Venditanda ergo non est forma, ut paulò antè docuit idem Tertullianus his verbis: *Primo quòd non de integra conscientia venit studium placendi per decorem, quem naturaliter invitatorum libidinis scimus.* Ac nescio quo facto semper factum est, ut ex eo quòd femina quæpiam formosa visa est, in suspicionem venerit vulgati corporis. Vnde interrogatus à quodam Bias, deberétne vxorem ducere, an vitam ducere cœlibem, respondit. Aut pulcrum ducere, aut deformem. Si pulcrum, habebis communem. Sin turpem, habebis pœnam. Apud Aulum Gellium lib. v. cap. xi. Noctium Atticarum. *Quantum istud ipsum de Bione deque Antisthene narrat in eorum vita Diogenes Laërtius, & de Socrate Valerius Maximus lib. vii. cap. ii.*

CAP. VII.

DICAT OMNIS POPVLVS] Sic omnino legendum est, non autem *Apostolus*, ut editum est à Maslono. Similem errorem nos ante hoc biennium emendavimus apud Salvianum in libro tertio de gubernatione Dei.

CAP. VIII.

BONÆ CONIVGIS] Irmingardis, quæ anno DCCCXVIII. mortua est v. Non. Octobris.

GVBERNACVLA REGNORVM POSSIDENTES] Lotharium videlicet Italiæ, Ludovicum Bajoariæ, Pippinum Aquitanicæ.

IN RETRVSIONEM EXILII] in Aquitaniam videlicet eam deportantes, & in monasterio Pictaviensi includentes, uti jam diximus.

CAP. IX.

RECTITVDO IVDICII POSCEBAT] Æquissima esset expoſtulatſo Agobardi, ſi iudicata adultera fuiſſet Iudith, atque ob hoc ipſum publicæ pœnitentiæ addiſta in monaſterio. Verùm jam antea vidimus iſtud per vim factum fuiſſe, ac ſine lege & iudicio.

QVOD ESSE NVLLATENVS POTERAT] Extat ſanè in libro quinto Capitularium lex, qua cavetur ne mulier, quæ ſponte, aut invita, velum ſanctum in caput acceperit, illud unquam dimittat. Hæc ſunt verba capitis CXIII. ejuſdem libri: *Qualicumque modo mulier, permittente canonicè viro ſuo, aut eo defuncto, velum ſanctum in caput acceperit, aut ſponte, aut invita, in eo permaneat omnino, nec dimittat.* Sed iſtud, opinor, intelligendum eſt de vidua quæ ſe ſponte velavit, non autem de muliere per vim velata. Nam quod ait lex, eam reſilire non poſſe quæ etiam invita velata eſt, planè neceſſarium eſt ut intelligamus de ea quæ adulterij perpetrati conviſta eſt, atque ob hoc ipſum in monaſterio concludi juſſa, volente marito. Nam nulla lex finit uxores caſtas abduci à maritis, niſi ex conſenſu partium, ut vacent orationi, juxta conſilium Apoſtoli. Sed tamenſi daremus legem non eſſe ambiguam, nihil officeret cauſæ Imperatoris. Nam neque Iudith canonicè velum ſuſceperat, neque conſentiente marito, ſed per vim & metum. Itaque dubium non erat, quin eam maritus repetere poſſet, ſi vellet. Aliud obtinebat de viduis. Nam illis deponere velamen ſanctum non licebat, præſertim apud Langobardos. cujus rei clara extant documenta. Et quandoquidem occaſio tulit, adferam exemplum iſtorum ferme temporum, de femina quadam Langobarda, quæ imperante Ludovico II. Pij nepote mulctata eſt amiſſione bonorum ſuorum, ob eam videlicet cauſam, quòd poſt ſuſceptum velamen religionis, nubere præſumpſerat. Res ita habet. Juſto Guafſaldio, natione Francus, inter Langobardos habitabat, ibique uxorem duxerat nomine Gundi. Licebat ſanè ei vivere lege patria, ſi in iniſtio habitatiſonis ſuæ inter Langobardos

professus fuisset apud iudices, velle se vivere secundum legem Francorum. Sed maluit eligere legem Langobardorum, fortassis vi victus amoris, quod Gundi nollet aliàs ei nubere. Nam lex Langobardorum valde favorabilis erat uxoribus. Hæc ergo cum virum extulisset, desideriumque extincti non posset pati, sanctimonialem habitum induit in monasterio sanctæ Mariæ, velumque sibi super caput imposuit, cum consensu Grimaldi Pinnensis Episcopi, juxta legem Lotharij Imperatoris, quæ extat in libro 11. Legis Langobardor. Tit. 71. cap. 1 v. Interim Sisenandus, homo Francus, cepit ambire nuptias istius mulieris, uxoremque postea duxit. Hujus rei fama cum ad iudices imperiales pervenisset, intentata lis est adversus Sisenandum uxoremque ejus à Maione Advocato Ludovici Imperatoris, qui feminam illam adulterij accusavit, juxta legem Langobardorum, quod post susceptum sacrum velamen, rursus viro se conjunxerat. ideoque personam substantiamque ejus parti Palatij pertinere debere assererat, *secundum legem*. Ea autem extat in libro secundo Legis Langobardorum Tit. 71. cap. 1. & lib. 11. Tit. xxxvii. cap. 1. At Sisenandus negavit eam induisse vestem religionis. Verum cum postea Maio probasset eam fuisse velatam, iudices imperiales pronuntiarunt & Gundi ipsam & bona ejus fisco addicta; indicta etiam multa solidorum sexcentorum Sisenando, & solidorum centum quinquaginta Amelfredo filio Iustonis & Gundi, qui huic matrimonio consenserat. quæ multa Amelfredo indicta est juxta legem Luitprandi, quæ extat in libro secundo Legis Langobardorum Tit. xxxvii. cap. 1. Datum est autem judicium istud adversus Gundi in monasterio sanctæ Trinitatis Casauriensis anno xxi v. Ludovici II. Imperatoris, mense Decembri. Dein Ludovicus bona quæ fuerant Gundi, monasterio Casauriensi dedit 111. Kal. Maias, anno xxv. imperii sui, id est, anno dccc lxxv. Verum quia bona quæ Iusto dederat uxori suæ, non bene discreta erant à bonis liberorum, re iterum coram iudicibus ventilata est in Teate anno dccc lxxvii. mense Augusto; & curtis de Monactiano adjudicata est monasterio, peractaque præterea est bonorum Iustonis divisio inter filios eius & monasterium. Hanc historiam, quæ plurimas res con-

tinet notatu dignas, placuit paucis enarrare; quam eruimus è veteribus actis illius ævi, quæ extant in Chartulario ejusdem monasterii, quæque post notas edita reperies, Lector, beneficio Antonij Vionis Herovallij, viri clarissimi, horumque studiorum bono nati.

CAP. XII.

DOMNVS DVDVM IMPERATOR] Vel hic locus ostendit librum hunc apologeticum fuisse scriptum haud ita multò post exauctorationem Ludovici Pij, id est, anno DCCXXXIII. Nam anno sequenti Imperator restitutus est in conventu Episcoporum habito Kalendis Martiis in monasterio sancti Dionisij.

AD CARTVLAM

PORRECTAM LOTHARIO.

Titulium hunc nos fecimus huic libello, pro eo quod editio Massoni sic habebat. *Publica L. Imperatoris coram amplissima Episcoporum conventu penitentia Agobardo præsidi*, qui titulus non extat in veteri codice. Sane vel ex eo fallit hic titulus, quòd huic conventui præfuisse ait Agobardum. Nos itaque hunc librum Cartulam inscripsimus, propter auctoritatem Actorum exauctorationis Ludovici; in quibus, post enarrata quæ in Compendiensi synodo acta sunt adversus optimum Principem, demum hæc leguntur: *His itaque gestis, placuit ut unusquisque Episcoporum, qualiter hac res acta fuerit, in proprijs cartulis insereret, eamque sua scriptione roboraret, & roboratam memorato Principi Lothario ob memoriam hujus facti offerret. Ad extremum, omnibus nobis qui interfuimus visum est, omnium cartularum, immo tanti negotij summam in unum breviter stricimque congerere &c.* Vnde patet unumquemque Episcopum Cartulam suam porrexisse Lothario ante solutam synodum, quod nos quoque factum monuimus ab Agobardo in titulo libelli istius.

COMPENDIVM] in diocesi Suessionensi situm, ad Isaram fluvium.

MENSE QVARTO] id est, mense Octobri, quo peracta est nefanda illa optimi Principis exauctoratio.

PER IGNAVIAM DOMNI HLVDVVICI] Hæc perfidorum querela, Regnum Francorum, quod sub Karolo Magno immensum fuerat amplificatum, regnante Ludovico ruere. Sic enim habent Acta exauktionis ejus: *Es quomodo in processu temporis, per ejus improvidentiam vel negligentiam in tantam veneris ignominiam & vilitatem, ut non solum amicis in mæstitiam, sed etiam inimicis venerit in derisionem.*

PER LEGATOS ET MISSOS] Ita enim inquit Episcopi in eisdem Actis: *Nos tamen memores præceptorum Dei, ministerijque nostri, atque beneficiorum ejus, dignum duximus ut per licentiam memorati Principis Lotharij legationem ad illum ex auctoritate sacri conventus mitteremus, qua cum de suis reatibus admoneat.*

LIBELLVS EDITVS EST] Acta exauktionis: *Super quibus cartulam, summam reatum suorum, unde illum specialiter redarguerent, continentem, ei dederunt, quam ille in manibus gestabat.* Extat eadem cartula, sive libellus, ut vocat Agobardus, in eisdem Actis, ubi in octo capitula divisus est.

PERVENIT IN ECCLESIAM] Acta exauktionis: *Veniens igitur idem Dominus Lodeuicus in Basilicam sancta Dei genitricis Maria, ubi sanctorum corpora requiescunt, Medardi videlicet Confessoris Christi atque Pontificis, necnon Sebastiani præstantissimi martyris, &c.* Verum, ne quis in hoc erret, istud peractum non est apud Compendium, tametsi illic habita fuerit prædatoria illa synodus; sed in civitate Sueffionensi, in monasterio sancti Medardi, ubi Ludovicus in custodia detinebatur jussu Lotharij.

SEPVLCHRA SANCTORVM] Medardi videlicet & Sebastiani.

PER MANVM EPISC. IMPOS.] Acta exauktionis: *Deinde cingulum militia deposuit, & super altare collocavit; & habitu seculi se exuens, habitum penitentis per impositionem manuum Episcoporum suscepit.* Peractum id facinus ab Ebbone Archiepiscopo Remensi, ut patet ex Narratione Clericorum Remensium de depositione ac restitutione Ebbonis: *Lotharius veniens per Imperialia Palatia, adduxit secum patrem suum usque Sueffionis ad monasterium S. Medardi. Ibi hortantibus & jubentibus ceteris Episcopis seu Primoribus regni,*

coaſus eſt Ebbo, quia in dioceſi ejus erat, illi imponere publicam pœnitentiam. Vnde nimiam & perpetuam ejus incurrit offenſam. Vide etiam Theganum cap. XLIV.

A D E P I S T O L A M

A D E B B O N E M.

PROPRIO INSERERE MANVALI] id eſt, libro qui ſemper eſt in manibus. Vnde ſic loquitur ipſe Agobardus in fine iſtius epiſtolæ: *maximè quia & vos tale fieri juſſiſtis opus, quod pauliſſer manu geſtetur, non quod in armario vel in ſcrinio reſervetur.* Quamobrem Duodena, Bernardi Ducis uxor, quum monita ſcriberet ad filium ſuum Vvillelmum, librum illum monitorum inſcripſit Manuale, hoc modo: *Liber Manualis Duodena, quem ipſa miſit ad filium ſuum Vvillelmum.* Viderat unum libri iſtius exemplar vir clariffimus Gulielmus Catellus Senator Tolofanus. Aliud verò nos diù habuimus in poteſtate, vivente Illuſtriſſimo viro Petro de Marca Archiepiſcopo Pariſienſi, qui illud poſtea dono dedit clariffimo viro Domno Lucæ Dacherio monacho Benediſtino Congregationis ſancti Mauri.

INCHOANTÏ OBTVLIT SE] Vel ex eolo-
co conſtat multa heic deeſſe, & inchoationem hoc potiùs libri eſſe, quàm librum. Quo factum eſt ut in fine hæc addi voluerimus, tametiſi in manuſcripto codice non extent, *Multa deſunt.*

A D L I B R V M

D E D I V I N A P S A L M O D I A.

NVPER STVLTVS ET IMPROBVS] Aut valde fallor, aut intelligit Amalarium Diaconum. Quò factum eſt, ut quum poſtea Amalarium libros quatuor edidiſſet de divinis officiis, cum talione momorderit Agobardus, libros illos ad vivum excu-

tiens. Hunc porrò affectum adversus Amalarium Floro Lugdunensique Ecclesiæ inspiravit hic noster Episcopus. Nam eo defuncto, Florus acriter invecus est in Amalarium in epistola nomine Ecclesiæ Lugdunensis scripta in causa prædestinationis. Hæc sunt verba Flori, sanè multum aculeata: *Multum moleste & dolenter accipimus ut ecclesiastici & prudentes viri Amalarium de fidei ratione consulerent; qui & verbis & libris suis, mendacijs & erroribus & phantasticis atque hæreticis disputationibus plenis, omnes penè apud Franciam Ecclesias & nonnullas etiam aliarum regionum, quantum in se fuit, infecit, atque corrupit; ut non tam ipse de fide interrogari quàm omnia scripta ejus saltens post mortem debuerint igne consumi.* Amalarium ergo nonnulla reprehenderat in cantu Ecclesiæ Lugdunensis, iatemperantiâ haud dubiè linguæ stilisque, seu quia magnis interdum ingenijs pro ludo est aliorum facta dictaque carpere. Pupugit ista audacia Agobardum, neque dissimulavit. Itaque ea fuit scribendi libri istius causa & occasio.

PII ET ORTHODOXI PATRIS] Leidradi Archiepiscopi Lugdunensis; qui cantum in Ecclesia Lugdunensi disposuerat, ut patet ex epistola ab eo scripta ad Karolum Magnum.

NEC CONTEMNERE AL. DIV. MOREM] Præclarè admodum. Nam unaquæque Ecclesia peculiare suas consuetudines habere potest, quæ tamen fidei contrariæ non sint; uti pluribus diximus ad epistolam ad Nibridium Narbonensem. Vide Gratianum Dist. XII.

PLEBEIOS PSALMOS] Sumptum est istud ex canone ultimo Concilij Laodiceni, in quo sic scriptum est: *Quòd non oporteat plebeios psalmos in Ecclesia cantare, nec libros, præter canonem, legi; sed sola sacra volumina novi testamenti, vel veteris.* Prohibet ergo canon, ne psalmi plebeij, id est, à privatis imperitiisque hominibus compositi, in Ecclesia recitentur. Invaluerat enim hæc consuetudo, (quemadmodum ad hunc canonem Laodicenum observavit Iustellus, & Henricus Valesius ad librum VII. cap. XXI. v. Historiæ Ecclesiasticæ Eusebij) ut multi psalmos & hymnos in honorem Christi componerent, eosque in Ecclesia cantari facerent. quod ex variis Eusebij locis probant. Hujusmodi ergo psalmos in Ecclesia deinceps cani vetuit

synodus Laodicensis, indignum majestate Dei credens, si aliis quàm sacrorum librorum verbis Deum laudaret populus Christianus.

NIHIL POETICE COMPOSITVM] Censet Agobardus, levia carmina, & faciles versus, cujusmodi sunt quæ moreta hodie dicimus, non esse canenda in Ecclesia. Neque Agobardo solùm displicuit usus ille. Displicuit enim etiam magno viro Gulielmo Durandi Episcopo Mimatenfi; cujus hæc sunt verba ex libro secundo de modo generalis Concilij celebrandi cap. xix. *Videretur valde honestum esse quòd cantus indevoti & inordinati motetorum & similium non fierent in Ecclesia, cum reproberetur xcii. Di. Cantores.* Verùm durat adhuc in Ecclesia mos ille, quem tolli abolerique debere senserunt magni illi viri. Quid enim vulgarius, quàm ut levia carmina, & modulationi apta, cantentur in Ecclesia? Neque id tantùm aliquoties, ut casus videri possit; sed vertente anno quolibet, in die natali Domini nostri Iesu Christi. Vnde & carmina illa recepto jamdiu vocabulo nominantur *Noëls*, id est, *Natalia carmina.*

AD LIBRVM

DE CORRECTIONE ANTIPHONARII.

CAP. I.

CANTORIBVS ECCLESIAE LVGDVN.] His commendatio accessit ex cura Leidradi: qui, ut ipse ad Karolum Magnum scribit, tanta cura procuravit sacra ministeria in Lugdunensi Ecclesia, ut etiam haberet scholas cantorum, ita eruditorum, ut alios etiam erudire possent.

CAP. III.

AVT BLASPHEMA] Fuere qui Agobardum nimis in hoc argumento scrupulositatis arguerent, damnantem nimis facilè nonnullas Antiphonas, nonnullaque Responsorialia, quæ licet ex sacris libris desumpta non sint, pia tamen potius sunt quàm impia. Et audio easdem antiphonas, quas heic damnat Agobardus, ho-

dic quoque extare in Breviario Lugdunensi. Certè extant in Breviario Ecclesiæ Parisiensis. Vnde constat, res semel receptas in Ecclesia, non facilè mutari, cautòsque in his rebus debere esse Pontifices, ne ministerium eorum vituperetur. *Quidni?* quandoquidem & Agobardi cura irrita fuit. Sic Urbanus VI. hymnos correxit. Et tamen semper hymni antiqui canuntur in Ecclesia, neque hæctenus inventus est quisquam qui notas apponeret hymnis ab Urbano correctis.

CAP. VII.

INTROIUIT PER AVREM VIRGINIS] Mutata sunt verba istius Responsorij in posterioribus editionibus Breviarij Parisiensis, ubi sic hodie legitur: *Descendit de cælis missus ab arce Patris, introiuit per virginem matrem in regionem nostram, indutus stolam purpuream, & exiit per clausam portam, lux & decus universa fabrica mundi.*

CAP. XI.

IN CONCILIO AFRICANO] Extat hic canon in Concilio Africano cap. LXX. & in Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ Tit. CIII. Sed utrobique diversus est paulò ab editione Agobardi. Sic enim illic legitur. *Placuit etiam hoc, ut preces, quæ probatæ fuerint in Concilio, sive præfationes, sive commendationes, seu manus impositiones, ab omnibus celebrentur, nec aliq̄ omnino contra fidem præferantur, sed quæcunque à prudentioribus fuerint collecta, dicantur.*

SIMPLICITATE] In manuscripto legitur *inplacitate*. pro quo Massonus edidit *imbecillitate*. Nos verò reposuimus *simplicitate*, ut res postulare videbatur.

CAP. XV.

GREGORII NOMEN TITVLVS] Extat enim inter opera sancti Gregorij Papæ Antiphonarius sive Gradualis liber ordinatus per circulum anni. Verùm hunc librum non esse Gregorij contendit Agobardus. Nisi si reverà Gregorij erat, sed corruptus tractu temporis.

CAP. XIX.

LIBRVM MYSTERIORVM] id est, Librum Sacramentorum. de quo libro suprà diximus ad caput XXX. libri de imaginibus.

HUMANIS FIGMENTIS] Ad ea fortassis ipsa, quæ heic culpat Agobardus, respiciebat Alcuinus;

quam hæc ad fratres Lugdunenses scriberet in epistola
L X I X. *In ecclesiasticis officijs inauditas prisca temporibus
traditiones nolite diligere.*

AD LIBRVM

ADVERSVS AMALARIVM.

MOnuimus jam ad librum de divina psalmodia, li-
bro isto Agobardum talione remordere Amala-
rium. Neque sententiam muto. Porrò nunc primùm
editus est hic liber ex veteri codice MS. viri clarissimi
Petri Marnæsi Senatoris Gratianopolitani, ceu dictum
est in Præfatione. Neque est in eo aliquid valde notatu
dignum.

AMALARIJ ABBATIS] Ita disertè codex ve-
tus. Quod confirmatur auctoritate perantiqui codicis
Bibliothecæ Thuanæ, in quo continentur ejusdem Ama-
larij libri de divinis officiis. In codice itaque illo sic le-
gitur: *Thomas Amalarij Abbatis de divinis officijs. Item:
Continentia secuturę causa Amalharij Abbatis scriptionis
de officiis divinis incipit.* Itaque querendum est, cujus
monasterij Abbas fuerit. Alibi vocatur Chorepiscopus.
Extat enim in bibliotheca monasterij Epternacensis in
Ducatu Luxemburgico vetus codex MS. his sexcentis
annis non scriptus, ex quo ista descripsit R. P. Alexan-
der Vvilthelmus è Soc. Iesu, Lutetiámque misit ad
R. P. Philippum Labbeum, qui mecum lubenter pro
amicitia nostra communicavit. *Incipit liber officialis
Amelarij Corepiscopi, id est, de ecclesiastico ordine cete-
risque officijs, quatuor libri, ad Hludovicum Imperato-
rem.* Porrò, præter edita Amalarij opera, extant Lu-
tetix in duobus per vetustis codicibus Bibliothecę sancti
Germani à Pratis quinque illius epistolæ, quæ brevî
prodibunt in lucem in Tomo VII. Spicilegij Domni
Lucæ Dacherij. Prima est ad Hieremiam Archiepisco-
pum Senonensem, de nomine Iesu, quomodo scribi de-
beat. Item responsio Hieremiæ Archiepiscopi. Secun-
da, ad Ionam Episcopum Aurelianensem, de eadem
causâ. Item responsio Ionæ. Tertia ad Rantgarium
Episcopum Noviomensẽ, quomodo intelligenda sint
illa verba ex Evangelio: *Hic est calix sanguinis mei no-*

144 STEPHANI BALVZII
vi & æterni testamenti &c. Quarta, ad Hec-tonem mona-
chum, (illum, opinor, qui Fuldenſis Abbas fuit poſt
Rhabanum) de nomine *Seraphim*, quando ſit neutrius
generis, quando masculini. Quinta demum ad Guntar-
dum, Vtrum ſpuere liceat illico poſt conſumptum ſa-
crificium. Et priores quidem, itémque reſponſiones
Hieremiæ & Iona, extant etiam in codice monaſterij
Epternacenſis, & inde penes virum clariffimum Philip-
pum Labbeum.

AD CARMINA.

EPITAPHIVM KAROLI] Huic carmini nos
titulum fecimus, ſecuti auctoritatem Chronici No-
valicienſis, in quo reperitur inſertum. cujus etiam ope
correximus errata quæ irreperant in editione Maſſoni.

DE TRANSLATIONE] Historia hujus tran-
ſlationis extat in Martyrologio Adoniſ Vienneniſis, un-
de edita eſt inter Elogia. Sed poſteriores XXI V. ver-
ſus, qui in ſuperioribus editionibus deſiderabantur, ſup-
plevimus ex editione Pamelij, qui illos edidit inter
Prolegomena operum ſancti Cypriani.

AD LEIDRADVM.

Noricum patria fuiſſe Leidradum, ac multis virtu-
tibus inſignem, docuit nos Theodulphus Episco-
pus Aurelianenſis. Legationem enim unà juffu Karoli
Magni obierunt in Gallia Narbonenſi. Antea verò Ka-
rolus Lugdunenſem episcopatum commiferat Leidra-
do. Sed nondum ordinatus erat. Electi autem Leidradi
meminit Alcuinus in epiftola LXXI. ad fratres Lugdu-
nenſes. Et omnino oportet illum fuiſſe ordinatum anno
ſaltem DCXCIX. Nam eo anno Felix Episcopus Vr-
gelleniſis illum vocat Episcopum in epiftola ad Clerum
populúmque Vrgelleniſem ſcripta, quæ extat apud Al-
cuinum. Miſerat antè Karolus Legatos ad Regem Per-
ſarum Aaronem, Isaac ſcilicet Iudæum, Lanfridúm-
que, & Sigimundum; ac ceteris in ea legatione mor-
tuis,

tuis, solus Isaac in Galliam reversus est an. DCCCII. & apud Aquisgranum pervenit XI XI. Kal. Augusti, ut Eginhardus tradit in Annalibus. Hic ergo Isaac magna munera ad Karolum deferens, quæ mittebantur à Rege Persarum, transivit per Africam, ubi regnabat Amiratus Abraham; compertoque ossa beati Cypriani neglecta jacere, ut inter inimicos fidei Christianæ, Amiratam oravit, sineret ea deferri ad Karolum, magno æstimaturum. Concessit ille lubens; cùmque Cypriani reliquiis, etiam membra beati Sperati, & caput sancti Pantaleonis, capere voluit. Depositæ reliquiæ apud Arelatem, demum curâ Leidradi delatæ sunt Lugdunum, & in Basilica sancti Ioannis reconditæ. Ita enim docent Agobardus & Ado; nisi quòd Ado paululum turbat in narranda historia, Regem Persarum existimans in Africa etiam regnasse. Iterum Missus Dominicus fuit primis Ludovici Pij temporibus, ad inquirendam justitiam Ecclesiæ Matisconensis; ut patet ex Præcepto ejusdem Ludovici; quod extat apud Severtium. Cùm autem adversa valetudine afflictus esset, Coëpiscopum sive Coadjutorem adscivit Agobardum. Demum anno DCCCXIII. secedens in monasterium Sueffionense, successorem suum voluit esse Agobardum. qua de re pluribus diximus in vita ipsius Agobardi. An autem Leidradus fuerit Bibliothecarius Karoli Magni ante adeptum episcopatum, ut quibusdam placuit, non adeo exploratum habetur.

EPIST. I.

DESTINARE VOLVISTIS] Quia nimirum per eas tempestates Episcoporum substitutiones fiebant auctoritate Principum, ut pluribus dictum est ad epistolam LXXXI. Lupi Ferrariensis.

LIBRIS CONSCRIBENDIS] id est, opinor, libris ad officia divina peragenda necessariis. cujusmodi sunt Evangelium, Psalterium, & Missale, quæ à perfectæ ætatis hominibus scribi cum omni diligentia jubet Karolus M. lib. I. Capitular. cap. LXXII. Neque enim puto heic agi de conscribendis libris necessariis aut utilibus ad studia literarum: tamen si ars illa etiam inter præcipuas eruditorum numerata fuerit antiquitus. Nam Vvaldo Abbas sancti Galli, qui sub Karolo Magno floruit, laudatur à Ratperto, quòd scriptor esset eximius.

Item Attepertus monachus Novaliciensis hac ipsa ætate vivens laudatur, quòd præter scientiam literarum, qua valde imbutus erat, etiam in recta conscriptione scriptor fuerit velocissimus. Contrà Sulpitius Severus narrat in capite VII. de vita B. Martini, minorem ætatem, id est, imperitos juvenes, huic arti deputatam. *Ars ibi, inquit, exceptis scriptoribus, nulla. cui tamè operi minor ætas deputabatur.* Verùm, ut ad id redeamus unde digressi sumus, Leidradus heic tantùm agit de rectè ordinanda Ecclesia, cantùque ecclesiastico. Itaque intelligi debet hic locus de libris ecclesiasticis.

SITVM IN MEDIO] Hæc, & quæ deinceps sequuntur, usque ad *suos codices*, quæ certis terminis conclusa volumus, non sunt Leidradi, sed alicujus recentioris, qui hæc glossematis vice addidit. & fortassis ex ora libri irrepsert in textum.

BENEDICTVM ABBATEM] Anianensem in diœcesi Magalonensi, virum celeberrimum, & quorum Principes valde utebantur ad restauranda monasteria. Assentior enim lubens erudito viro Hugoni Menardo, qui de Benedicto illo heic agi putat. Vide Præceptum Ludovici Pij pro monasterio sanctæ Columbæ in diœcesi Senonensi, quod editum est post Notas ad Lupum Ferrariensem.

CVI ETIAM ABBATI] Et hæc quoque corrupta sunt ab amanuensibus, dum verba omnia quadrare voluerunt ad narrationem illam quam diximus non esse Leidradi.

MAXIMINVS] qui Maximus vocatur à Gregorio Turonensi in capite XXI. de gloria Confessorum, & in epistola Eucherij Lugdunensis ad Philonem Presbyterum, quam nuper deprehendi in veteri codice MS. clarissimi viri Petri Marnæsij Senatoris Gratianopolitani. Et omninò digna est quæ heictibi, Lector, exhibeatur in Appendice Actorum veterum. Porrò Maximus ille (hoc enim verum est nomen) discipulus fuit sancti Martini Turonensis, ut patet ex laudato Gregorij loco.

EPIST. III.

INFIDELIEM FLERE MORTVVM] Deplo-randa illorum calamitas, medullitúsque lugenda, qui alienam à veri Dei cultu vitam agentes, demum mo-

riuntur infideles. Sed tamen eorum amici non deplorant miserandam eorum sortem; facilèque se consolantur, cum vident generalem esse moriendi legem, neque vitari posse. Et tamen interim non intelligunt esse resurrecturos, quod majoris solatij loco esse posset. Nobis itaque, qui spem resurrectionis habemus, longè alia tenenda via est. Flere quidem licet in funeribus amicorum, sed cum moderatione; planèque sequenda nobis est sententia hominis non Christiani, Senecæ, qui sic loquitur in epistola L X I I I. *Nobis autem ignosci potest pro lapsis ad lacrymas, si non nimia decurrerunt, si ipsi illas repressimus. Nec sicci sint oculi amisso amico, nec fluant: Lacrymandum est, non plorandum.* Vide Notas nostras ad librum V I. Salviani de gubernatione Dei.

[NON DVBITAT ESSE RESVRRECTVRVM]
 Hæc est enim fiducia Christianorum, ut resurrectionem vocat Tertullianus. Hanc autem tollebant Gentiles: quorum etiam plerique, & hi quidem qui plus vulgo sapere credebantur, etiam animæ immortalitatem negabant, existimantes nihil superesse post mortem, ne ipsam quidem, ut ait Tertullianus in libro de resurrectione carnis. Hujuscemodi incredulos, mortuos appellat Ruricius Episcopus Lemovicensis. Eadem autem fuit sententia Tertulliani: qui in eodem libro de resurrectione carnis ait seculum esse habitaculum mortuorum, id est, Deum ignorantium. Seculum enim per illas tempestates appellabant Christiani quicquid cum ipsis non sentiebat in veritate fidei, exceptis Judæis, ut satis notum est vel ex ipso Tertulliano. In libro de carne Christi idem Tertullianus mortuum vocat Marcionem; qui ita fidem resurrectionis inquietare studebat, ut eam spem negaret etiam ad carnem pertinere. ideoque humanam in Christo carnem fuisse negabat. Videbat enim quòd si humanam constaret fuisse, præjudicatum erat eam resurgere omni modo, quæ in Christo resurrexit.



AD AMVLONEM.

AMulo primùm Diaconus Agobardi fuit. Dein eo moriente, Episcopus Lugdunensis ordinatus est an. DCCCXLI. XVIII. Kal. Februarii. An. DCCCXLIV. consultus à Theoboldo Lingonensi Episcopo super incertis sanctorum reliquiis, superque prodigiis quæ illarum occasione dicebantur evenire, gravem ad ipsum epistolam scripsit adversus temeritatem quorundam monachorum, quos viles ac nequam homunculos vocat, reliquias illas venditantium. Anno dein DCCCXLV. præfuit synodo Lugduensi. Et anno DCCCCLI. (ut putat clarissimus Præses Mauguinus) epistolam ad Gothescalcum scripsit. Quo anno obierit, ignotum est.

EPIST. I.

THEOBOLDO] qui apud Lupum Ferrariensem in epistola LXXXI. vocatur Teotboldus, & alibi Teutboldus. factus Episcopus anno DCCCXLIV. ut patet ex Chronico S. Benigni Divionensis. Interfuit Concilio Vermeriensi anno DCCCCLI.

CHOREPISCOPVM VESTRVM] Ingelrannum, qui vices Episcopi in castro Divionensi gessit in initiis Pontificatus Theoboldi. Chronicon S. Benigni ad annum DCCCXLIV. *Per idem tempus defuncto Hæyleberto Coëpiscopo, qui vices pastoris in hoc loco tenuerat, successit ad regimen animarum Ingelrannus, idem in ecclesiasticis gerens officium.* Itaque heic pro Coëpiscopo, legendum est Chorepiscopo.

TANTVM MODO IN FEMINIS] Nescio quo fato femine in superstitionem proniores sunt. Et ex multis prodigiis quæ fieri dicuntur ad memorias sanctorum, majorem partem occupant vota feminarum. Denique & Hieronymus ætate sua notavit muliercularum superstitionem.

QVI SEMONACHOS DICERENT] Graviter istorum pseudomonachorum impudentiam reprehendit Augustinus in capite XXVIII. libri de opere monachorum. *Tam multos hypocritas, inquit, usquequaque dispersit circumeuntes provincias, nusquam missos, nusquam fixos, nusquam stantes, nusquam sedentes. Alij*

membra martyrum, si tamen martyrum, venditant. Alij fimbrias & phylacteria sua magnificant. Alij parentes vel consanguineos suos in illa vel in illa regione se audisse vivere, & ad eos pergere mentiuntur. Et omnes petunt, omnes exigunt aut sumptus lucrosa egestatis, aut simulata pretium sanctitatis.

ISTIVS MODI RELIQUIAS] id est, eas reliquias quæ incertæ sunt, quas à populo coli vetuit Concilium Africanum cap. l. Caput autem istud sic in epitomen redactum est in libro primo Capitularium cap. XLII. *Vt falsa nomina martyrum & incerta sanctorum memoria non venerentur.*

SEDELOCVS] villa Episcopi Augustodunensis, vulgò *Saulieu*, quatuor horarum itinere ab Augustoduno. de qua pluribus diximus ad epistolam lxxx. Lupi Ferrariensis.

PII PATRIS ET ANTECESSORIS] Agobardi.

VCE TIA] vulgò *Vzeç*, in prima Narbonensi.

FIRMINI EPISCOPI] Vercicensis. de quo vide Notas ad epistolam Agobardi ad Bartholomæum Episcopum Narbonensem.

EPIST. II.

GOTHESCALO] monacho Orbacensi, viro fanè docto, sed qui suâ doctrinâ Ecclesiam per eas tempestates turbavit. Vide Notas ad epistolam xxx. Lupi Ferrariensis.

FRATREM NOMINO] Sic sanctus Augustinus, sed qui nondum Episcopus esset, in epistola ad Macrobius Episcopum partis Donatistarum, ei reddit rationem, cur eum, qui erat extra Ecclesiam Catholicam, in titulo tamen epistolæ fratrem vocet. *Fratrem verò ut vocem*, inquit, *non te latet præceptum nobis esse divinitus, ut etiam eis qui negant se fratres nostros esse dicamus, fratres nostri estis.* Idem in Collatione tertia Carthaginensi cap. cxxlii. *Quotidie etiam quibusdam non nobiscum in una Ecclesia nec in iisdem sacramentis constitutis dicimus Frater.*

EPISCOPALIS CONCILII] Carisiacensis nimirum: in quo Gothescalus, cum post damnationem suam, in synodo Moguntina peractam in contumacia duraret, presbyteri gradu dejectus, ac virgis caesus, de-

AD SENTENTIAS

BEATI AVGVSTINI.

NEquè de hoc libro satis constat, an sit Amulonia. Sed quia id quoque suspicatus est Sirmondus, hunc cum reliquis Amulonis lucubrationibus edi debere censuimus.

AD LIBRVM FLORI

DE ELECTIONIBVS EPISCOPORVM.

NOtissimum est hujus viri nomen. Subdiaconus autè primùm Lugdunensis fuit, dein Diaconus. in quo gradu substitit. de quo non est quòd multa dicamus, cum vitam librorùmque ejus catalogum habeas inter Elogia. Nugatur autem pro more suo Trithemius, dum hunc nostrum Florum scribit fuisse monachum in monasterio sancti Trudonis Leodiensis. Istum porrò librum de electionibus Episcoporum scripsit Florus circa annum. dcccxx. regnante Ludovico Pio, ut Marca existimat.

CAP. IV.

CONSULTV PRINCIPIS] Apparet ex hoc loco, Florum fuisse valde gnarum jurium ecclesiasticorum ac jurium majestatis. Nam integrum electionum jus Clero populòque tribuit, Principibus autem assensum, *ad cumulum fraternitatis*, inquit, *propter pacem & concordiam mundana potestatis*. Sed tamen interventionem illam auctoritatis principalis introductam esse quinto demum seculo, postquam Imperij Romani corpus in varias partes diversaque regna distractum est. Attamen exempla in contrarium, tametsi rara, extant in libro VIII. De Concordia Sacerdotij & Imperij ca. IX.

CAP. V.

VITÆ EIVS LIBER] Editus est nuper ex codice M. S. S. Augendi Iurensis, cura R. P. Petri Francisci Chiffletij. In eo autem hæc ipsa habentur quæ heic narrat Florus.

ABSQUE INTERROGATIONE PRINCIPIS] Hic locus videtur prima fronte jugulare caput *Hadrianus*, quod extat apud Gratianum Dist. L X I I I. Nam si etiam Flori Lugdunensis ævo consecratio Romani Pontificis fiebat absque interrogatione Principis, affirmari posse videtur tributum Karolo Magno non fuisse jus & potestatem eligendi Pontificem & ordinandi Apostolicam Sedem. Verùm adhibenda necessariò est interpretatio verbis Flori. Nam constat ordinari olim non potuisse Romanos Pontifices, donec eorum electio approbata ac confirmata fuisset à Principe; ut etiam auctoritate Gregorij Magni ostendit Marca in capite mox laudato. Extant autem in Diurno Pontificum formulæ litterarum quas Clerus Romanus ad Principem & ad Exarchum scribebat de obitu Pontificis, & ut licentiam peteret alium eligendi. Denique constantissimum est, ævo Flori Romanos Pontifices non potuisse ordinari extra præsentiam Missorum Imperatoris; uti pluribus suprâ dictum est ad epistolam Gregorij I V. Papæ. Itaque adhibenda necessariò est, ut dixi, interpretatio verbis Flori. Nam Florus, vir doctus & eruditus, non potest esse contrarius manifestæ veritati, neque censendus est negare voluisse rem tum omnibus notam. Ego sic cenfeo, liberam quidem Clero populòque Romano fuisse electionem Pontificis, sed ordinationem peragi non potuisse absque assensu Principis. Istud autem sic fiebat. Mortuo Pontifice, Clerus & populus Romanus alium eligebant absque interrogatione Principis, id est, inconsulto Principe. Neque enim interrogabatur Princeps, quem vellet eligi. Celebrata demum electione, mittebantur qui Principem monerent. Is verò Legatos Romam mittebat, qui electionem examinarent. Et postquam ex inquisitione Missorum constabat electionem rite ac canonicè celebratam fuisse, adeoque Principem non impedire quin electus consecraretur, tum verò peragebatur ordinatione. Hoc est, ut puto, jus quod Karolo Magno collatum est in synodo Romana sub Hadriano anno D C C L X X I V. in qua Pontifex Hadrianus, universique Episcopi, ceterique qui in synodo aderant, *traderunt* Carolo jus & potestatem eligendi Pontificem & ordinandi Apostolicam Sedem. Sanè existimandum non

est, scnsisse veteres merum electionis jus Karolo tributum fuisse, sed tantum jus examinandi electionem, eamque cassandi, si canonicè facta non fuisset; tum verò ordinandi Sedem Apostolicam, id est, ordinationem Romani Pontificis concedendi, postquam constabat electionem rite ac canonicè fuisse celebratam. Scio synodum illam Romanam repudiari à viris eruditissimis, ut spuriam ac supposititiam. Sed profectò multa sunt quæ auctoritatem adstruunt narrationi quæ de ea re circumfertur, ut alibi dicitur. Nunc satis sit monuisse, obsecrum istud Flori scribendi genus nonnullis etiam cordatis viris imposuisse.

ADMONITIO AD LECTOREM.

Quoniam in Notis ad Agobardum diximus synodum in civitate Vrgellensi habitam fuisse anno **DCCXCIX.** in causa Felicis Episcopi illius sedis, res postulare videtur ut doceamus hanc synodum fuisse habitam, cum non extet in tomis Conciliorum, nec quisquam hæctenus eam agnoverit. Debes illam, Lector, eruditissimo viro Petro de Marca Archiepiscopo Parisiensi, cujus verba describemus ex libro tertio Marca Hispanicæ.

SYNODVS VRGELLENSIS


HABITA ANNO DCCXCIX.

Ex libro III. Marca Hispanica MS.

Praterea synodum quoque Orgelli ea de re haberi à Leidrado Episcopo Lugdunensi, Nefridio Narbonensi, Benedicto Abbate, & Episcopis atque Abbatibus provinciæ Gothiæ, Carolus jussit, ut contumaciam Felicis blandis colloctionibus mollirent. Quam synodum actam fuisse Orgelli ut comprobem, necesse est ut duo Alcuini testimonia adinvicem componantur. Is liberos à se adversùs Elipantum elucubratos Episcopis quos dixi transmittit, ut eos in itinere perlegant, & iis utantur ad fidei prædicationem, qua defungi eos oportebat

ex mandato gloriosi Principis Caroli , ut ille testatur. Porro synodum illam Orgelli coactam res ipsa docet : quoniam , juxta canones Africanos , Concilia provinciarum iis in locis haberi debent , ubi morbus remedium exposcit ; & prædicatio fidei , juxta synodi Francofurtiensis definitionem , peragenda erat ubi ab hæresi premebatur. Sed præter argumenta , habemus quoque disertum testimonium unde Concilij cœtum à Laidrado Lugdunensi & Nefridio Narbonensi Orgelli habitum constare possit. Quippe Felix in formula suæ confessionis ait impletum quod sibi Laidradus Orgelli promiserat. Res autem sic se habet. Felix conventus ab Orgelitana synodo , spondit se ad Regis aulam venturum , & fidem catholicam amplexurum , si amica colloquutione , omni vi remota , veterum Patrum testimoniis ostenderetur assertiones ejus esse à veritate alienas. Quod futurum ut poscebat Laidradus pollicitus est. Quare Felix *anno Caroli gloriosi Principis trigesimo secundo* (ut verba Alcuini usurpem lib. 1. contra Elipantum , quod tempus incidit in annum DCCXCIX.) *advocatus voluntariè veniens ad Aquis Palatium &c.*] Hactenus Marca de synodo Vrgellensi. Nam quæ dein illic sequuntur , pertinent ad synodum Aquisgranensem.





A P P E N D I X

ACTORVM VETERVM,

QVORVM IN NOTIS

FACTA MENTIO EST.

I.

Epistola sancti Eucherij Lugdunensis
Episcopi ad Philonem Presby-
terum suum.

*Ex veteri codice M S. clarissimi viri Petri
Marnesij Senatoris Gratianopolitani.*



OMINO sancto ac venerabili fratri & compresbytero nostro Philoni Eucherius Episcopus salutem in Domino dicit. Quaso caritatem & dilectionem tuam, quam habes perfectam in Domino, ut digneris te fatigare usque ad monasterium Insulæ Barbaræ; & videas & exhorteris fratrem nostrum Maximum Abbatem, qui præest ipsi monasterio, quia pervenit ad nos quod vellet ex eo discedere, & fratres suos deserere, eò quod multi propter metum gentium oblationes suas subtraxerint, quas pro Dei intuitu dare consueverant. Sed si nos vivimus, & sani revertimur, tantum illi vel monachis suis in Dei nomine disponimus ministrare, ut nihil egere videantur. Hoc tamen specialiùs peto ab ipso fratre nostro, ut domum pensilem, quam iussimus fieri,

nobis præparet, & membranas. Quia, si Deus annuit, Quadragesimam in Insula cum ipso tenere disponimus, ut opus cœptum ibidem pariter residentes expediamus. Interim trecentos modios annonæ, & ducentos modios vini, ducentas libras casei, & centum libras olei, ordina ipsi dari; ut cum per nostram oblatiunculam ipse unâ cum congregatione sua reficitur, nobis reditus cum sollicitate ipsis orantibus à Domino tribuatur.

I I.

Aviti Episcopi Viennensis epistola ad
Gundobadum Regem Bur-
gundionum.

Ex eodem codice M S.

*Epistola Aviti Episcopi ad Domnum
Regem facta.*

AVITVS Episcopus Domno Regi. Quæstio quam pietas vestra disserendam propoluit, tota prorsus ad interiorem figuram spiritali consideratione referenda est. Neque enim illud centuplicato fœnore promittitur reformandum, quod unusquisque animo miserendi alimoniam pauperum pia professione contulerit. Quia & in hac ipsa eleemosynaria largitate, in qua operantis sensus potius quàm census aspicitur, non est doni quantitas pensanda, sed studij. Quo factum est per evangelicam lectionem, ut infinitis auri argentique donariis paupertina numi duplicis præferatur oblatio. Quæ si utique viduæ donatrici ad mensuram centupli redderetur, sine dubio cunctis minùs reciperet, quæ minùs omnibus intulisset. Vnde & sanctus Petrus cum dixisset, *Ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te*, qui certè, sicut lectio docet, nihil aliud quàm retia reliquerat, quibus tenuem victum piscandi artificio transigebat, responsum illi est: *Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet,*

et vitam æternam possidebit. Namque cùm in Scripturis centenarius numerus omni perfectione sacratus sit, discernite quòd reddantur in centuplum, non quæ tribuuntur Christi nomine, sed quæ pro Christi nomine relinquuntur. Quia licèt magna salutaris proffit merces elemosynæ, incomparabiliter tamen majus est omnia dimittere, quàm plurima dispensare. Quocirca definiat gloria vestra de solo istud martyrio prædicari, cujus coronæ nullum penitùs meritum humani operis exæquatur. Iste est centesimus fructus; qui in futuro quidem vitam æternam expectat, sed in præsentì quoque seculo illatas martyribus contumelias mirificato honore compensat. Vnde & alio Evangelij loco dominicus sermo testatur quòd ad centenariam frugem cadens in terram bonam nutritæ sementis germen exierit. Parentes ergo, uxorem, vel filios, sive fratres, pro Christi tantùm consecrat nomine relinquendos, id est, cùm pro adferenda nominis confessione, non tantùm hujusmodi necessitudinum, sed animarum quoque nobis corporumque facienda jactura sit. De qua divisione idem Dominus alio loco: *Veni, inquit, separare filios adversus parentes, nuntium adversus socrum.* id est, ut quorumlibet affectuum personæ, tendentibus nobis ad Christum, si comitari noluerint, deferantur. Excepto autem hoc sensu, propinquitates istas non semper nobis ut præjudicatas debere dimitti, & exemplis & ratione colligitur. Nec enim & illi propinqui dimittendi sunt, qui ad cælestes coronas contemptu seculi calcata morte festinant. Neque suadere fidelibus possumus ut conjugia vel parentes abiciant, cùm Dominus clamet quòd non liceat homini dimittere uxorem. *Et quod Deus, inquit, conjunxit, homo non separet.* Et Apostolus protestatur quòd qui suis & maximè propinquis non providet, fidem neget, sitque deterior infideli. Dominum Petrus, Petrum conjux propria sequebatur. Cessante carnali usu, manebat spiritale solatium. Et comitante se Andrea germano, nec fratrem nec uxorem dimiserat, in quorum conubernio Christi vestigiis adhærebat. Quapropter personas hujusmodi non obesse nobis, sed impedire, timendum est. Nam cùm omnino hominum generi, ordini, dignitati obtinendum cæleste regnum divinus sermo proponat; est temerarius prædicator, necessitati Prin-

cipum, quæ regnum divinis nutibus administrat, si omnia quæ supra diximus relinquenda suaserit, cum tamen etiam personis hujus culminis contemptus mundi suggeri & cælorum regnum debeat repromitti, Apostolo, sicut recolitis, protestante locupletibus ut divites sint in operibus bonis, & thésaurizent sibi fundamentum bonum; ut apprehendant veram vitam. Quibus secundum hanc sententiam agrorum sive reddituum & prodesse usus poterit, si non nocuerit appetitus. Est tamen & aliud sanctitatis genus, in quo si tempus persecutionis assistat, martyrium quoddam plena confessio queat imitari. Si quis enim antiquam parentum consuetudinem sive sectam meliùs credendo commutet; nec teneatur privilegio consuetudinis, cum Veritas provocat ad dilectionem salutis; utiliter hic parentes, fratres, sororesque dimittit; velut Abraham dives, qui cunctis cælestibus donis fruens, filiis, famulis, auro, argento, patrimonio, matrimonio rectè usus, patriæ se tamen & cognationi suæ voto mutandæ religionis excussit, & imminente jam senio, signum Circumcisionis, quo Christianitas figurabatur; accipiens; proventus jam per ætatem conversione pueros fieri posse præmonuit. De quibus & propheticus sermo: *Puer*, inquit; *centum annorum morietur*. id est, centuplum accipiet quod puer factus est: quem præfata sacrati numeri pluralitate præstantem, sicut ætate matura vivendi novitas fecit puerum, sic custodita renovatio immortalis faciet longævitate profectum.



III.

Iudicium latum adversùs Gundi sanctimoniam anno DCCCLXXIV.

*Ex Chartulario monasterij Casauriensis ;
cujus mihi copiam fecit vir clarissimus
Antonius Vion Herovallius.*

Causa Gundi, qua post votum religionis Sisenando nupsit illicitè.

DVM Domnus Ludouicus gloriosus Imperator de partibus Beneventi reverteretur, & venisset ad monasterium sanctæ Trinitatis, quod est constructum in insula quæ vocatur Casa aurea, quod ipse Augustus ad fundamentis ædificare disposuit in finibus Pinnensis, & ibi per ejsdem Augusti iussione in eodem monasterio in iudicio residerem ego Heribaldus Comes in vice Comitum Palatii ad singulorum hominum iustitias faciendas vel deliberandas, residentibus mecum Rainaldo & Erifredo & Capiprando Bassis Domni Imperatoris, Adelberto, Iohanne, Maiolfo Iudicibus, Allone, Sindolfo, Sindeperto, Liuteri, & reliquis multis. Ibique nostri veniens præsentia Maio de Piscaria Advocatus Domni Imperatoris, necnon & Sisenandus ex genere Francorum, altercationem inter se habentes. Dicebat ipse Maius Advocatus. Iste Sisenandus habet uxorem Gundi, quæ fuit veste & velamine sanctæ Dei genitricis Mariæ induta; & postea, ut dixi, iste Sisenandus eam sibi in conjugio sociavit, & adhuc eam illicitè habet. Vnde secundum legem persona ejus simul & substantia parti Palatii pertinere debet. Vnde quæro à parte Domni Imperatoris habere iustitiam. Respondit ipse Sisenandus. Verè ipsam Gundi uxorem habeo, quod mihi ad legitimum matrimonium tradidit Amelfredus filius ejus cum mundualdo suo. Et illud quod dicitis, quod veste religionis induta post mortem Iustonis, qui fuit anterior vir ejus, non est veritas. Cùm taliter agerentur,

diximus ipsi Maioni Advocato si taliter per testes aut inquisitionem probare posset quòd veste & velamine induta fuisset, & postea ipsum Sisenandum in virum sibi sociasset. Qui dixit quòd taliter per inquisitionem clarescere posset. Et taliter ipse Maio per inquisitionem & per idoneos homines guadium dedit ad probandum. Et ipse Sisenandus dedit guadium ipsam Gundi uxorem suam ad placitum adducendam unà simul cum Amelfredo filio & mundualdo suo, quem dicebat ei ad uxorem eam tradidisse, posito inter eos constituto. In statuta verò die venerunt ipse Maio Advocatus, simul & ipse Sisenandus, cum ipsa Gundi uxore sua, & Amelfredo filio ejus, nostri coram suprà præsèntia; ubi in judicio residebam intus eodem monasterio, residente nobiscum Grimaldo venerabili Episcopo, Geraldo, & Aloardo, Henrico, & reliquis multis. Et cœpit dicere ipse Sisenandus. Iste Maius Advocatus hic in judicio vestri præsèntia mallavit me ut ego haberem uxorem Guadi, & fuisset veste & velamine induta, & postea ego in uxorem mihi sociassem. Et ego negavi quòd verum non fuisset quòd aliquando velata fuisset. Et dixi quòd mihi eam ad uxorem tradidisset Amelfredus filius & mundualdus ejus. Iudicatum mihi fuit eam cum prædicto filio suo ad placitum adducendam. Et taliter guadium dedi. Et ipse Maio dedit mihi guadium per idoneos homines circummanentes ad inquisitionem probare qualiter postquam velata fuisset, ego uxorem sociassem. Replicans ipse Maio. Verè omnia. Taliter inter nos actum & guadiatum fuit. Et hodie exinde iter nos statutum placitum habemus. Et ecce omnes ipsi qui hoc sciunt, ad præsens sunt. Et statim eos denominavit. Hi sunt, Grimaldus Episcopus, Erisfredus, Ainardus, Sindolfus, Optramus, Maiolfus, Aloini, Garifuso, Sindepertus, Galderamo, Sinderado, Godo, Vvinipertus, Petronaci, Iustinus, Gisolfus, & Rimo. In primis Grimaldus Episcopus dixit. Scio quia ista Gundi post mortem Iustonis viri sui ante meam venit præsèntiam, & sua bona & spontanea voluntate vestem & velamen sanctæ Dei genitricis Mariæ super se induit, & eam velatam vidi. Erisfredus & Rainardus adjurati in fide & sacramento quod Domino Imperatori promissum habebant, similiter dixerunt quòd vestem & velamen eam indutam vidissent. Isti

& alij

& alij omnes supradicti similiter dixerunt quòd eam ve-
 latam vidissent. Et qualiter dixerunt, ad sancta Dei
 Evangelia juraverunt quòd veritatem dicerent. Hac
 inquisitione facta, tunc nos qui suprà auditores interro-
 gavimus ipsum Sifenandum & prædictam Gundi quid
 contra inquisitionem ipsam dicere vellent, aut si verita-
 tem testificaverunt aut non, vel si ipsi omnia dixissent.
 Qui dixerunt quòd adversùs ipsam inquisitionem nihil
 dicere vellent, eò quòd non possent; & veraciter testi-
 ficaverunt; & idonei sunt. Et ipse Amelfredus professus
 fuit quòd ei eam ad legitimum ipsam Gundi uxorem
 suam tradidisset matrimonium. Cùm hæc omnia taliter
 factum & adimpletum fuisse, paruit nobis omnib. qui
 suprà auditoribus esse rectum. Et judicavimus ut juxta
 legem, & secundùm dictam inquisitionem, ipsam Gun-
 di & omnes reditus & substantiam suam pertinere parti
 Palatij. Et ipse Sifenandus daret guadiam de solidis sex-
 centis. Et prædictus Amelfredus mundualdus, qui in hac
 illicita conjunctione consentiens fuit, & eam tradidit;
 daret guadiam de solidis centum quinquaginta. Quod
 factum est, & definitum est. Et hanc notitiam pro secu-
 ritate Domni Imperatoris scripsi ego Garifuso Notarius
 in anno Domni Ludovici Imperatoris x x i v. mense
 Decembri, per Indictionem v i i. † Signum manus
 Heribaldi Vicecomitis Palatij, qui ibi fui. † Ego Eri-
 fredus ibi fui. † Ego Aloini ibi fui. † Ego Sindolfus ibi
 fui. † Ego Maiolfus ibi fui. † Ego Liuteri ibi fui. † Ego
 Maiepertus ibi fui. † Ego Adelpertus ibi fui.

I V.

Ex Præcepto Ludovici I I. Imperatoris,
 per quod monasterio Casauriensi
 donat nonnullas res.

*Ex eodem Chartulario, unde etiam editum
 est Tom. v. Spicilegij pag. 379.*

NE C N Ò N etiam & res quæ fuerunt Gundi uxoris
 Iustoni, id est, Curte de Monatiano, & cuncta
 E c

portione ejus quam à viro suo Iustone in dote acceperat. Quæ Gundi post velamine religionis in adulterio copulata, in placitum ante judices sacri Palatij legaliter devicta est.

V.

Iudicium aliud in eadem causa, latum
anno DCCCLXXVII.

Ex eodem Chartulario.

*Placitum de rebus Gundi & Iustonis in villa
Fiola, Colle, Superone, Badulato,
Perulo, & Fleccine.*

IN Christi omnipotentis nomine. Notitia Iudicati. Dum resideremus nos Ildeprandus Auditor Vvidonis Comitis, & Ello Castaldio, Zangolfus Gastaldio de Firmo, per missum & demandatum Vvidonis Comitis in placito intra civitatem Theatinam, ad singulorum hominum causas ad audiendum, vel ad deliberandum. Residentes ibidem nobiscum de Francia Anseri & Guartrato Castaldiis, Erifredus, Astroaldo; & Vvido, Albertus, Ainfredus, Ildebrandus; Aderisius, Domi. Scabinus de Furcone, Adelpertus Castaldio, Maio, Vvarimpoto, Maiolfus, Vvalpertus, Rodepaldus, item alius Maio, Anno Scabinus de Teate, Opteranto & Ildeperto & Sindolfus & Vetroaldo Scabini de Pinne, Ersemari, & Cherisi, Corbinus, Asfredus, Siolfus, Rodelandus, Arderadus, item alius Corbinus, Aldoini, Madelpertus & Benedictus Notarij de Pinne, Gispertus & Leo Notarij de Teate, Protogari, Prando, Teodenandus, Rodeprandus, Teuspaldo, Arepaldus, Benedictus, Arnoaldus, vel alij plures homines astantes. Ibi que veniens Romanus vir venerabilis Abbas de monasterio sanctæ Trinitatis, quod situm in insula Piscariæ, loco qui dicitur Casauris, unà cum Garifuso Notario Advocato de prædicto monasterio. Et querellati sunt super Amelfrido & Vvaguino & Petro

filiis quondam Iustonis Franci. Et dicebant quòd Iusto genitor istorum germanorum confirmavit per scriptum dotalitiæ Gundi conjugi suæ genitrici vestræ ipsam curtem de Monatiano, cum omnibus quæ ad se pertinent, & tertiam partem de omni re alia sua. Et ipsa genitrix vestra fuit velata, & commisit adulterium, per quod legibus res sua ad partem Domini Regis decaduta fuit. Et Iudicatum exinde habemus, per quod est confirmatum quomodo Advocatus Domini Regis ipsas res convicit de ipsa Gundi genitrice vestra & de vobis. Et Iudicatum exinde confirmatum habemus. Et ipse Dominus Imperator ipsum Iudicatum & ipsas res in ipso monasterio dedit per suum Præceptum. Et ecce ipsum Iudicatum & ipsum Præceptum hic præ manibus tenemus in vestri præsentia. Sic nos suprascripti iudices fecimus legere ipsum Iudicatum & ipsum Præceptum. Et inter cetera continebatur in ipsum Præceptum qualiter Dominus Ludovicus Imperator piissimus inter cetera confirmaverat per ipsum Præceptum pro anima sua ad proprietatem in ipso monasterio omnes ipsas res quæ fuerunt Gundi, sicut ipse Romanus Abbas cum suo Advocato dixerat, & manu sua propria in ipso Præcepto confirmaverat. Et in ipso Iudicato continebatur qualiter in præsentia Eribaldi Vicecomitis Palatii ipsius Augusti; & de aliis iudicibus & bonis hominibus, convicerat Maio Advocatus Domini Imperatoris, Gundi genitrice de ipsis suprascriptis germanis, quæ fuit velata, & pro adulterio quod commiserat, omnes res ipsius Gundi cum ipsa curte de Monatiano; quam ipse Iusto ipsi Gundi in dotalicia dederat, cum omnibus quæ sunt ad se pertinentes, & tertiam partem de omni alia re Iustonis, qui fuit vir ejus. Et quomodo ipsa Gundi cum filiis suis & cum Ildegario Advocato ipsius suprascripti Petri, professi fuerant quomodo Gundi adulterium commisisset, & per iudicium iudicum omnes res ipsius Gundi Maio Advocatus Domini Imperatoris convicerat. Et erat ipsum Iudicatum scriptum per Notarium publicum, & ab ipso Eribaldo & à iudicibus erat roboratum juxta legem. Modò volumus scire si isti germani volunt nobis aliquid contendere de ipsa curte de Monatiano, cum omnibus quæ ad se pertinent, vel de omni alia tertia parte de re quæ fuit Iustonis, qualiter ipse Iusto ad ipsam conjugem suam dedit.

Et volumus ipsas res cum ipsis dividere, & habere exinde ipsam aliam tertiam partem de ipsa alia re Iustonis, qualiter ipsi Gundi pertinuit. At ubi respondebant ipsi supradicti germani, & dixerunt. Veritas est quia Iusto genitor noster habuit in conjugio Gundi genitricem nostram. Et donavit ei ipsam curtem de Monactiano in dotalicia cum omnibus quæ ad se pertinent. Et dedit ei tertiam partem de omni alia re sua quantam habebat vel inantea habiturus fuisset. Et veritas est quia ipsa genitrix nostra fuit velata, & postea commisit adulterium. Et veritas est quia Maio Advocatus Domni Imperatoris stetit nobiscum, & cum ipsa genitrice nostra; & cum ipso Ildegario zio nostro, qui erat Advocatus istius Petri. quomodo ipsa genitrix nostra adulterium commisisse, & ipsa & nos & Aldegarius zius noster manifestavimus quomodo ipsa genitrix nostra adulterium fecisse, & legibus omnes res ejus ad partem Domni Imperatoris decedere debuissent. Et omnia sic est veritas sicut in ipso Iudicato continetur. Sed nos ipsam curtem de Monactiano cum omnibus quæ ad se pertinent, & tertiam partem de omni alia re genitoris nostri, vobis nunquam contendimus: quia legibus per ipsum Præceptum & per ipsum Iudicatum in ipso sancto monasterio permanere debet. Exceptamus ipsam curtem & res nostras in Aprutio, quas nos Fulrado per cartulam confirmavimus, & ipse Folradus vobis in ipso monasterio per cartulam confirmavit. Et excepto ego Amelfredus omnem ipsam rem quæ fuit Machelmi soceris mei. unde ego dare non debeo. excepta ipsa re quæ fuit Machelmi soceris mei in Perolo, & in Badolato; quam ego in ipso monasterio per cartulam confirmavi, & in ipso monasterio permanere debet. Audientes nos supradicti iudices ipsos supradictos Amelfredum, & Vvaningum, & Petrum omnia taliter dicere, & talem professionem facientes, paruit nobis rectè, & judicavimus sequentes eorum professionem, & sequentes ipsum Iudicatum, & secundum ipsum Præceptum; per quod Dominus Imperator ipsas res in ipso monasterio confirmaverat, ut ipsam curtem de Monactiano, cum omnibus quæ ad se pertinent, & ipsam tertiam partem de omni quæ fuit supradicti Iustonis, qualiter ipsi Gundi pertinuit, haberet pars supradicti monasterij ad ejus proprietatem in securitate


à parte ipsorum supradictorum germanorum. Et renuntiamus ipsis supradictis germanis ut sibi exinde quiescerent. Post hæc iterum ipse supradictus Romanus Abbas cum supradicto Garifuso Advocato suo dixerunt, quia volumus ipsas res dividere cum istis germanis Amelfredo, & Vvaningo, & Petro. Sed & ipsi supradicti germani dixerunt. Et nos ipsas res volumus dividere vobiscum. Et ipse Abbas cum ipso Advocato suo dixerunt. Si nobis datis ipsam tertiam partem de supradicta re quæ fuit genitoris vestri, ipsas res de villis de Fiola, & Colle, & Superone, Badulato, Perulo, & Fleccine, & curte de Leriano, & Ambrillie, & Raggiano, & de ipsa re quæ fuit de Machelmo socero istius Amelfredi modiorum centum in loco qui dicitur Fiola, & ubi dicitur Sanctula, cum casis, terris, vineis, campis, silvis, & cum ipsis modiis centum, quomodo superius scriptum est, nos ipsa recipimus pro ipsa tertia parte. In eo modo, ut menturemus ipsas res; & si nobis plus exinde evenire debet, nobis adimpleatis in supradictis villis, dum usque ipsam tertiam partem adimpleatis. Et si plus fuerit de ipsa re quàm nos dicimus, nos vobis resalvamus de ipsa re, dum vos ipsas duas portiones habeatis. Sed & ipsi germani dixerunt. Et nos vobis volumus dare in portionem pro ipsa tertia parte ipsas supradictas res, in eo modo sicut vos dixistis, ut per mensuratum adæquemus. Et à præsentem in præsentia de supradictis iudicibus & bonis hominibus tradiderunt ipsi supradicti germani in portionem ad proprietatem ipsius monasterij ipsi Romano Abbati & Garifuso Advocato ejus supradictas res in supradicta loca pro ipsa tertia parte de re supradicti Iusti quæ ipsi Gundi exinde pertinuerat. In eo modo, ut per mensuram ipsa adæquarent, qualiter superius scriptum est. Et ipse Romanus Abbas cum ipso Advocato suo tradiderunt ipsas alias res pro ipsis duabus portionibus de ipsa supradicta re quæ ipsis germanis exinde pertinuit de casis, terris, vineis, pomis, omnia ut ipsa adæquarent qualiter superius dixerunt. Et quadiaverunt inter se ut ambularent super ipsa re, & adæquarent ipsam per mensuram, sicut superius scriptum est. A parte Garifusi exivit Adepertus Notarius, filius Madelperti. Et à parte ipsorum germanorum exivit supradictus Notarius Adelpertus, & Guarnato

Castaldio. Finito hoc, iterum querellatus est ipse Garifusus Advocatus ipsius monasterij super ipsis supradictis germanis, & dixit. Quia fuerunt homines qui fecerunt cartulas quondam Sisenando Franco de re sua in Casule & Superone, & per singula casalia. Et nos ipsas res de ipsis hominibus querimus ad proprietatem ipsius monasterij. Modò volumus scire, si isti germani nobis exinde contendunt. Sed & ipsi supradicti germani dixerunt. Certè verum est quòd omnes res quę fuerunt Sisenandi, quas ipsi homines ei per cartulas confirmaverunt, & quę vos modò ad partem de ipso monasterio ad proprietatem queritis, pertinere debet. ipsa nunquam contendimus. in ipsis casalibus de Fiola, & ubi dicitur Sanctula. quia non habemus ullam pertinentiam, per quam vobis contendere debeamus, nec rationem. Tunc nos supradicti iudices paruit nobis rectè, & iudicavimus ut ipse Romanus Abbas cum successoribus ejus haberet ipsas res de ipsis cartulatis Sisenandi, quod ille exinde tenet ad proprietatem de ipso monasterio in securitate de parte ipsorum germanorum. Et qualiter actum fuit, & hanc Notitiam Iudicati, quomodo fuit, de mandato de supradictis iudicibus & bonis hominibus scripsi ego Adelfredus Notarius. Actum in Teate in anno imperij Domni Karoli secundo, & secundo anno Comitatus Vvidonis Comitis, de mense Augusto, per Indictionem x. feliciter. † Ego Ildeprando ibi fui. † Ego Erifrid ibi fui. † Ego Vualpertus ibi fui. † Signum manus Ellonis Castaldij Missi, qui ibi fui.

Errata sic corrigito in primo Tomo.

PA G. 73. lineã 15. cum 131. 21. sed 173. 16. Spiritus 190. 34. sumus 234. 17. nos 235. 2. sive angelice 237. 22. locis 262. 33. interposita 272. 11. pervasionibus 274. 23. sit *Ibid.* 25. ex 293. 3. prudentibus.





I N D E X,

- A**
- A**bbates, si rerum summam teneant, prælati Episcopis. 73
- Abbo Floriacensis non inclaruit prodigijs, sed sanctitate vitæ. 60
- Absolvere Legatos. 35
- Acephali Clerici. 63
- Acephali hæretici, id est, Eutychniani, infensi decretis Concilij Chalcedonensis. 14
- Adalardus Abbas Corbeïensis. 32. & seq. 93
- Adulterium nec permissi nec prohiberi potest. 79
- Adulterium commississe dicitur vidua, quæ nupsit post susceptum religionis velamen. 136
- Ædituus peculatū non admittit in his quæ ei tradita sunt. 97
- Agarhensis synodus. 28
- Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis, 3. 110. & *alibi passim.*
- Amalarius Diaconus, Abbas, & Chorepiscopus. 34. 140. 143
- Amulo Archiepiscopus Lugdunensis. 148
- Anthropomorphitarū hæresis. 92
- Apostolici canones interdum mutati & emendati. 121
- Apostolici dicti olim cr-
- nes Episcopi. 116
- Apostolicarum sedium magna olim auctoritas. 112
- Apostolicæ Sedi magna debetur ab omnibus reverentia. *Ibid.*
- Aquæ calidæ & frigidæ judicium. 48. 102
- Arausicanum Concilium sub Cæsario. 150
- Armani hæretici corpus publica auctoritate comburitur, qui diū cultus fuerat ut sanctus. 60
- Arrianorum perfidia nondū prorsus extincta erat avo Agobardi. 47
- Attepertus monachus Novalicienfis. 146
- Audiani, schismatici potius, quàm hæretici. 92
- Avitus Episcopus Viennefis. 15. Ejus dialogi & altercationes cum Rege Gundobado. 52. Epistola ejus ad Gundobadum. 156
- B**
- B**artholomæus Archiepiscopus Narbonensis. 75.
- Benedictus Abbas Anianensis. 146. 153
- Beneficium, id est, feudum. 64
- Bera Comes Barcinonensis, dejectus ob crimen majestatis. 128
- Berarius Archiepiscopus Narbonensis. 75

I N D E X.

- Bernardus Archiepiscopus
Viennensis. 22
- Bernardus Comes accusatus
adulterij cum Iudith
Augusta. 127. & seqq.
- Berthmundus Comes Lug-
dunensis. 79
- Blasphemare, id est, vi-
tuperare. 49
- Bodo Diaconus Palatinus,
ad Iudaismum conver-
sus. C 19
- C**Anones debent seruari
inlibati. 94
- Canonum vetus collectio
MS. laudatur. 99
- Capitularia sanctionū. 17
- Carisiacense Concilium
adversus Gothescalcum.
150
- Catalani se in fidem ac-
clientelā conferunt Lu-
dovici XIII. Franco-
rum Regis. 26
- Catalonia dicta olim Mar-
ca Hispanica. 128
- Causidici, qui causas refe-
runt ad Principem. 79
- Centuplum accipiet*, quo-
modo intelligendum in
Evangelio. 156
- Childeberti Regis Edictū
adversus Iudæos. 28
- Christus, Caput & spon-
sus Ecclesiæ. 80. Non reli-
quit Ecclesiā. 66. Chri-
stus & Ecclesia, una per-
sona. 14. Pastor Pasto-
rum, & Episcopus Epis-
coporum. 85
- Christiani debent diligere
in vicem. 105. Eis vetitū
habitare cum Iudæis. 43
- Clementis Romani lucu-
brationes. 31
- Clericorum nomine com-
prehenduntur quotquot
in Clerū adscripti sunt.
101. Vxorem ducere
non possunt, nisi virgi-
nem. 96. Convivijs Iu-
dæorum interesse prohi-
bentur. 42
- Clerici acephali. 63
- Coadjutores Episcopis in-
firmis dari olim non po-
terant, nisi in synodo. 3
- Compendiensis synodus de
rebus sacris illicitè usis.
95.
- Concilium plenarium est,
ubi interfuerit Metro-
politanus antistes. 100
- Concilia bis in anno ha-
benda. *Ibid.* Eorum au-
ctoritas unde petēda. 94
- Concilia regionalia, sive
nationalia, cujus aucto-
ritatis in Ecclesia. 51
- Constantinus Imp. voca-
tus Episcopus commu-
nis. 87
- Consuetudines uniuscujus-
que Ecclesiæ retinendæ,
modò fidei contrariæ
non sint 44. 140.
- Convivia Episcoporum cu-
jusmodi esse debeant. 83
- Corduba, Sarracenorum in
Hispania sedes. 22
- Criminosi ad sacerdotium
provehī non debent. 67
- Crucis iudicium. 104
- S. Cypriani Episcopi Car-
thaginienſis reliquiæ de-
feruntur in Galliam. 145

- D
- D**ectmæ infœdata. 97
 Decor corporis in femina, naturaliter est in-
 vitator libidinis. 134
 Diaconos in sacerdotio
 constituit antiquitas. 87
 Divitiæ in Episcopo quan-
 do culpandæ 81
 Dominus anachoreta Le-
 movicensis. 37
 Donariis illustrare memo-
 rias martyrum, dum
 pauperes negliguntur,
 malum. 76
 Duellorum rabies & im-
 manitas vetita edictis
 Principum, & canoni-
 bus Conciliorum. 106
 Duodena, Bernardi Co-
 mitis uxor. 128. & seq.
139 E
- E**aos Episcopus Cabil-
 lonensis. 23
 Ebbo Archiepiscopus Re-
 mensis publicam pœni-
 tentiam imposuit Ludo-
 vico Pio. 138. Deposuit
 Iesse Episcopum Am-
 bianensem in synodo
 Noviomagensi. 132
 Eberardus, Magister Pin-
 cernarum Karoli Ma-
 gni. 16
 Ecclesia & Christus, una
 persona. 14. Ecclesia au-
 tem unius viri Christi
 sponsa est. 45. Portæ in-
 feri non prævalebunt
 adversus eam. 46
 Ecclesia quælibet peculia-
 res consuetudines suas
 retinere potest, modò si-
- dei contrariæ non sint,
44. 140
 Ecclesiæ nutrices, id est,
 parrochiales. 65
 Ecclesiæ cum possessioni-
 bus venundatæ. 97
 Ecclesiarum ritus antiqui
 non facilè mutatur. 142
 Ecclesiarum res quadrifa-
 riam divisæ. 98. Earum
 usus debet esse rectus. 101.
 Injustè possidentur à lai-
 cis. 94
 Ecclesiastica statuta fir-
 mada sunt per acta apo-
 stolica. 29. Nullius mo-
 menti sunt, nisi concor-
 dēt sanctis scripturis. 99
 Edgarus Angliæ Rex voca-
 tus Pastor Pastorum. 86
 Eginhardus, magnæ au-
 ctoritatis scriptor. 109
 Elefantus Episcopus Vce-
 ticensis. 76
 Epaonensis synodus. 27
 Episcopus Episcoporum. 86
 Episcopi sunt vicarij Chri-
 sti. 56. Membra corporis
 Christi. 80. Ecclesiæ
 Principes. 107. Sedent
 in throno in Ecclesia. 87.
 Tenentur circumire an-
 nuatim suas dioceses. 41
 Non debent esse dediti
 oblectamentis seculi. 81.
 neque spectatores ludo-
 rum puerilium. 133. & à
 comestationib⁹ & ebrie-
 tate abstinere debent. 83.
 Divitijs bene uti debent.
81. Eorū jussa an semper
 observanda. 61. Non de-
 bent esse accusatores. 80

I N D E X.

- Episcoporum substitutio-
nes fiebant olim aucto-
ritate Principum. 145.
Fiebant tamen à Clero
& populo. 151
- Episcopi qui fidem Princi-
pi iurejurando obliga-
tam violant, deponendi
sunt. 122
- Eucherius Episcopus Lug-
dunensis. 155
- Eugenius II. Papa jura-
mentum fidelitatis scri-
pto præstitit Ludovico
& Lothario Augustis.
123. & *seq.*
- Eurardus, Missus Domi-
nicus. 16. 46. Magister
Iudæorum. 32. 74
- Excommunicatio sine cau-
sa, irrita est, & in au-
ctorem recidit. 118
- F
- F**AMES quæ sub Claudio
contigit, quo imperij
ejus anno evenerit. 31
- Faova Episcopus Cabillo-
nensis. 23
- Felix Episcopus Vrgellen-
sis, vir moris antiqui. 8.
Depositus ab honore
episcopatus. 7. Mortuus
apud Lugdunū. 5. 10. &
seq. Vrgellenfis synodus
adversus eum. 153
- Femina, an homines sint,
disputatum in synodo
Matisconensi. 30. In su-
perstitionem proniores.
148.
- S. Ferreolus Episcopus V-
ceticensis. 43
- Festis diebus antiqui Chri-
stiani vacabant prorsus
orationi. 20
- Fidentius Episcopus &
Martyr. 15
- S. Firminus Episcopus
Vceticensis. 76. 149
- Florus Diaconus Lugdu-
nensis. 76. 151
- Forenses, id est, non Chri-
stiani. 104
- forma corporis accusari nō
debet in mulieribus. 34
- Francorū regnum immen-
sum amplificatum sub
Karolo Magno. 138. Cō-
plectebatur Galliam &
Germaniam. 121. Divi-
sum est post mortem Lu-
dovici Pij. 109
- Fratres vocantur inter se
Episcopi. 117. Fratres ve-
rō vocandi inter se om-
nes Christiani. 149
- Fredegisus Abbas S. Mar-
tini. 5. 70
- Fredericus, Missus Domi-
nicus. 16
- Fulda, monasterium S. Bo-
nifacij. 24
- Fulradus Abbas S. Diony-
sij G. 23
- G**ALlicanorum canonū
magna antiquitas
reverentia. 50. 98
- Gallicanæ Ecclesiæ regi-
men divisum inter Re-
ges & Episcopos. 21
- Gelasius Papa scripsit li-
brum sacramentorum. 91
- Gellonense monasteriū in
prima Narbonensi. 128.
- Gerardus Comes. 63
- Gerricus, Capis prælat. 16

I N D E X.

- Gothescalcus monachus Orbacenſis. 149
- Gotthi qui Romam ceperunt, partim pagani erāt, partim hæretici. 48
- Gregorius IV. Pontifex Romanus ſponſionem fidei fecit Ludovico Pio in initijs ſui Pontificatus. 120. 124. Tranſgreſſus dein in partes Lotharij contra Ludovicum. 116. 121
- Grimaldus Dux Beneventanorum. 69
- Grimaldus Episcopus Pindenſis. 136. 160
- Guaſto de Baërne. 103
- Guido Episcopus Heleſenſis. 102
- Gulielmus Comes, fundator monaſterij Gellonenſis. 128
- Gundi ſanctimonialis, in adulteriũ prolapſa. 136. 159. 162
- Gundobada lex recepta per omnes ubique provincias. 106
- Gundobadus Rex Burgundionum. 47. 52
- Gundobadus, id eſt, Burgundio. 47. 49
- Gunebodigni. 47
- H**
- Adriani II. ordinationis hiſtoria excutitur. 126
- Helifacharus Abbas Centuleniſis. 34
- Hero inſula. 33
- Hieruſalem ſubjecta Saracenis. 48
- Hilarius Episcopus Pictavieniſis, tametsi exul, diœceſim ſuam per Preſbyteros ſuos regebat. 42. Ejus vita à Fortunato ſcripta. 24
- Hildebaldus Archiepiſcopus Colouienſis. 73
- Hildigiſus Lugdunēſis. 76
- Hilduinus Abbas, ſacri Palatij antiſtes. 73
- Hillel, vir magni nominis apud Iudæos. 30
- Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus. 150
- Homicidij ſacrilegiquæ voces additæ veteribus editionibus canonũ apoſtolicorum. 121
- Homo interior creatus ad imaginem & ſimilitudinem Dei. 74
- Hospitalitas magno olim in uſu apud Eccleſiam. 77.
- I**
- Ieſſe Episcopus Ambianenſis, depositus ab Ebbone in ſynodo Noviomagenſi. 132
- Imaginum adoratio damnata. 88
- Imperatori novo neceſſaria olim non erat approbatio Summi Pontificis. 109. 116
- Indiculus. 117
- Ingelrannus Chorepiſcopus Theoboldi Episcopi Lingonenſis. 148
- Innotescere, id eſt, inſinuare. 16
- Ioannes XII. Pontifex Romanus depositus in ſyno-

- do Romana ob fidem violatam Ottoni Imperatori præstitam. 124
- Ioculares, histrionum genus. 102
- Irmingardis, Ludovici Pij uxor. 134
- Italici maximè omnium sunt contemptores Canonum, & vilipensores Clericorum. 51
- Iudæorum conversionem publicè quorannis à Deo postulat Ecclesia. 74.
- Eorum divitiæ. 19
- Iudæorum mancipia baptizari possunt invitis dominis. 74
- Iudas Iscariotes, fur sacrilegus. 98. Habuit eandem potestatem quam ceteri Apostoli. 60
- Iudicium aquæ calidæ & ferri igniti. 48
- Iudicium crucis. 104
- Iudith, postrema Ludovici Pij uxor, femina fuit insignis comitatis & urbanitatis. 133. Vi velata, & in monasterio conclusa. 127. 129. 135
- Iuramentum fidelitatis ab Episcopis præstari solitū Principi, quid completeretur olim. 120
- K
- Karolus Calvus occidit Bernardum Comitem. 129. Sepultus est in monasterio Nantuaedēsi. 18
- Karolus Magnus, vocatus Episcopus Episcoporum. 86. Præ omnibus Christianis Regibus potentissimus in bello fuit. 37.
- Saxones aliásque gentes subdidit Christo. 36. Ex eo excusat dissensionem Ecclesiæ Gallicanæ à Romana in officiorum celebratione, quòd consuetudo Ecclesiæ Gallicanæ contra fidem non esset. 44. Episcopatum Lugdunensem commisit Leidrado. 144
- L
- Lacrymandum est, non plorandum, in funcribus amicorum. 147
- Lactantius etiam necessariis plerūq; indiguit. 107.
- Laici ecclesiasticarum rerum dispensatores esse non possunt. 98.
- Langobardorum lex valde favorabilis erat uxoribus. 136
- Legatorum Romani Pontificis præsentia necessaria non erat olim in Concilijs regionalibus aut provincialibus. 99.
- Leidradus Archiepiscopus Lugdunensis. 4. 140. 144. 153.
- Leo III. Pontifex Romanus iuramentum fidelitatis scripto præstitit Karolo Magno. 122
- Leofoa, soror Regis Navarræ, uxor Gastonis de Baërne. 103
- Liber Sacramentorum. 90
- Librorum periti scriptores, magno olim in præ-

I N D E X.

- rio erant. 145
- Litterarum studiis dediti, neq; apti neq; proclives ad rem faciendam. 107
- Lotharius fit confors Imperij. 108
- Ludovicus Pius pœnitentiæ publicæ addictus auctoritate synodi Compendiensis. 138
- Lugdunum erat olim in regno Burgundico. 47
- Lugdunensis synodus sub Agobardo. 22
- Lupus Episcopus Lugdunensis. M 29
- M** Agistri, id est, magistratus. 102
- Maio Advocatus Ludovici II. Imperatoris. 136
- Mancipia Christiana ne deserviant Iudæis. 18
- Mancipia Iudæorum baptizari possunt invitis dominis. 35.74
- Manuale. 139
- Marca prudenter imperat ut Ludovici Regis nomen disertè proferatur inter mysteria. 26
- Marca Hispanica, quæ nunc Catalonia. 128
- Martyres rectè in cælum feruntur, tamen si baptizati non sint. 72
- Matarus, teli genus. 107
- Matfredus Comes Aurelianus. 78
- Matrices Ecclesiæ. 65
- Matrimonium dirimendum est, si vir uxori debitum reddere non possit. 127
- Maximus Abbas Insulæ Barbaræ. 146.155
- Mercata in sabbatis olim fieri solita. 20
- Miracula non sunt semper signa certissima sanctæ vitæ. 56. & seqq. Desierant ævo Augustini. 59
- Missi Dominici. 16
- Missi de Palatio. 74
- Mogûtina synodus, cui Ludovicus Pius interfuit. 4
- Monachorû professio plurimum auctoritatis habet apud plebem. 26
- Monachorum quorundam impudentia notatur. 148
- Moteta cani non debent in Ecclesia. 141
- Mulier adulterij convicta, velanda. 135
- N
- N** Antuadense monasterium. 18
- Natalia carmina, vulgò Noëls. 141
- Natalis Episcopus Salonitanus reprehenditur à sancto Gregorio, quòd omissa episcopali cura, solis se convivij occuparet. 83
- Nibradius Archiepiscopus Narbonensis. 40.153
- Noviomagensis synodus ad Vahalim fluvium. 130
- O
- O** blationes quæ fiunt in Ecclesia, sunt res pauperum. 77
- Oleo ad sepulcra martyrum ardente utebantur olim Christiani ad curandas corporis infir-

- mitates. *Ibid.* Provincia, vulgò *Provincie*.
 Orgelletana sedes. 6 93.
 P Psalms plebeij canendi
 Agenses. 64 non sunt in Ecclesia. 149
 Pallium Metropolitanis datum propter apostolicam vicem. 115
 Pulcritudo, magna ac peculiaris feminarum gloria. Q 134
 Parentes, id est, consanguinei, vel affines. 79
 Q Vintianus Episcopus. 28
 Palchalis I. Pontifex Romanus se purgat apud Ludovicum Pium de nece Theodori Primicerij & Leonis Nomenclatoris. 123
 R
 Patientia, bonum Christi est. 107
 R Ab Achibas. 30
 Patriarchæ Iudæorum. 20
 Religionem non esse cogendam, quomodo intelligendum. 38
 Patriarchæ veteris testamenti fuerunt Christiani. 72
 Reliquias sanctorum incertas venerari, prohibitum. 149
 Peculatus est pecuniæ publicæ aut sacræ furtum. 97
 Resurrectio, fiducia Christianorum. 147
 S. philiberti monasteriũ. 33
 Rhabanus Archiepiscopus Moguntinus. 150. Ejus liber adversum Iudæos, delibatus ex libro Agobardi de Iudæicis superstitionibus. 28
 Plenarium Concilium est, cui Metropolitanus interfuerit antistes. 100
 Roma capta à Gothis. 48
 Prædicatores damnantur qui prædicant quæstus causa vel ambitionis. 84
 Romana Ecclesia semper prælata est reliquis Ecclesiis Apostolicis 114.
 Ab ea in omnes venerandæ communionis iura dimanant. 112
 & seq.
 Presbyteri cardinales. 65
 Presbyteri ne fiant exactores fiscalium rerum. 64
 Non debent esse spectatores ludorum. 133
 Principis nomen recitandum est inter mysteria. 25
 Proculi Episcopi CP. epistola ad Armenios approbata à Concilio orientali. 14
 Romani neoterici. 50
 ROMANVS, PONTIFEX, sponsus Ecclesiæ dictus in Concilio Lugdunensi. 45. Episcopus Episcoporum quomodo dici possit. 85. Solus dicitur Apostolicus ab aliquot seculis. 116. Vocatur frater à reliquis Episcopis. 117. Vicarius Apostoli-

I N D E X.

- ra sedis. 115. Ejus nomen
 recitandū est inter my-
 steria. 112. Deponendus,
 si fidem Principi obliga-
 tā violet. 122. 124. Ejus
 approbatio necessaria o-
 lim non erat novo Im-
 peratori. 109. 116. Ejus
 auctoritas necessaria nō
 est in omnibus causis ec-
 clesiasticis Principū. 131
 Romanorum Pontificum
 epistolæ in causa fidei
 examinantur ab Episco-
 pis congregatis. 99
 Romanorum Pontificum
 electiones fiebant à Cle-
 ro & populo. 152
 Romanorum Pontificum
 ordinationes fieri olim
 non poterant extra præ-
 sentiam Missorum Im-
 peratoris. 125. 152.
 Romano Pontifici obviam
 procedebant Episcopi,
 quoties veniebat ad Co-
 mitatum. 117

S

 Accata vina. 64
Sacerdos esse non potest
 qui indoctus est. 67
 Sacerdotes malè docentes,
 aut malè jubentes, non
 sunt audiendi. 61. Et ta-
 men sacerdotes mali, ve-
 rè sunt sacerdotes. 84.
 Et sacerdotis impij sa-
 crificio cōficiuntur sa-
 cramenta. 66
 Sacerdotes majoris ordi-
 nis. 65
 Sacerdotes domesticos ha-
 bebant olim apud se viri
 principes. 63
 Sacerdotium unicum in
 Ecclesia. 56
 Sacramentorum liber. 90
 Sacrilegi sunt, qui publica
 sacra compilaverunt. 97
 Sacrilegium est, res Eccle-
 siæ auferre. 98
 Salvaterra; oppidum Be-
 nearnorum. 103
 Sancti non sunt adorandi.
 91
 Sarraceni, portio Iudæo-
 rum. 19: Vnde sic dicti.
 32. Capiunt Hierusa-
 lem. 48
 Schismaticus est, quisquis
 Sedi Romanæ commu-
 nione junctus non est.
 112. & quisquis à sedi-
 bus apostolicis divisus
 est. 114
 Sedelocus, villa Episcopi
 Augustodunensis. 149
 Senior; id est, dominus. 19
 Sentētia plurimorum præ-
 ferenda est suspicioni-
 bus singulorum. 99
 Septimanæ nomine com-
 prehendebatur olim etiā
 diocesis Vrgellensis. 92
 Sepulturarū occasione di-
 tata est Ecclesia. 97
 Servuni libertate donatum
 revocare in servitutem
 non licet. 96
 Servorum calliditas nota-
 tur. 35
 Sigismundus Rex Burgun-
 dionum. 52. & seqq.
 Signius mons in Hispania
 Tarraconensi. 53. & seqq.
 Stramiacum, haud procul

I N D E X.

- Lugduno. 5. 23
- Sulpitius Severus Presbyter Primuliacensis. 90
- Sylvestri Papæ Gestæ, apocrypha. 90
- Synagogas novas cõstruere non licet Iudæis. 20
- Synodus Compendiensis de rebus sacris illicitè usis. 95. Lugdunensis adversum Iudæos. 22. Lugdunensis sub Amulone. 148. Moguntina, in qua Agobardi ordinatio cõfirmata fuit. 4. Noviomagenensis, pro reconciliatione Iudith Augustæ. 130. Vrgellensis in causa Felicis Episcopi illius sedis. 12. 40. 153
- T
- Tempestarij. 5. 68
- Templum dedicare olim non licebat in honore sanctorum. 89
- Theodboldus Episcopus Lingonensis. 148
- Theodotio interpres sanctæ scripturæ. 71
- Thronus Episcopi. 87
- Tractoria stipendialis. 17
- V
- Valentinianorum factum incensum. 25
- Vetia civitas in prima Narbonensi. 149
- Venatio interdicta Episcopis ac reliquis è Clero. 82
- Viccomites unde dicti. 17. Eorū institutio pendebat olim à Comitibus. 80
- Vicelegatus Avenionensis. 17
- Vidua quæ velum religionis suscepit, dimittere illud non potest. 135
- Vigilantius patria Aquitanus. 89
- Vigilius Episcopus Thapensis. 13
- Vina saccata. 64
- Vrbani VIII. hymni non canuntur in Ecclesia. 142
- Vrgellensis synodus in causa Felicis. 12. 40. 153
- Vvala, Adalhardi frater, Abbas Corbeïensis. 34. 73
- Vvaldo Abbas S. Galli. 145

FINIS INDICIS







7. B. 13.

